UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno Christi 1230. Usque Ad Annum 1248

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1764

VD18 90118049

urn:nbn:de:hbz:466:1-66268

Visual Library

Th. 5738.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

CLAUDII FLEURII
ABBATIS
HISTORIA ECCLESIASTICA

PRIUS
AB
A. R. P. BRUNONE PARODE
Ord. S. Ben. in Monasterio Ettalensi Professo, Subpriore ac Bibliothecæ Præfecto
MODO
A
P. DOMINICO ZIEGLER
Ejusdem Cœnobii, SS. Theol. Cand. Exam. Approb. & antehac Frisingæ Humaniorum omnium Professore.
LATINE REDDITA.

TOMUS XX.
AB ANNO CHRISTI 1230. USQUE AD ANNUM 1248.

Collegii S. J.
Faberty
1766



Cum Approbatione ac Consensu Superiorum.

AUGUST. VIND. & OENIPONTI
IMPENSIS JOSEPHI WOLFF. MDCCLXIV.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Approbatio Cenſoris.

In continuatione verſionis Fleurianæ poſt fata Clariſſimi P. Parode O. S. B. ab alio ejusdem celeberrimi Ordinis ac Monaſterii eruditiſſimo Viro ſuſceptæ, cum nihil ſanæ Religioni adverſum, & omnia a Theologis ſui Ordinis recognita atque approbata legerim, eandem & ego approbo, & publica luce dignam cenſeo.

Auguſtæ Vindelicorum 1. Junii 1764.

Franciſcus Joſephus de Handl,
SS. Theol. Lic. Rev. & Sereniſſ. Princ. & Epiſc. Auguſtan. Conſil. Eccleſ. Maj. Pœnit. & Libr. Cenſ. nec non Inſign. Eccleſ. Colleg. ad S. Maur. Canon. & Paroch.

Henricus Sigismundus de Fercher,
SS. Theologiæ Doctor, Eccleſiæ Cathedralis Auguſtanæ Canonicus Capitularis, Sereniſſimi Elect. Palatini, ac Rev. & Ser. Principis & Epiſc. Auguſtani, Landgravii Naſſiæ, Conſiliarius Eccleſiaſticus, & Vicarius in Spiritualibus Generalis, Decanus Capituli Monheimenſis & Parochus Civitatis Wembdinganæ.

LICENTIA ABBATIS.

Ut R.P. Dominicus Ziegler O.S.Bened. ad Beatissimam Fundatricem Virginem in Monasterio nostro Professus, SS. Theol. Candidatus, in Alma Universitate Salisburgensi Examinatus, & Approbatus, & antehac in Inclyto Episcopali Lyceo Frisingensi Humaniorum omnium per complures annos Professor sagacissimus, Historiæ Ecclesiasticæ Claudii Fleurii Abbatis Tomum XX. a se latine redditum, & secuturos publici juris facere possit, licentiam impertimur; dummodo sicut Tomulus præsens, ita singuli a Theologis nostris prius recogniti, & quemadmodum typis Augustanis, sic & Censuræ Reverendissimi Ordinariatus ibidem subjecti fuerint.

Actum in Monasterio nostro Ettalensi
1. Maji. Anno 1764.

BERNARDUS
Abbas. *mppr.*

PRÆ-

PRÆFATIO.

Celeberrimi ſcriptoris Claudii Fleurii Hiſtoriam Eccleſiaſticam ab A. R. P. Brunone Parode piæ memoriæ hunc ad tomum usque latinum in ſermonem translatam eidem porro linguæ tradere juſſus, labori

manum quantumvis imparem admovere, quam dicto non audiens videri malui. Parum emunctæ naris hominem me alii, alii nimis solicite ad calculos omnia revocasse censebunt. Ego hæc judicia neutiquam moror. Verborum puritas claritasque ac brevitas ita mihi curæ fuit, ut vocibus græcis aut minus latinis (præsertim cum res eædem nuncupandæ crebro redirent) uterer, quoties probiores sine notionum obscuritate vel putida circuitione adhibere haud poteram. Paucis: medium tenere studui. Deflexisse me, Lector, vides? Saltem conatum proba! Antecessoris mei vestigiis insistendi gratia notas (ut in præmissa Dissertatione feci) addidissem, nisi mutatis consilii rationibus mutandum

tandum fuiſſet conſilium. Nempe Acatholici a ſæculo XIII exempla nulla capiunt: & ille, qui Fleurium germanice ſed non germana fide reddidit, cum ne nonum quidem ſæculum compleviſſet, calamum ponere maluit, quam vel a corrumpendo Authoris ſenſu & ab addendis criſibus iniquis abſtinere, vel ob malitioſas fallacias ſuas juſtis reprehenſionibus vapulare: certe, ſiquid interea typis vulgaſſet, id ſe accepturum fuiſſe D. Bibliopola aſſeruit. Ne vero noſtram in ætatem excurrens notis ſupervacaneis augerem opus aliunde longiſſimum, ii, quorum nutus veneror, me monebant. Equidem opponi plurima Fleurio, ſed nec paucis abſolvi nec multis poſſunt: pauca non ſufficiunt:

multa non capit æquum notarum ſpatium. Illius criſium immoderatio cum feriat oculos, latere nequit. Agnoſce me purgatum benigne Lector! ſin minus, ignoſce! Forſan ea, quæ Tomus hic continet, obiter præſcire placet? Ejus conſpectum, quem proximæ dabunt paginæ, conſulas, precor. Inſuper ea ſummatim præfari me vis? Dixi: brevitatem amo: amo illud axioma philoſophicum: Fruſtra fit pluribus, quod paucioribus fieri poteſt. Tu, ſi eadem bis legere cupis, mox ſequentia trium tomi librorum ſummaria bis inſpice,

& vale!

CONSPECTUS
TOMI XX.

DISSERTATIO V.

IN

HISTORIAM
ECCLESIASTICAM.

§. 1. Academia Parisiensis & Bononiensis. Pag. 1.
§. 2. Utilitas Academiarum. 4
§. 3. Collegia. 8
§. 4. Studiorum cursus. 10
§. 5. Grammatica. 11
§. 6. Rhetorica & Poësis. 19
§. 7. Historia. 21
§. 8. Logica. 24
§. 9. Ethica. 34
§. 10. Mores Academicorum. 39
§. 11. Theologia positiva. 45

§. 12. Usus Allegoriarum. 49
§. 13. Traditio. 54
§. 14. Fama docentium. 60
§. 15. Methodus scholastica. 63
§. 16. Stylus docentium. 66
§. 17. Canonistæ. 72
§. 18. Idea studiorum meliorum. 77

LIBER LXXX.

§. 1. Christianorum victoriæ in Hispania. 81
§. 2. Equites Teutonici in Borussia. 85
§. 3. Universitas Parisiensis instaurata. 88
§. 4. Concilium Castri Gontherii. 96
§. 5. S. Guilielmus Pinchonius. 97
§. 6. Continuatio pacis inter Papam & Cæsarem. 99
§. 7. Mors S. Antonii Patavini. 101
§. 8. Martyres in Hispania. 107
§. 9. Diplomata Pontificia in gratiam Fratrum Mendicantium. 108
§. 10. Obitus S. Richardi Archiepiscopi Cantuariensis. 111
§. 11. Romani in Anglia acerbe habiti. 113
§. 12. S. Elisabetha Hungarica. 114
§. 13. S. Hedwigis Poloniæ Dux. 117
§. 14. Otto Legatus Pontificius in Germania. 120
§. 15. Ecclesiæ Septentrionales. 121
§. 16. Controversia inter Regem Franciæ & Archiepiscopum Rothomagensem. 125
§. 17. Controversia Episcopi Bellovacensis. 129
§. 18. Ulteriores injuriæ Romanis in Anglia illatæ. 133

§. 19. Summus Pontifex Roma pulsus. 137
§. 20. Tractatio reconciliationis Græcorum. 138
§. 21. Litteræ Pontificiæ ad Principes Musulmannorum. 143
§. 22. Frater Joannes Vicentinus. 145
§. 23. S. Dominicus a Papa Cœlitum albo adscriptus. 147
§. 24. Stadingi hæretici. 149
§. 25. Decretum contra Albigenses. 153
§. 26 Concilium Bliterranum. 156
§. 27. Universitas Tolosana. 157
§. 28. Statuta Regis Hungariæ. 158
§. 29. Continuatio negotii cum Græcis. 162
§. 30. Disputationes Nicenæ. 166
§. 31. Continuatio disputationum. 173
§. 32. Quæstio de Evchariſtia differtur. 176
§. 33. S. Edmundus Archiepiscopus Cantuariensis. 179
§. 34. Instauratio Cœnobiorum. 182
§. 35. Præparationes ad concilium Græcorum. 184
§. 36. Concilium Nymphænum. 187
§. 37. Concilii continuatio. 193
§. 38. Quæstio de azymis. 196
§. 39. Nunciorum reditus. 201
§. 40. Res Albigensium. 205
§. 41. Concilium Arelatense. 208
§. 42. S. Ludovici nuptiæ. 209
§. 43. Stadingorum clades. 210
§. 44. Guilielmus Papæ Legatus in Livonia. 212
§. 45. Ecclesiæ Hispaniæ. 213
§. 46. Sanctiones Gregorii IX Decretales dictæ. 214

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

§. 47. Conventus Spoletanus. 217
§. 48. Seditio Romanorum contra Papam. 220
§. 49. Cædes Episcopi Mantuani. 222
§. 50. Præparationes ad bellum sacrum. 224
§. 51. Concilium Narbonense. Inquisitio. 227
§. 52. Res Remenses ac Bellovacenses. 230
§. 53. Querelæ Gallorum contra Clerum. 234
§. 54. Papa Cleri postulationes fovet. 237
§. 55. Res Lombardicæ. 239
§. 56. Beata Agnes Bohema. 243
§. 57. Ferdinandus Corduba potitur. 247
§. 58. Judæi male habentur. 250
§. 59. Concilium Turonense. 251
§. 60. Robertus Capito Episcopus Lincolniensis. 253
§. 61. Cæsaris querelæ. Papæ purgatio. 255
§. 62. B. Jordani mors. 259
§. 63. Episcopatus Majoricæ ac Maroci. 265
§. 64. Alexander Papæ Legatus in Sardinia. 266

LIBER LXXXI.

§. 1. Otto Pontificius in Anglia Legatus. 267
§. 2. Conjunctio Equitum Christi cum Teutonicis. 271
§. 3. Papa S. Francisci stigmata affirmat. 273
§. 4. Eremitæ S. Augustini. 274
§. 5. Jacobitarum ac Nestorianorum cum Ecclesia Romana conjunctio. 276
§. 6. Petrus Malclericus Britanniæ Dux. 279
§. 7. Concilium Londinense. 281

§. 8. Decreta Concilii Londinenſis. 285
§. 9. Status Latinorum in Romania. 290
§. 10. Epiſtola Regis Hungariæ ad Papam. 293
§. 11. Papæ litteræ in Terram ſanctam. 295
§. 12. Concilium Conacenſe. 299
§. 13. Inſtauratio diſciplinæ monaſticæ. 301
§. 14. Legatus Oxonii offenditur. 302
§. 15. Plurium beneficiorum poſſeſſio condemnatur. 305
§. 16. Eccleſia Anglica. 309
§. 17. Occupatio Regni Valentini. 311
§. 18. Henricus Sardiniæ Rex. 315
§. 19. Papa Imperatorem proſcribit. 316
§. 20. Imperatoris apologia. 320
§. 21. Imperatoris de Papa querelæ. 323
§. 22. Reſponſum ad Papæ querimonias. 329
§. 23. Alia Papæ contra Fridericum epiſtola. 335
§. 24. Friderici reſponſum. 339
§. 25. Decreta contra Papam. 340
§. 26. Expeditio in Terram ſanctam retardata. 342
§. 27. Spinea Chriſti corona Pariſios delata. 345
§. 28. Concilium Turonenſe. 349
§. 29. Manichæi combuſti. 351
§. 30. Cenſuræ in provincia Remenſi. 353
§. 31. Eccleſia Anglica. 355
§. 32. Papa Principes in Fridericum concitat. 358
§. 33. Frater Elias iterum exauthoratus. 361
§. 34. Epiſtola ad Reginam Georgianorum. 365

§. 35. Altera Imperatoris apologia. 366
§. 36. Papa Imperium Francis offert. 369
§. 37. Papa ecclesiasticorum Angliæ proventuum quintam partem postulat. 373
§. 38. Clerus se opponit. 376
§. 39. Richardus Cornubiæ Comes in Palæstina. 379
§. 40. Obitus Jacobi Vitriacensis. 383
§. 41. Papa concilium convocat. 385
§. 42. Imperator se opponit concilio. 386
§. 43. Synodus Vigornensis. 390
§. 44. Mors S. Edmundi Cantuariensis. 392
§. 45. Fridericus bello insistit. 394
§. 46. Præsules in mari capiuntur. 395
§. 47. S. Ludovicus eorum libertatem flagitat. 399
§. 48. Hungaria vastatur a Tartaris. 400
§. 49. S. Hedwigis Polonicæ obitus. 405
§. 50. Papæ ac Imperatoris querelæ mutuæ ex occasione Tartarorum. 408
§. 51. Mors Gregorii IX. ac Cœlestini IV. 410
§. 52. Vacatio Sedis Apostolicæ. 412
§. 53. Rebellio Comitis Tolosani. 415
§. 54. Martyres Avenionetenses. 417

LIBER LXXXII.

§. 1. Innocentius IV. Papa. 419
§. 2. Papæ Legati ad Imperatorem. 422
§. 3. Diœceses Borussiæ. 426
§. 4. Ecclesia Anglica. 428
§. 5. Petrus Charlotus Episcopus Noviodunensis. 431

§. 6.

§. 6. Errores condemnantur. 432
§. 7. Querelæ de Religiosis Mendicantibus. 434
§. 8. Comes Tolosanus Papam sibi reconciliat. 438
§. 9. Pactio inter Papam & Cæsarem. 440
§. 10. Episcopi Norvicensis in Angliam reditus. 442
§. 11. Initia S. Richardi Episcopi Cicestriensis. 444
§. 12. Papa Genuam fuga petit. 447
§. 13. Papa pecunias ab Anglis postulat. 449
§. 14. Frater Elias a Papa condemnatur. 452
§. 15. Alexander Alensis. 454
§. 16. S. Ludovicus in comitiis Cisterciensium. 458
§. 17. Papa Lugdunum venit. 460
§. 18. S. Ludovicus ægrotat. 462
§. 19. Coresmiani Hierosolymis. 465
§. 20. Convocatio concilii generalis. 470
§. 21. Suantopulcii defectio a fide Christo data. 472
§. 22. Papæ ratio agendi. 474
§. 23. Concilium Lugdunense. 478
§. 24. Congregatio præmissa. 479
§. 25. Sessio prima. 482
§. 26. Altera sessio. 486
§. 27. Sessio tertia. 490
§. 28. Anglorum querelæ. 493
§. 29. Sententia contra Fridericum. 494
§. 30. Facta post exauthoratum Fridericum. 498
§. 31. Friderici ad S. Ludovicum litteræ. 501
§. 32. Papa sententiam tuetur suam. 504
§. 33. Sacri milites in Francia. 505
§. 34. Legatio Friderici ad S. Ludovicum. 507

§. 35. Papæ ac Regis colloquium Cluniacenſe 508
§. 36. Henricus Comes Provincialis in Regem Romanorum electus. 511
§. 37. Conſpiratio contra Fridericum. 513
§. 38. Sultani Ægyptii ad Papam epiſtola. 515
§. 39. Fridericus de hæreſi purgare ſe vult. 516
§. 40. Alterum Papæ cum Rege colloquium. 518
§. 41. Concilium Biterrenſe. Inquiſitio. 520
§. 42. Concilia in Catalonia. 524
§. 43. Gienna Mauris erepta. 527
§. 44. Sanctius Luſitaniæ Rex a Papa proſcriptus. 528
§. 45. Anglorum de Papa querimoniæ. 532
§. 46. Querelæ de Religioſis Mendicantibus. 536
§. 47. Collegium Ciſtercienſium. 537
§. 48. Eccleſia Danica. 539
§. 49. Epiſcopus Marocenſis. 540
§. 50. Novæ penſiones Anglis impoſitæ. 541
§. 51. Virtutes S. Richardi Ciceſtrienſis. 545
§. 52. Mors Henrici Comitis Provincialis. 547
§. 53. Papa Judæos protegit. 549
§. 54. Papæ vita non ſemel appetitur. 550
§. 55. Galliæ Procerum fœdus contra Clerum. 551
§. 56. S. Ludovicus ſacram expeditionem parat. 556
§. 57. Haquinus Norvegiæ Rex ſacræ crucis militiam amplexus. 558
§. 58. Guilielmus Batavus Romanorum Rex. 560
§. 59. Fridericus Parmam obſidet. 561
§. 60. Daniel Ruſſiæ Dux agnoſcit Papam. 562
§. 61. Miſſiones ad Armenos. 564
§. 62. Fratrum Minorum ad Tartaros miſſio. 568
§. 63. Cajuc-Canus Tartarorum. 573
§. 64. Miſſio Fratrum Prædicatorum. 578
§. 65. Joannes Parmenſis FF. Minorum Miniſter Generalis. 587
§. 66. Chriſti ſanguis in Anglia. 590

DISSER-

DISSERTATIO V.
IN
HISTORIAM ECCLESIASTICAM.

I. Academia Parisiensis & Bononiensis.

Divinæ Providentiæ ad conservandam sua in Ecclesia sanam doctrinam ultima per tempora serviit inter alia institutio Academiarum, sive Universitatum, quæ titulo tam magnifico non ante initium Sæculi XIII. donatæ sunt, quamvis aliquæ jam formatæ propemodum essent sub simplici scholarum nomine. Latinarum *Diss. 3. n. 21.*

ſucceſſionem usque ad finem ſæculi X. Diſſertatione tertia indicavi. Remenſis tunc erat celeberrima, qualis per totum ſæculum ſequens permanſit, & in Divo Brunone præcipuum ſuum habuit ornamentum. Eo referri poſſunt Roſcelinus Compendienſis, ac illuſtres duo fratres Anſelmus & Radulphus Laudunenſes, quia in provincia Remenſi docebant litteras.

Hiſt. Lib. LVII. n.31. Schola Pariſienſis a fine ſæculi X. inclaruit, ut legitur in Vita S. Abbonis Floriacenſis, qui Muſis operam ibi navavit: & forſitan commoratio noſtrorum Regum, qui tunc Pariſiis ſedem ſuam fixerant, ad attrahendos illuc egregios Magiſtros haud parum contulit. Hujus ſcholæ fama magnum cepit incrementum ineunte ſæculo XII. ſub Guilielmo* Campoſio ac diſcipulis ejus, qui juventutem ad S. Victoris erudiebant. Eodem tempore delatus Lutetiam Petrus Abailardus humaniora & Philoſophiam Ariſtotelicam tradendo ingentem in exiſtimationem venit: Alberi-

* de Champeaux.

Lib. LXVI. n. 22.

ricus quoque Remenſis ibidem conſcendit cathedram, & dialecticos omnes nominis celebritate ſuperavit, quamvis ſectæ Nominalium, cujus author Roſcelinus fuerat, adhæreret. Sed præcipuum ſcholæ Pariſienſis lumen Petrus Lombardus Pontifex fuit, quem ſuus ſententiarum Liber, circa dimidium ſæculi XII compoſitus, tam clarum reddidit. Is tanquam corpus Theologiæ perfectiſſimum, ut publice prælegeretur, electus eſt præ tot aliis ejusmodi collectionibus, quas ſub idem tempus Hildebertus Archiepiſcopus Turonenſis, Cardinalis Robertus Pullus, Rupertus Abbas, & Hugo a S. Victore in lucem ediderant. *Lib. LXX. n. 34.*

Sic inter eos, qui Canones collegerunt, orbi litterato nemo ſe probavit magis, quam Gratianus monachus, cujus opus eadem ætate Bononiæ in Italia exaratum illius ſcholæ famam, jam per Legum Romanarum ſtudia viginti abhinc annis renovata nobilem, auxiſſe videtur. Nam veriſimile eſt, ejus rei cauſa Longo- *Ibid. n. 28.* *Lib. LXX. n. 18.*

bardiam e longinquo petitam fuisse exempli gratia inter alios ab Arnol-
Spicil. tom. 2. p. 336. do Pontifice Lexovienſi. Et anno 1220 Honorius Romanus Pontifex in diplomate quodam memorabat, Bononiam ob cultum Muſarum per omnem terram celebrari laudibus.
Lib. 38. n. 34. Notandum etiam, Magiſtrum Sententiarum Novaria, & jam antea Lanfrancum Archiepiſcopum Cantuarienſem Ticino veniſſe: id quod in Longobardia ſucceſſionem Theologorum æque ac Jurisperitorum nobis indicat. Et vero antiquiſſimæ duæ Academiæ, quas ſciam, ſunt Pariſienſis & Bononienſis: vocatæque ſunt Univerſitates, ut conſtaret, eas complecti omnia, & in una eademque urbe doceri quaslibet artes liberales, ac ſcientias, quas addiſcendi cupidis diverſa prius loca adeunda erant.

II. Utilitas Academiarum. Hæc inſtitutio maximum Eccleſiæ emolumentum attulit. Doctores optime gnari, certa in urbe occupationem ac laborum mercedem ſe nacturos eſſe, veniebant ultro domicilium ibi collocaturi: litterarum ſtudio-

ſtudioſi de præclaris Magiſtris, & omnibus vitæ commodis illic inveniendis ſecuri, eo ſe turmatim conferebant undique remotis etiam e regionibus: ita Pariſios itum ex Anglia, e Germania, & omni Septentrionum parte, ex Italia, ex Hiſpania. Æmulatio fecit, ut ferverent ſtudia, quibus Doctores ac diſcipuli ſe certatim dabant: & fructuum maximus erat iſte, quod melius conſervaretur doctrinæ puritas, cum inter multos Magiſtros mutuo in conſpectu docentes vel minima novitas mox confutaretur. Facilius etiam æqualis tum doctrinæ ratio, tum docendi modus tenebatur. Tot auditores variis e terris, quod iisdem e fontibus hauſerant, ſpargebant domi, & ſuo tempore Magiſtri facti in ſua quisque patria docebant, quod Pariſiis didicerant.

Politica Academiarum inſtituta multum valebant ad ſtabiliendam doctrinæ ſanæ traditionem. Non, ut antea, cuilibet privato licitum erat docere, quando ſe credebat habilem:

debebat esse receptus inter Magistros artium liberalium, vel inter Doctores facultatum superiorum; & hi tituli non nisi per gradus tribuebantur post severa examina, & longa experimenta, ut respublica de peritia Magistrorum secura fieret. Totum corpus interponebat fidem suam, & si quis eorum erraſſet, hunc corrigendi jus habebat. Ex præscripto, quod anno 1215 Cardinalis Legatus Robertus Cursonius dedit, docentem Parisiis artes oportebat annos viginti & unum habere, ac saltem sexennium illis impendisse; ad tradendam Theologiam triginta quinque ætatis annos numerare, & octo in illam insumpsisse opus erat.

Hist. Lib. 77. n. 39.

Echard. sum. S. Ivo. vind. p. 230.

Fratres Prædicatores, jam inde a principio instituti sui Academiæ Parisiensi adjuncti, suos ad supremum Theologiæ gradum hoc modo promovebant. Ille, quem Ordinis Præpositus Generalis, aut Comitium Sacrum renunciaverat Baccalaureum, ut vocant, initium ducebat ab explicanda sententiarum materia in schola Docto-

Doctoris cujusdam, id quod per anni spatium agebat, cujus in fine Præfectus Monasterii, sive Prior, & Doctores eam tunc facultatem re ipsa tradentes Baccalaureum istum Ecclesiæ Parisiensis Cancellario (ut vocabulo notiore utar) sistebant, & jurati testabantur, illum ab ipsis judicari dignum, qui Doctoris munus exerceret. Post examina publica, & alios quosdam ritus solennes Baccalaureus inter Doctores relatus, altero anno pergebat Librum Sententiarum exponere in sua schola; nam cuilibet Doctorum erat sua. Anno tertio Doctor novus suam etiamnum scholam, subjectum sibi vero Baccalaureum habebat, sententias explicantem, quem anno elapso Doctoris dignitatem obtenturum ad Tabularii sanctioris Præsidem adducebat, sicut ipsemet ad eum adductus fuerat. Totum docendi munus tribus his annis absolvebatur salvis Thesibus, quas subinde defendere oportebat: sed hoc inde emolumentum provenit, quod nemo crearetur Doctor, nisi qui pu-

blice docuerat. Cæterum documenta non dictabantur e scriptis, verum Professor præparatus ea continenter, sermonum instar, pronunciabat, & auditores, quantum poterant, calamis excipiebant. Hunc morem in Academia stabilitum vidisse Fratres Prædicatores, & accepisse credibile est.

III. Collegia.

Institutio Collegiorum, quorum initia circa dimidium sæculi XIII facta sunt, magno fuit adjumento ad tuendam politicam Academiæ disciplinam, & ad continendos in officio auditores inibi commorantes. Religiosi ante alios exstruxere domos, in quas fratres suos scientiis conjunctim daturos operam, & a consuetudine cum hominibus profanis arcendos mitterent. Sic præter Fratres Prædicatores, Minoresque, quorum primas in ædes Parisienses totus Ordo convenit, etiam Bernardini (*) pro suis Collegia * Majoris Monasterii & Cluniacense condiderunt. Primis annumerandum venit Sorbonicum

Pasq. Recher. Lib. 9. c. 15.

* de Marmoutier.

Hist. Lib. 83. n. 47.

(*) Benedictini, ut asseritur in celeberrimo Lexico universali Trivultino seu de Trevoux.

cum, Clericis, qui Sæculares dicuntur, deſtinatum: & poſtea plerique Epiſcopi erexerunt dotaruntque aliqua pro pauperibus litterarum ſtudioſis e ſuis Diœceſibus. Hac arte ſatis quodammodo faciebant ſuo pene primario muneri erudiendi ac formandi Clerum ſuum, cum tantos Doctores, quanti publicis in ſcholis erant, ſuis in urbibus haud invenirent.

Porro diſciplina Collegiorum ad alumnos non litteris ſolum ſed & moribus Clero dignis imbuendos pertinebat. Vivebant communiter, divinum celebrabant officium, ſtatas ſtudiorum ac recreationum horas habebant, & plures Magiſtros vigiles, qui eos regerent, atque coërcerent: atque ita hæc Collegia erant parva quædam ſeminaria. Quid multa? Hæc inſtitutio, ac reliqua omnis Academiarum providentia tum communi aſſenſu excepta eſt, ut cunctæ Latini ritus regiones exemplum Franciæ ac Italiæ ſequerentur, & a ſæculo XIII novæ identidem conderentur Academiæ.

IV. Studiorum curſus.

Videamus modo, qualia fuerint illa ſtudia, quæ tanto ardore ſuſcepta ſunt, & an creſcente diſcentium docentiumque numero perfectionis apicem attigerint. Haud dubie hæc eorum erat intentio. Sed temporis infelicitas obſtabat. Bonorum guſtus ſtudiorum erat perditus, & nondum ſublatus error doctorum ſæculi noni, qui, dum volebant omne litterarum genus amplecti, accurate nihil percipiebant. Pro certo ſumebatur ſemper, admittendum ad lectiones Theologicas debere inſtructum eſſe artibus liberalibus, nimirum ſaltem grammatica, rhetorica, logica, ac cæteris philoſophiæ partibus: & inde ad nos venit certus iſte, qui etiamnum durat, ſtudiorum curſus. Conſilium erat optimum, ſi executioni dari potuiſſet: ſed vita hominum eſt nimium brevis, quam ut quamlibet earum artium perſcrutentur, ut ſperabatur, & tum demum ſcientiis ſuperioribus ſeſe impendant. Quodſi ponamus etiam felici cuidam ingenio id bene poſſe ſuccedere, non tamen

Hiſt. lib. 45. n. 19.

Diſſ. 3. n. 2.

Hiſt. lib, 20. n. 23.

tamen omnibus esset suadendum: præterea vera scientia Ecclesiastica omnibus his præludiis non habet opus. Antiquitas ne in Episcopis quidem ipsis ea exigebat: & S. Augustinus nominat illorum aliquem ex sua vicinia, quem, etsi litteras humanas non didicisset, Theologum tamen censebat adeo bonum, ut ad eum mitteret Proculejum Donatistam, quem in ruborem daret. Nempe probus iste Pontifex sat doctus erat per continuam Sacri Codicis meditationem, ac lectionem Authorum Ecclesiasticorum, qui sermone latino (hic ei patrius erat) scripserant. Litteris leviter tinctus videtur scire, quæ nescit, quod infra ignorantiam est. *Aug. Ep. 34. n. 166.*

V. Grammatica.

Grammatica secundum ideam Græcorum ac Romanorum, a quibus eam accepimus, & secundum rectum judicium debebat esse studium nostræ linguæ patriæ, ut ea emendate loquamur, & scribamus. At non hunc in modum grammatica nostris in scholis discebatur. Tantum aberat, ut linguis vernaculis applicaretur,

tur, ut hæ ſpernerentur etiam velut indignæ calamo ac ſeriis ſermonibus, ſed obſtinatis animis omnia ſcribebantur lingua latina, etſi per plura jam ſæcula nulla terrarum gens ea loqueretur. Attamen circa dimidium ſæculi XII cæpta eſt ſcriptio Romanica, ſeu Gallica illius temporis, conſiſtens fere ſolis in cantilenis, quibus arma & amores celebrabantur ad oblectandum, uti tunc dici ſolebat, ordinem Nobilium: atque hinc ejusmodi fabulæ vocatæ ſunt Romanicæ. Primum, quod ſciam, opus ſerium hac in lingua eſt Hiſtoria Ducum Normanniæ a quodam Clerico Cadomenſi, quem Magiſtrum * Vasſium appellabant, anno 1160 publici juris facta. Circiter 50 abhinc annis Godefridus Villarduinus ſoluta dictione ſcripſit hiſtoriam de capta Conſtantinopoli: & procedente tempore non Galli ſolum, ſed & Itali, ac Hiſpani paulatim audentiores facti ad ſcribendum ſermone patrio animos adjecerunt.

* Vace

Haud

Haud video tamen, illos hac prima ætate Grammaticæ ſtudium ad id applicuiſſe: ſed videntur eſſe veriti, ne hanc profanarent. Sic judico ex hiſtoria Villarduini, ubi eadem verba tam diverſis modis ſcripta conſpicio, ut illorum orthographiam & forſitan pronunciationem nondum fixam fuiſſe pateat. Nec diſtinctionem ſingularis & pluralis numeri, nec æqualem conſtructionem, & ut paucis dicam, nullam ibi regularum obſervationem invenio. Hinc factum, ut nomina peregrina haud modice deformarentur, & in Villarduino Toldres Liascres pro Theodore Laſcaris, in Maleſpino Florentino Pallioloco pro Paleologo, & Ghirigoro pro Gregorio, denique in aliis recentioribus Cecile pro Sicile inveniamus. Nec omittendum, quod illo tempore homines profani etiam maximæ dignitatis plerumque in litteris hoſpites eſſent, usque adeo, ut nec ſcribere ſcirent, nec legere. Igitur quoties epiſtola erat exaranda, accerſito cuidam clerico mentem ſuam aperiebant, qui,

quod

quod ad rem facere videbatur, latinis ſcribebat verbis, & acceptum poſtea reſponſum iterum vocatus explicabat. Unde inter epiſtolas Petri Bleſenſis plures videas, principum virorum ac fœminarum nomine ſcriptas, ubi non ſemper verbis, quæ illis maxime conveniſſent, uſus eſt.

Itaque non niſi linguæ latinæ cauſa grammaticæ dabatur opera, ſeu potius utrique ſimul, ut nos etiamnum facimus, eo diſcrimine, quod nobis latinitas, quam fieri poteſt, puriſſima monſtretur; illa vero ætas contenta fuerit dictione inculta & horrida, cujus reliquias in ſcholis philoſophicis æque ac theologicis videmus. Iſte ſæculi XIII & duorum ſequentium ſermo ſcatet verbis latinis a vero ſenſu ſuo detortis, vel conformatis ad linguas patrias, aut fœdatis admiſtione barbararum vocum ex aliis linguis petitarum, ut *guerra* & *treuga*, ita, ut qui non ſciunt niſi latinitatem probam, depravatam illam ſine ſtudio peculiari non intelligant: cui enim *miles* equitem, *bellum* pugnam

gnam mox indicat? Ex ratione contraria docti illorum temporum authores probe latinos non profanos solum, quibus carere forsitan potuissent, verum etiam Sanctos Ecclesiæ Patres Cyprianum, Hilarium, Hieronymum, Augustinum dimidia tantum ex parte intelligebant, ac sæpe, cum eorum verba legerent, sensa non assequebantur. Et quia non libenter legitur, quod non percipitur, neglectis sensim libris veterum legebantur novi ad intelligentiam magis accommodati: sic studium antiquitatis tanquam inutilis curiositas denique in contemptum venit. Quare grammatica in declinationes, conjugationes, & communissimas syntaxeos regulas redacta fuit. Quantum spectabat ad cætera, phrasin linguarum vulgarium sequi lubebat, e quibus mutua sumebantur nova quotidie verba, iisque latina tantum terminatio dabatur. Non deerat tamen huic abjectæ latinitati utilitas sua, fateor. Erat lingua cunctarum latini ritus gentium litteratis omnibus commu-

communis, qualis etiamnum est præsertim in Septentrionibus.

Illi, qui latino sermoni tam infeliciter studebant, eoque ad loquendum & scribendum assidue utebantur, græco & hebraico non erant intenti, quamvis Latini cum Græcis permisti ab expugnatione Constantinopolis cum his ac Judæis per Franciam & totam Europam reliquam diffusis necessarium haberent commercium. Sed frequens discendi opportunitas haud stimulat satis, nisi accedat curiositas. Etenim a bellis sacris Arabicam, Syriacam, & cæteras orientales linguas perdiscendi occasio eadem Francis obtigit: & tamen inter latinos Clericos per Orientem intra duo sæcula dispersos vix unum scio, qui studuerit his linguis tam necessariis ad cognoscendas Musulmanorum leges, sectam, & historiam, & ad evitandos errores maximos, qualis erat illorum, qui Mahometem in statuis adorari dicebant.

Ut

Ut Patres Græci legerentur, ob ignotam eorum linguam factæ sunt translationes, sed vitiosæ nimium: & raro admodum illis temporibus, de quibus loquor, allata video illorum testimonia, præterquam Joannis Damasceni, ac existimati Dionysii. Invenio tamen exempla quædam Latinorum, qui græce sciebant, & in lectione Patrum Græcorum versati erant: ut illi quatuor Religiosi mendicantes a Gregorio IX Summo Pontifice missi, ut cum Græcis consuetudinem jungerent, quorum errores in concilio Nymphæo anno 1234. tam fortiter oppugnabant. Mirum, quod discipulos non acceperint, quod eorum exemplo alii huic tam utili studio se non impenderint, & quod jam tum in scholas nostras Magistri, qui authores græcos explicarent, eorumque linguam docerent, introducti non fuerint.

Hist. lib. 70. n. 29.

Lib. 80. n. 20. 29.

Etiam paucos quosdam Christianos invenio, qui hebraice sciebant, ut præter Robertum Arondelium Anglum illi duo, qui Parisiis anno 1248

ad transferenda ſumma Thalmud ca-
Lib.83. n. 5. pita adhibiti fuere. Sed hoc ſtudium ad uſum optimum, ſcilicet ad intelligendum Sacri Codicis ſenſum litteralem, & ad traditionum Judaicarum cognitionem, quæ ad eundem finem ſervit, applicitum fuiſſe non video. E contrario harum traditionum memoriam extingui placuit, ut ex damnatione Thalmud apparet: nec ſentiebant Doctores noſtri, ſic laceſſi Judæos ſine ullo fructu. Quid enim volebant, cum hos libros flammis abſumendos traderent? eos prorſus abolere? Non a Judæis in Hiſpania & in Oriente extra Chriſtianorum ditionem commorantibus conſervari, brevique intervallo & modico ſumptu cum aliis communicatum iri cogitabant? Id ipſum evenit, & Thalmud tam bene eſt ſervatus, ut integer ac ſæpius typis impreſſus fuerit. Quem Chriſtiani avide in rem ſuam vertentes, omiſſis Rabinorum impiis fraudibus, fabulis, & ineptiis, inde cognitu digniſſima excerpſerunt, ut & ſacras litteras intelligerent, & Judæos

dæos propriis ipsorum armis impugnarent.

VI. Rhetorica & Poësis.

Post grammaticam rhetoricæ dabatur opera in Academiis nostris, sed ea ratione, quæ stylum corrumpebat magis, quam illustrabat. Earum rhetorica in meris metaphoris & exquisitis figuris consistebat, simplicem ac naturalem dicendi modum solicite vitans: id quod illarum scripta intellectu difficilia reddit. Vide Innocentii III, ejusque successorum, aut Petri Blesensis, ac præcipue Petri de Vineis epistolas, quæ tunc temporis tanquam exempla eloquentiæ, *pulchra dictamina*, in admiratione omnium erant. Hinc eum Malespinus in historia sua de Florentia bonum dictatorem appellat. *Ricord. Malesp. c. 131.* Præsertim phrases Divini Codicis affectabant, nec sententiis suis confirmandis, qui usus testimoniorum legitimus est, sed indicandis rebus communissimis adhibebant. Sic in historia non dicunt simpliciter: unus talis mortuus est, sed: conjunctus est cum patribus suis, vel: ingressus est viam universæ carnis.

Jam hæ phraſes ex hebraico ſermone totidem verbis translatæ etiam latinitatem eorum vitiant: & timendum eſt, ne illas materiæ aptandi gratia author quandoque mentem ſuam non aperuerit ſatis, & paulo plus minusve, quam volebat, dixerit.

Alius malæ illorum rhetoricæ fructus ſunt loci communes, quibus ipſorum ſcripta abundant. Illæ moleſtæ præfationes, per quas diplomata, conſtitutiones, ac privilegia Principum inchoantur, & inſulſa illa morum documenta, quæ ſermonum librorumque piorum pagina quævis offert, & quæ ſuas theſes generales ac nemini dubias ad res ſingulas non applicant, cum nulli ſint emolumento: habemus ſane, cur nos ſolemur de tot ejusmodi ſcriptis e ſæculo XIII ac XIV nondum in lucem editis: nimis multa typis excuſa ſunt.

Ad Poëſeos ſtudium quod attinet, tam modicum tunc erat, ut pigeat meminiſſe. Credebatur ſufficere, ſi menſura verſuum latinorum & ſyllabarum quantitas vel imperfecte diſcerentur;

rentur: & pro poëmate habebatur hiſtoria ex ordine narrata verbis barbaris ac ſtylo humili nec a ſoluta dictione diverſo, niſi quod numerorum neceſſitas expreſſiones minus genuinas quærere, ac voces inanes addere miſerum authorem coëgerit. Inſpice Vitam Mathildis Comitis a Domniſonio ſcriptam! Haud negaverim, Guntherum in ſuo Ligurino, & Guilielmum Bretonium in Philippide ſua efferri paulo altius, & ſenſa ſua politius proferre: ſed vix habent, quod non debeant phraſibus, quas e veteribus integras exſcripſerunt. Obſtricti tamen ſumus his rudibus Poëtis, quod traditionem ſyllabarum longarum & brevium, ac latinorum verſuum conſtructionem nobis conſervaverint. Cæterum in operibus ſeriis illorum temporum nihil venuſtatis cernitur; & authores haud oblectabat pulchræ naturæ imitatio, quæ poëſeos anima eſt.

VII. Hiſtoria.

Fictiones autem & fabulas multum amabant, infantibus ſimiles, quos magis afficit admirabilitas, quam veritas.

ritas. Hinc ne patriæ quidem hiſtoriæ ſtudium in ipſis ullum. Quidquid videbant ſcriptum, recipiebant ſine criſi, ſine diſcrimine facto; nec ætatem, vel authoritatem ſcribentium examinabant, ſed probabant omnia. Sic fabulam de Franco Hectoris filio, ac de Francorum e Trojanis origine amplexi ſunt omnes hiſtorici noſtri usque ad finem ſæculi XVI: ſic fuere, qui hiſtoriam Magnæ Britanniæ usque a Bruto, Scotiæ a Fergo, Hiſpanicam a Japheto, & alias ab aliis altiſſime repeterent. Quivis hiſtoricus aggrediebatur hiſtoriam univerſalem ab orbe condito ad ſuam usque ætatem, eoque congerebat ſine delectu, quidquid in libris ad manum poſitis invenerat. Tales erant Vincentius Bellovacenſis, & Sanctus Antoninus Florentinus Archiepiſcopus, quorum hiſtoriæ pro ipſorum temporibus, tanquam prototypa, utiles ſunt; quantum ad tempora priora pertinet, vix ſerviunt niſi ad perdiſcendas fabulas de iis ſerio enarratas. Inſuper memoratæ hiſtoriæ

ſtoriæ univerſales fere ſolam Europam reſpiciunt, dimiſſo ex oculis Oriente a ſæculi octavi initio, ubi Anaſtaſius bibliothecæ præfectus annalibus ſuis finem impoſuit.

Geographia non ſtudioſius quam hiſtoria, cui tam conjuncta eſt, colebatur, cum in libris veterum duntaxat, ut ſi mundus a tempore Plinii ac Ptolomæi non mutaſſet faciem, diſceretur, & in Palæſtina totoque Oriente quærerentur loca Sacris in Litteris nominata, & inter alia tot abhinc ſæculis everſa Babylon, cujus nomen modo Bagdetiæ, modo Cairo, novis urbibus dabatur. Unica ſoni convenientia faciebat, ut ſine ratione diceretur Alephum pro Alepum, Caiphas pro Hiffa, & Coroſania pro Corolania. Non conſulebantur regionis incolæ, ut conſtarent locorum vera nomina, certusque ſitus; & in terris quidem, ubi bellum gerebatur, quod accuratiſſimam non geographiam tantum ſed etiam topographiam poſtulat. Comperimus utique, quoties interierint Cru-

cigerorum exercitus, quod malorum viæ ducum fidei innixi, montes ac deserta, aliaque impervia loca adierint.

VIII. Sunt forsitan, qui dicant, humaniores litteras ob librorum raritatem neglectas, & animos ad scientias meræ ratiocinationis conversos fuisse. Videamus igitur, quomodo tractata sit philosophia, & a logica ducamus initium! Non tunc hæc, ut olim cum institueretur, ars erat recte ratiocinandi, ac veritatem per certissimas indagandi vias: erat facultas disputandi, & subtilitates infinitas afferendi in medium. Qui eam docebant, non tam erudire discipulos suos, quam eis admirationi esse, atque adversarios captiosis implicare quæstionibus volebant, pene similes veteribus sophistis, in quos Plato tam belle ludit. Joannes Salisburiensis, qui sæculo XII vivebat, queritur, quod aliqui vitam suam insumerent in logicam, & tractatui de universalibus totam insererent, quæ breve tantummodo eorum præludium esse deberet; alii cate-

Euthyd. Protag.

Metalog. lib. II. c. 7.

C. 16. III. 6. 1. 2.

categorias confunderent, eo quod mox in limine occasione substantiæ quæstiones omnes novem reliquis interponendas tractarent. Perpetuas ferebant lites de vocibus ac sensu negationum multiplicatarum: non nisi verbis arti propriis utebantur, nec credebant, se argumentum bene proposuisse, nisi id vocassent argumentum. Cunctis in quæstionibus, quæ cogitatione fingi possunt, versari cupiebant, & antecessores suos per omnia superare. Ita hic author testatur. L. c. 34

Nititur idem exemplis Doctorum veterum, quorum scripta in omnibus bibliothecis habentur, quamvis ea pauci legant. Inspice primum Alberti Magni volumen! quantumcunque est, nihil id tamen præterquam logicam continere videbis: unde sine examine ulteriore poteris concludere, authorem multas illi materias alienas immiscuisse, cum Aristoteles, qui maxima accuratione, quæ ad hanc artem vere spectant, pertractavit, parvo illam libro complexus

fuerit. Plus dico: hæc tam extenſa logica demonſtrat, Albertum ipſum non fuiſſe bonum logicum, nec ſcite ratiocinatum eſſe. Debebat enim conſiderare, quod logica ſit introductio ad philoſophiam, & inſtrumentum ſcientiarum, vitaque hominis ſit brevis, præſertim ſi conſtringatur annis ad litteras idoneis. Jam quid ſentires de homine curioſo, qui ad viſendum palatium magnificum tres horas nactus, unam in veſtibulo tranſigeret? aut quid cenſeres de artifice, qui ad opus perficiendum unicam habens diem, tertiam hujus partem ad præparanda, ornandaque inſtrumenta ſua impenderet?

Videtur mihi Albertus inſuper ſemetipſum ſimili modo debuiſſe alloqui: Decetne Religioſum & Sacerdotem in Ariſtotelem & commentatores ejus Arabes vitam inſumere? Quorſum ſervit Theologo tam amplum ſtudium phyſicæ generalis & particularis de curſu ac vi aſtrorum, de ſtructura mundi, de meteoris, de foſſilibus, lapidibus, & eorum cujuslibet

bet virtute? Non tantundem temporis ſubtraho divini Codicis, Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ, & Canonum ſtudio? Et poſt tot occupationes quantum mihi ſpatium ſupererit ad preces ac ſermones ſacros, quos inſtituti mei ratio poſtulat? Non me ſtudiis ſaluberrimis a labore manuum impeditum credunt ii, de quorum ſtipe vivo? Idem Scoto, idem Alexandro Alenſi, aliisque dicerem. Homines, qui Chriſtianam ad perfectionem aſpirare ſe profitebantur, meo judicio perperam agebant, cum tantum temporis darent ſtudiis cum Religione haud connexis, etiamſi bona in ſe ac ſolida eſſent. (*)

Sed

(*) Hæc criſis omnem excedit modum. Si Fleurio licuit hæc dicere tum Magno Doctoris Angelici Magiſtro, tum Doctori ſubtili, tum etiam Doctori Doctorum, utpote Divi Thomæ, Sancti Bonaventuræ, Scotique Præceptori, etiam mihi licet Fleurio dicere illud Virgilii: Parcius iſta Viris tamen objicienda memento! Accuratiſſime quidem tractavit Logicam Ariſtoteles, ſed libello comprehendit, ut Geographus tabella Regnum. Quando hic autem

Sed multum aberat, ut essent talia. Physica generalis pene nihil aliud erat, quam sermo receptus ad ea, quæ

tem singulis Regni provinciis singulas tabellas tribuit, aut omnes una cum finitimarum regionum partibus proximis in spatiosissimam tabulam refert, non ideo definit bonus esse Geographus. Eccur Albertus Magnus boni Logici famam amittat, quod singulas logicæ partes extenderit longius latiusque, & cum materiis affinibus in magno volumine fusius lectori atque clarius ob oculos posuerit? Sunt, qui tabellas & libellos ament. Sunt e contrario, qui tabulas & libros copiosos malint. Sunt etiam, qui & opuscula, & opera grandia cupiant, ac modo hæc, modo illa, prout res postulat, inspiciant. Ita comparati fere sunt artium & scientiarum Magistri. His, non discipulis scripsit Albertus. Logica dat aditum & servit ad omnes scientias: sic est. Atqui amplis palatiis ampla sunt vestibula: & instrumento communi deesse debet nihil eorum omnium, quæ vel necessitas exigit, vel sua commendat utilitas. Vitæ brevitas non solet esse tanta & tam communis, ut per eam non permultis licuerit libros in multiplici genere scientiarum quam plurimos componere: sicut illi, quos Albertus ipse contexuit, unum & viginti tomos, ut Gravesonius affirmat, conficiunt. Hinc utroque pede claudicat exempli utriusque cum materia nostra comparatio. Nam longissime aberat, ut Albertus tertiam virilis

ætatis

quæ nemo neſcit, verbis ſcientiarum propriis exprimenda; & phyſica particularis in fabulis potiſſimum & falſis opinionibus verſabatur. Etenim non

ætatis ſuæ partem logicæ dicaret. At enim tam diffuſa Phyſica generalis & particularis Theologiam non juvat: eſto! non ut Theologus, ſed ut Philoſophus illam ſcripſit. Etiam matheſis nihil eo confert: ergo Religioſo & Sacerdote indigna eſt? minime. Reclamant tot Academiæ celeberrimæ, in quibus Religioſi Sacerdotes eam communi cum applauſu tradunt. Hæ facultates a Religione alienæ non ſunt, immo ei famulantur. Nam teſte Apoſtolo ad Rom. 1. v. 20. *Inviſibilia Dei* (attributa & perfectiones) *per ea, quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur, ſempiterna quoque ejus virtus & Divinitas.* Sed & homines in ſacram Alberti familiam benefici illius operam in philoſophia multo melius quam in labore manuum collocatam cenſebant; e quo cognomen Magni nunquam adeptus eſſet. Scientias altiores & antea didicerat, & poſtea Superiorum juſſu docturus erat, quorum ad nutum cum ageret omnia, errare non poterat. Ne ſacris ad cœlum precibus quidquam detraheret, ſomno bonam noctis partem ſubduxit Vir piiſſimus, ac vel illis, vel ſtudiis dedit ſuis. Paucis: dignus eſt, qui omnium vocibus ſcriptisque celebretur potius, quam cenſoriæ ſeveritatis notam ferat.

non experientia, non natura consuli in se ipsa, sed in solis Aristotelis, aliorumque veterum libris indagari solebat. Ex quo rursus mala illorum Doctorum ratiocinatio liquet. Ut enim sic agerent, pro dogmate sumpserint, necesse est, quod Aristoteles falli non potuerit, omniaque in ejus scriptis certissima sint. Sed unde securi erant? per evidentiam rei, aut per serium examen? Communis illorum error hic fuit, quod in quovis litterarum genere certo cuidam libro se adstringerent, præter quem nihil in ulla materia quærebant aliud. Tota Theologia e Magistro Sententiarum, totum Jus Canonicum e Gratiano, omnis sacrarum Litterarum intelligentia e Glossa, ut vocant, Ordinaria petebatur: hos callere libros, horum doctrinam argumentis peculiaribus applicare cuivis unice in votis erat. Nemini venerat in mentem explorare, unde Gratianus singula collectionis suæ membra deprompserit, & quanta authoritate per se ipsa pollerent; quænam essent primorum

Pon-

Pontificum Romanorum decreta illa, tam sæpe ab ipso adducta; an Hieronymi vel Augustini nomine allata reapse ex his Sanctis essent; quid ea in operibus, e quibus descripta sunt, præeat & sequatur. Ejusmodi disquisitiones esse inutiles, aut fieri non posse videbantur: atque in his ipsis Doctorum nostrorum ratiocinationem imperfectam, & logicam vitiosam fuisse dico. Nam ad ineundam rationem solidam nulli parcendum labori, & tamdiu discutienda res est, donec inveniatur principium lumine naturæ perspicuum, vel authoritate, quæ falli non possit, firmatum.

Hoc esset medium faciendi demonstrationes, & ad veram pertingendi scientiam: verum teste Joanne Salisburiensi vix aut raro adhibebatur. Commendat is maximopere usum Topicorum Aristotelis, & notitiam veritatum probabilium, certas & necessarias, quæ nobis cognitæ sint, paucas esse affirmans. Fatetur etiam, Geometriæ in Europa parum studii fuisse impensum. Unde, ni fallor,

Metall. III. c. 6. & c. II. c. 13.

IV. c. 6.

lor, evenit, ut veteres Doctores noſtri tam modicas demonſtrationes, tam multas opiniones ac dubia libris inſererent ſuis. Omnium primus MagiſterSententiarum ubique his utitur verbis: Videtur; Eſt veriſimiſe; Poteſt dici. Et tamen plusquam alii debebat decernere, quia ſententias Patrum in ſpeciem contrarias inter ſe conciliandas ſuſceperat. Conſentio, veritates maxime ſtabilitas modeſte interdum poſſe proponi, ut fecit Socrates: hæc verborum moderatio non infringit, ſed confirmat argumentum. Cenſeo quoque, bonam fidem vetare, nequid aſſeratur, quod neſcitur. Sed contendo, Magiſtros proponendo dubia & opiniones inſtillando diſcipulis non conſulere, ut hi fiant docti. Nonne ſatius foret, ſi quæſtiones, quas decidendo pares non ſunt, omitterent, ac moventem eas diſcipulum nimiæ curioſitati modum ponere juberent, dicerentque, cum opus eſt: hac de re nihil ſcio. Supprimendæ ſunt materiæ, de quibus aliquid ſtatuendi principia deſunt.

Nec

Nec nisi solida graviaque objici debent, qualia principiis, ac veritatibus demonstratis opponi nequeunt. Singularum conclusionum oppugnatio facit, ut quævis quæstio in utramque partem probabilis videatur. Ut bene res fieret, in controversiam vocanda non essent, nisi quæ vir acri valens judicio reapse in dubitationem adducere posset.

Nam qui solum scit dubitare, nihil scit, & nihil minus est quam philosophus. Hominum plebejorum est opinari; id quod eorum fidem & agendi rationem incertam reddit ac levem, dum vel minimo veritatis radio mentis oculos perstringi sinunt, aut in errore obstinati hærent, quia vim contrariarum rationum non sentiunt. Vera philosophia nos docet advertere mentes ad principia manifesta, inde legitima deducere consectaria, & iis, quæ semel vera agnovimus, firmiter adhærere. Studium, quod dubitando assuefacit, simplice ignorantia pejus est; quia facit, ut vel is, qui scit nihil, scire aliquid, vel nihil omni-

no sciri posse credatur, in quo Pyrrhonismus consistit, nempe omnium pessimus animi sensus ab ipsa veritatis investigatione avertens.

IX. Ethica. Inter effectus, quos methodus topica, & veritates certas inveniendi desperatio habuere, maxime noxius fuit iste, quod in ethicam introduxerint opiniones probabiles, iisque authoritatem conciliaverint. Nec melius hæc philosophiæ pars, quam cæteræ, in scholis nostris tractabatur. Nostri Doctores contendendo de omnibus, & cunctas verisimilitudines extollendo assueti, etiam in materia morum invenerunt aliquas, & suis vel aliorum cupiditatibus obsequendi gratia sæpe a via recta declinarunt. Hinc in recentioribus Theologis moralibus tanta est doctrinæ laxitas, cujus originem in sæculo XIII deprehendo. Doctores tunc contenti erant certo propositionum numero, quarum consectaria sano judicio aut Evangelio non semper consentiebant. Sed illi conciliabant omnia per distinctionum suarum subtilitates simillimas

mas iis, quibus ejusdem temporis Rabini utebantur. Ethica principia non omnia tam evidentia sunt, quam geometrica: & judicium de rebus moralibus depravant impotentes animi motus; contra nullius interest, ut lineam rectam curvet, aut angulum obtusum diminuat. Sunt tamen etiam Ethicæ sua principia certa perinde (salva proportione) ut geometriæ: foretque error pernicioſus, illam in legibus humanis & arbitrariis unice fundatam credere. Ratio cunctis hominibus eam audientibus dictat, quod non ipsi se aut mundum eos circumdantem fecerint, & quod detur suprema quædam Natura, cui, quidquid sunt, debeant. Ratio monet, ut, cum ejusdem sint naturæ, se invicem ament, sibi mutuo cupiant ac præstent bona, quæ possunt, omnia, non nisi vera dicant, pacta & promissa servent. Lex vetus ac nova grandia ista principia confirmavit, e quibus recte ratiocinando singula ethicæ dogmata deducentur.

Hoc proin ſtudium adhiberi debet ad illuſtranda illa principia & trahendas inde conſequentias utiles, non ad examinandas quæſtiones prævias, an practica ſit ethica, vel theoretica, ſeu ſpeculativa, ut ajunt; nec ad diſputationes generales de fine ac mediis, de actibus & habitibus, de libero ac voluntario. Oportet, utprimum fieri poteſt, deſcendere ad ſingularia, & ad præcepta practica, nec immorari nimis virtutum & vitiorum definitionibus, ac diviſionibus, quæ ornando ingenio, & implendæ memoriæ, quam tangendo animo, & mutandæ voluntati aptiores cum ſint, faciunt, ut homo videatur doctus, nec fiat melior. Hic tamen ethicæ finis eſt unicus. Eleganter, aut indiſerte dicas, loquaris aut ſileas, ſi cui vitam probam perſuadeas, bonus ethicæ Magiſter es. Contra ſi Angelico polleas ingenio, nec diſcipulos tuos probiores reddas, ſophiſta es ac nugator. Nec habuit ſæculum XIII excellentiores ethicæ Magiſtros, quam S. Franciſcum, S. Dominicum,

&

& primos eorum discipulos, ut B. Jordanum, ac B. Ægydium Assisinatem, quorum sententiis vel pulcherrima philosophorum apophtegmata posthabuerim.

Hi enim sancti viri ethicam non in Aristotele, aut in commentariis ejus, sed in ipso Evangelio quærebant, cujus in assidua meditatione, ut in usum id deducerent, defixos habebant animos, & præcipuum in precatione studium ponebant suum. Et vero mirum est, quod Christiani Sacras Litteras tenentes in manibus ad perdiscendam ethicam Aristotele sibi opus esse crediderint. Haud eo inficias, quod bene cognoverit mores hominum, de iis recte differat, & apta ferat judicia: sed ejus ethica nimis humana est (ut eam vocat S. Gregorius Nazianzenus) & ille contentus est ratiocinari secundum placita communia: unde fit, ut exempli causa virtutibus annumeret Eutrapeliam, quam S. Paulus inter vitia ponit (*). *Orat. 33. p. 535.* *Eph. V. 4.*

(*) Eutrapelia derivatur ab εὖ τρέπειν *scite*

Euseb. præpar. lib. 15. Itidem SS. Patres spernebant hunc philosophum, quamvis eum perbene intelligerent, præsertim Græci, præter communem linguam etiam traditionem scholarum ejus habentes. *Hist. lib. X. §. 4.* Nostri autem Doctores sæculi XII & XIII solebant eundem velut oracula loquentem colere, philosophum per excellentiam dicere, & in sermone tantum latino, ac sæpe in translatione ex Arabico facta legere: nec sciebant antiquæ Græciæ mores, aut facta, quorum Aristoteles interdum ex occasione meminit: hinc toties erravit Albertus Magnus libros Politicorum commentariis exponens.

Siquis philosophorum a Christianis attente legi merebatur, is multo potius Plato erat, cujus ethica nobilior est ac purior: quia præjudiciis vul-

scite vertere, quod ad ingenium pertinet vel bene vel male adhibitum. Apostolus pro scurrili joco, Philosophus pro urbano lepore accipit, & inter virtutes haud immerito refert. Certe *omnia tempus habent*, ut ait Ecclesiastes *c. 3, v. 1.* & datur *tempus ridendi v. 4.* quo tempore Eutrapelia inter petulantiam & morositatem medium tenet.

vulgaribus detineri se non sinens, ad prima usque principia redit, ac perfectissimum semper indagat. Propius etiam, quam quisquam alius, accedit ad sententias Evangelicas, ideoque sæculorum primorum Patribus magno fuit usui, non ad condiscendam ethicam, quam melius per traditionem Ecclesiæ edocti erant, sed ad conjungendos Christo ethnicos, apud quos philosophi hujus authoritas grave habebat pondus. Quantum ad veteres Doctores nostros attinet, cum nullum Platonis locum, nullum ejus opus sigillatim memorent; non ipsis cognitum fuisse credo, nisi per Aristotelem aliosque antiquos, qui mentionem de illo faciunt.

X. Mores Academicorum

Jam de scholarum nostrarum ethica judicemus ab effectis, volo dicere, a moribus docentium discentiumque. In Magistris video multum ostentationis & vanitatis, per quam opinionibus suis adhærebant. Nam quibus e fontibus manare poterant tot inutiles quæstiones, tot subtilitates frivolæ, tot distinctiones futiles? S. Au-

guſtinus ne in diſcipulis quidem ſuis ea ferebat vitia. In quodam primorum operum ſuorum refert diſputationem duorum juvenum, quos erudiebat, Trigetii ac Licentii. Horum prior, *licetne*, ait, *redire ad id, quod leviter conceſſum fuit?* Reſpondet Sanctus: *Non licet inter eos, qui non veritatis perquirendæ, ſed ingenii pueriliter oſtentandi gratia diſputant. Quod ad me, non ſolum id permitto, ſed & jubeo.* Et Licentius addit: *In philoſophia non parum profeciſſe videtur is, quem magis juvat invenire veritatem, quam in diſputando palmam referre; quare lubens pareo.*

I. Cont. Acad. 3. n. 8.

Alia occaſione cum Trigetius protuliſſet propoſitionem, cujus ipſum pudebat, noluit eam ſcribi. Nam in doctis illis colloquiis S. Auguſtinus litteris mandari curabat, quidquid ab utraque parte dicebatur. Licentio ruborem ſocii ridente, Auguſtinus, *itane*, inquit, *agere decet? non ſentitis noſtrorum pondus criminum* (catholicam tunc quidem religionem amplexus, ſed nondum aqua vitali tinctus

ctus erat) *& ignorantiæ noſtræ tenebras? Quodſi ſaltem oculis tam infirmis, quales mei ſunt, videretis, quam inſanus ſit iſte riſus, mox eum verteretis in lachrymas. Miſeriam meam ne augeatis, precor, ſatis mea me mala gravant, quorum remedium a Deo quot diebus flagito, quamvis me agnoſcam indignum, ut illud tam cito obtineam. Si amicitiam mecum aliquam colitis, ſi capitis, quantum vos amem, & quanto ardore vobis idem, quod mihi, bonum cupiam, hoc mihi favoris exhibete! Si animis ſinceris veſtrum me Magiſtrum vocatis, mercedem mihi perſolvite, virtuti operam date!* Plura ne diceret, fletus prohibebat. Nec Doctores tamen, nec Clerici erant, quibus ita loquebatur, ſed juvenes diſcipuli, ne primis quidem Chriſtianorum ſacris initiati. Vide epiſtolam ejus ad Dioſcorum, in qua ſolide monſtrat, Chriſtiano parum ſolicitudinis convenire, ut credatur doctus, vel opiniones veterum philoſophorum reapſe ſciat. *Auguſt. Ep.* 118. *al.* 56.

Lege præparationes, quas S. Gregorius Nazianzenus exigit ad loquendum de Theologia; non dico, ad docendam eam, vel rite percipiendam, ſed ſimpliciter ad facienda verba de materiis Theologicis. Potes inſpicere methodum, quam ſequebatur Origenes adſciturus Chriſto homines litteratos, & ad religionem ſolide addiſcendam habiles redditurus. Denique Pædagogus S. Clementis Alexandrini oſtendit, quanta cura omnes tunc Chriſtiani generatim præpararentur ad doctrinam Evangelicam, ſemperque converſio morum pro fundamento poneretur.

Orat. 29. init. 33. p. 530.

Hiſt. lib. XVII. §. 52.

Greg. Thavm. in Orig. p. 62.

Hiſt. lib. V. §. 56. IV. §. 37.

Auſimne poſt hæc in memoriam tibi revocare mores noſtrorum ſtudioſorum talium, quales in hiſtoria ſecundum teſtimonia Scriptorum illius temporis depinxi? Scis, eos quotidie manus & inter ſe, & cum civibus conſeruiſſe; per prima eorum privilegia fuiſſe vetitum, ne Judices profani ipſorum crimina cognoſcerent; Summum Pontificem coactum fuiſſe Abbati ad S. Victoris facere copiam

Hiſt. lib. LXXV. §. 26.

Hiſt. lib. LXXVI. §. 60.

LXXVIII. §. 39.

LXXIX. §. 47.

piam reſtituendi eos ſacrorum communioni, qua per Canones privantur Clericorum percuſſores; illorum jurgia plerumque in caupona ex calore vini nimio plus hauſti cæpta ad extremam vim & ad cædes usque grasſata eſſe. Demum vidiſti horribilem illorum deſcriptionem a Jacobo Vitrio teſte oculato factam. Interea omnes hi ſtudioſi erant Clerici ad ſerviendum Eccleſiis, vel ad eas regendas deſtinati.

Hiſt. Ecc. c. 7

Hiſt. Ecc. lib. LXXVI. §. 60.

Probe intelligo, ad hujusmodi corruptelas non contuliſſe nihil Academiarum conſtitutionem: habebat enim ut ſuos fructus, quos initio notavi, ſic etiam incommoda ſua. Difficile erat in arcta diſciplina continere hanc multitudinem juvenum in ætate fervidiſſima, quippe jam ex ephebis exceſſerant, qui ſtudebant litteris. Congregati e diverſis regionibus, & per nationum, linguarum, propenſionum varietatem jam diviſi, procul a parentibus, Epiſcopis, ac Dominis ſuis non eadem obſervantia colebant Magiſtros peregrinos, ſæpe obſcu-

obſcuro & humili genere natos, quibus mercedem tribuebant. Denique ipſi Doctores inter ſe diſcrepabant, tum per opinionum diſſenſionem, tum per angorem aliquorum, quibus pauciores adhærebant, illis, quos plures ſectabantur, invidentium: atque his diſſidiis etiam diſcipuli implicabantur. Perſpicuum rei exemplum memineris in pervulgata illa contentione Religioſos mendicantes inter ac Doctores ſæculares, quorum caput erat Guilielmus de Sancto Amore. Quam callidis iſti artibus, quam mala fide litigabant, quot calumnias ſtringebant in adverſarios! An vero Religioſi non egiſſent melius, ſi eruditione contenti ſua, nec Doctorum titulum aucupati, Aulæ Romanæ & Gallicæ favoribus minus eſſent uſi?

Aliud in Academiis incommodum evenit ex eo, quod Magiſtri ac diſcipuli non eſſent occupati, præterquam ſtudiis ſuis: omnes erant Clerici; multi fruebantur Sacerdotii cenſu, ſed extra ſuas Eccleſias, ſine functionibus ac exercitiis Sacrorum Ordi-

Ordinum. Ita negligebant ea omnia, quæ pendent e praxi, modum tradendæ doctrinæ christianæ, administrandi divina mysteria, gubernandi animas: didicissent vero in patria, ubi Episcopum ac Sacerdotes vidissent obire munia sua, & sub eorum ductu servitutem sacram serviissent. Doctores Academiarum Doctores duntaxat erant, soli theoriæ intenti: id quod eis tantum temporis ad scribendum, & ad tractandas tam fuse quæstiones inutiles, atque tot occasiones æmulationis, & dissidiorum dabat, cum alii alios argutiis antevertere, ac res subtilius expendere vellent. Primis sæculis Doctores erant Episcopi, occupationibus magis seriis obruti. Vide epistolam S. Augustini ad Dioscorum superius a me laudatam!

XI. Theologia positiva.

Transeamus ad altiora studia, & a Theologia ordiamur! Tradebatur semper eadem doctrina in se spectata; nam JESUS Christus nunquam cessavit Ecclesiæ suæ ad præsidium præsto esse, ut spopondit: sed illam docendi modus permistus nævis fuit.

Inter

Inter omnes convenerat, Theologiæ fundamentum esse divinos libros secundum Ecclesiæ traditionem intellectos: sed mystico magis, quam litterario sensui adhærere lubebat, sive ob corruptum ætatis gustum, qui simplicia & naturalia omnia fastidiebat, sive ob difficultatem Sacri Codicis ad verbum interpretandi, ortam ex ignorantia linguarum originalium Hebraicæ nimirum & Græcæ, historiæque ac morum tam remotæ antiquitatis. Facilius erat iis, quæ latebant, mysticos sensus dare: & ista Sacras Litteras exponendi ratio magis placebat nostris Doctoribus acutius omnia excutere solitis.

Non me fugit, sensus figuratos quovis tempore in Ecclesia valuisse; occurrunt nobis in primorum sæculorum Patribus, ut in SS. Justino & Clemente Alexandrino; occurrunt in ipso Codice sacro, ut allegoria de geminis fœderibus per duas Abrahæ uxores significatis. Sed cum epistolam S. Pauli ad Galatas non minus quam librum Geneseos instinctu divi-

Gal. IV. 24.

no

no ſcriptam eſſe ſciamus, æque ſecuri ſumus de hiſtoria & hujus applicatione, quæ illius in epiſtola memorata loci ſenſus eſt litterarius. Aliter loquendum de ſenſibus figuratis, quos in Origene, S. Ambroſio, & S. Auguſtino legimus: illi enim dici poſſunt peculiares horum Doctorum cogitationes, niſi antiquioris traditionis authoritate nitantur. Nec ſequi tenemur ejusmodi expoſitiones, niſi quatenus includunt veritates conformes illis, quas alibi Scriptura offert ſpectata in ſenſu litterario. Hic eſt, qui ſemper adhiberi debet ſtabiliendo dogmati: hic ſolus eſt, qui diſputanti pro demonſtratione ſervire poſſit.

Ex Patribus latinis omnibus non video quemquam, qui in ſenſibus figuratis ita ſit frequens, ut S. Gregorius, merito tamen inter præcipuos Eccleſiæ Doctores ſemper numeratus, præſertim in Anglia, quæ eum quaſi Apoſtolum colit ſuum. Porro Anglia Germaniæ & Galliæ per ſæculum VIII & IX Doctores dedit.

dit. Hæc forſitan eſt ratio, cur ſcholas noſtras ſubierit amor allegoriarum cum reverentia erga S. Gregorium, & aſſidua ejus operum lectione conjunctus. Sed ille guſtus non eſt res utiliſſima ex iis, quæ ibi continentur: multo majus emolumentum parient ejus epiſtolæ, diſciplinam verasque regulas regiminis Eccleſiaſtici tam bene pertractantes.

Cum ſenſus figurati eſſent in pretio, nominum propriorum ſignificatio ac etymologia ſolicite quærebatur, ibi myſteria inveniendi cauſa: ſed illa indagatio bene vertere non poterat, niſi cognita prius linguarum natura, litterarumque ac pronunciationum convenientia. Præterea ex ſignificatione nominum cognoſci quidem, cur ſint impoſita, ſed nulla conſequentia deduci poteſt. Illa vero Scripturam ſic explicandi licentia eo usque progreſſa eſt, ut eam apud ingenioſos homines de religione male edoctos in contemptionem adduceret: habebant eam pro libro, qui nequiret intelligi, per ſe ipſum nihil ſigni-

significaret, & interpretum ludus esset. Religiosiores alii eam legere non audebant ex desperatione eandem intelligendi sine auxilio tot commentariorum, quibus indies onerabatur, & quos ad penetranda ejus mysteria necessarios putabant. Sic & contemptus, & veneratio Sacræ Scripturæ fecerunt, ut ejus studium omitteretur.

XII. Abusus Allegoriarum.

Allegoriis omnium maxime abusi sunt illi, qui ex eis principia statuerunt ad trahendas inde consequentias vero Scripturæ sensui contrarias, & ad nova dogmata fundanda: talis est notissima illa de duobus gladiis allegoria. JEsus Christus tormentis proximus ad discipulos suos dicit, eos opus habere gladiis, ut vaticinium impleretur affirmans, eum inter malos numeratum iri. Subjungunt illi: *Ecce duo gladii hic!* Ipse reponit: *Satis est.* Sensus litterarius est evidens. Sed allegoriarum amantibus placuit asseverare, quod hi duo gladii pariter e materia constantes denotent duas potestates, quæ orbem

Luc. XXII. 38.

terrarum regunt, ſacram & profanam. Quod Chriſtus dixerit: *Satis eſt*, & non: eſt nimium, ut indicaret, eas ſufficere, ſed utramque neceſſariam eſſe. Quod ambæ pertineant ad Eccleſiam, cum ambo gladii inter manus Apoſtolorum ſint: ſed quod Eccleſia per ſemetipſam ſolummodo ſacram exerceat poteſtatem, profanam vero per manum Principis, & huic illius uſum permittat. Quod ideo Chriſtus ad Petrum dicat: *Mitte gladium tuum in vaginam!* ut ſi diceret: tuus eſt; ſed propriam manum ei admovere non debes: Principis eſt, ut eum ſtringat te jubente ac gubernante.

Joan. XVIII. 11.

Interrogo quemvis hominem ſano judicio præditum, an talis explicatio non ſit luſus ingenii, & an ratiocinationem ſeriam ſtabilire poſſit? Tantundem aſſero de allegoria duorum luminarium, geminis itidem poteſtatibus ſic applicata, ut Sacerdotium ſit luminare majus, & ſolis inſtar luce propria illuſtret; Imperium autem ſit luminare minus, & inſtar lunæ

Gen. I. 16.

lunæ non habeat lucem ac vim nisi adscitam. Siquis his Scripturæ applicationibus inniti, & inde consectaria trahere velit, ea simpliciter negare nobis integrum est, ac reponere, quod in his locis tanquam mere historicis mysterium nullum sit quærendum; quod illa duo luminaria sint sol & luna, & nihil aliud; quod illi duo gladii sint duo enses bona instructi acie, ut ferrum S. Petri. Nihil amplius unquam demonstrabitur.

Interim hæ duæ allegoriæ tam frivolæ sunt grandia illa argumenta eorum omnium, qui a Gregorio VII Ecclesiæ in Principes plenissimo jure imperantes potestatem etiam quantum ad res profanas attinet, tribuerunt contra expressa Scripturæ verba & constantem traditionem. Nam JEsus Christus clare sine figura & sine parabola dixit: *Regnum meum non est de hoc mundo.* Et alibi: *Reges gentium dominantur eorum: vos autem non sic.* Non datur vel astutia, vel ratiocinatio, quæ possit eludere tam plana testimonia. Et vero

Jo. XVIII. 36.

Luc. XXII. 25. 26.

vero per ſeptem minimum vel octo ſæcula ſecundum litteram accepta ſunt, nec in myſterium verſa. Vidimus, omnes veteres & inter alios S. Gelaſium Romanum Pontificem aperte diſtinxiſſe duas poteſtates illas; & quod majus eſt, hanc doctrinam deduxiſſe in uſum, Epiſcoposque ac ſummos Pontifices ipſos Regibus & Imperatoribus etiam ethnicis ac hæreticis, quantum ad res profanas ſpectabat, omnino paruiſſe.

Gelas. ep. 8.
Hiſt. lib. XXX. §. 31.

Primus author, in quo allegoriam de duobus gladiis invenio, eſt Godefridus Vindocinenſis initio ſæculi XII. Joannes Salisburienſis illam eo provexit, ut affirmaret, Eccleſiam, cum gladium Principi dederit, tenere jus eum ipſi adimendi: & quia inſuper docet, non licitam ſolum, ſed laudabilem eſſe cædem tyranni, facile apparet, quo usque progrediantur illius doctrinæ conſectaria. Plerique Doctores ejusdem ſæculi inſiſtebant allegoriæ de duobus gladiis: & quod magis mirere, ipſi Principes una cum ſuis adverſus Romam defenſoribus non

Hiſt. lib. LXVII. §. 26.
Godef. opuſc. 4.
Policrat. lib. IV. c. 3.
Hiſt. lib. LXX. §. 85.

non eam rejiciebant, consequentias ejusdem coërcere contenti. Hic erat effectus crassæ laicorum ignorantiæ, eos in omnibus, quæ ad litteras & doctrinam pertinebant, Clericorum mancipia reddentis. Illi vero Clerici eisdem in scholis eruditi eandem doctrinam e libris iisdem hauserant. Sic Imperatoris Henrici IV contra Summum Pontificem Gregorium VII propugnatores, ut legimus, solummodo asserebant, illum non potuisse sacro feriri fulmine, alioquin imperio privandum confessi. Fridericus II Concilii universalis judicio se submittens, si adscriptorum sibi criminum, præsertim hæreseos convictus esset, dignitate se sua merito exuendum haud negabat. Qui S. Ludovico a consiliis erant, nihilo magis sapiebant, Fridericum, si reus esset, deserendum rati. Vide, quo usque procedant malorum studiorum effectus!

Lib. XXXI. §. 21.

LXXXII. §. 34.

Malum enim principium semel positum, cum ad usum redigitur, malas sine numero consequentias trahit,

ut hæc de Ecclesiæ in res profanas potestate sententia. Postquam recepta est, exteriorem Ecclesiæ faciem mutatam vidimus. Episcopi tum non precibus & improborum conversione se occuparunt, sed pacis aut fœderum consilia Principibus suggerendo, eos ad bellum contra hostes Ecclesiæ stimulando, vel etiam pœnis sacris, ac sæpe armorum vi cogendo. Ad has pias expeditiones necesse fuit pecuniam tanquam belli nervum e Clero populoque elicere pœnas tum sacras (censuras vocant) comminando, tum pro peccatis debitas remittendo. Ita hæc negotia generalia illis peculiaribus, quæ suæ cuique possessiones facessebant, jungen-
2. *Tim. II.* 4. tes, & contra interdictum Apostoli occupationibus profanis obruti, Ecclesiæ utilius servire se credebant, quam si munera sibi propria implevissent.

XIII. Traditio.

Redeamus ad Theologiæ studium! Præter Scripturam traditione nititur; quæ ut caput doctrinæ Christianæ, sive articulum fidei stabiliat,

biliat, debet esse perpetua & universalis, omni tempore recepta, & omnium Ecclesiarum quæstionem examinatam perspicientium assensu confirmata. Talia sunt illa dogmata, quæ symbolis aliisque conciliorum generalium decisionibus, aut fide dignis plerorumque ab ortu Ecclesiæ Doctorum scriptis continentur. Itaque rejiciendæ sunt omnes putatæ traditiones in operibus suppositiis, aut in sententiis singularibus vel novis fundatæ: novum autem hac in materia dicitur, quidquid post Apostolos natum scimus. Nam, ut Tertullianus loquitur, haud licet nobis invenire, immo nec quærere nova post Evangelium. Quare nulla ratiocinatio Theologica fulciri potest operibus suppositiis (e quorum numero sunt Isidori Decretales, ut vocantur) nec ullius Doctoris quantumvis aliunde venerabilis opinione privata, qualis est illa Millenariorum per quosdam veteres propagata. Denique cum de opinionis initio constat, vel ideo certum est, nunquam declaratum iri, quod

Præscript. c. 6. 8.

Hist. lib. V. §. 2.

Hist. lib. III. §. 15.

Lib. VII. §. 51.

quod illa ſit de fide (ut cum ſcholis loquar) quidquid opponant illi, qui refragando maxime incaleſcunt: quia de fide eſt, Eccleſiam nunquam eſſe credituram niſi ea, quæ ſemper credidit, quamvis illa explicare poſſit clarius, quando id neceſſarium judicat. Operam ludunt, qui ratiocinantur, ut oſtendant, rem ita ſe habere debuiſſe, atque id, quod aſſerunt, divina bonitate vel ſapientia eſſe dignius: demonſtrandum eſt, quod DEUS id voluerit, ac nobis patefecerit: demonſtrandum, non quod Eccleſia id debuerit credere, ſed quod reapſe crediderit.

Traditio fit per informationem viva voce traditam: ſed ut nulla oblivione deleatur, plurimum juvant ſacræ litteræ. Proſpexit etiam hac in re DEUS Eccleſiæ ſuæ. S. Joannis Evangeliſtæ ac S. Polycarpi ejus diſcipuli diuturna vita effecit, ut traditio deveniret ad S. Irenæum, qui eam tam ſolicite conſervabat ſua in memoria, & ad ſæculi ſecundi finem vivebat. Magnam illius partem

Hiſt. lib. XIV. §. 17

I. Strom. p. 274.

tem in scriptis reliquit suis, ut S. Clemens Alexandrinus, pariter Magistros nactus, qui viderant Apostolos; id quod istorum aliorumque I ac II sæculi Patrum libros tam pretiosos reddit. Eadem Dei providentia per intervalla nobis dedit alios SS. Doctores, fideles traditionis apud se depositæ custodes, quibus curæ fuit eam ad successores suos transmittere: & hinc e sex primis sæculis tot scripta Patrum accepimus. Verum hi thesauri nihil emolumenti afferunt illis, qui eos vel ignorant, vel negligunt. *Hist. lib. IV. §. 36.*

Atqui hæc erat infelicitas Doctorum sæculi XIII & XIV, quod pauca cognoscerent opera Patrum præcipue antiquissimorum, ac necessariis ea bene intelligendi mediis carerent. Libri non erant perditi, sed existebant, cum etiamnum eos habeamus: sed exemplaria illorum rara, & in bibliothecis veterum cœnobiorum abdita, ibique modico usui erant. Ibidem S. Ludovicus Rex illos quæri, describique ac multiplicari jussit non *Hist. Lib. LXXXIV. §. 4. 5.*

non ſine magno ſtudiorum emolumento. Hinc in lucem prodiit Vincentii Bellovacenſis grande illud opus, ubi exempla tot Authorum veterum etiam profanorum exſcripta videmus. A ſæculo priore magnum numerum eorum in ſcriptis Joannis Salisburienſis laudatorum conſpicimus: ſed hæc privatorum quorundam curioſitas erat. Studioſorum, immo etiam Doctorum plerique paucis utebantur libris, quos recentiores fere authores exaraverant: hos enim quam veteres melius intelligebant.

Oportet meminiſſe, quod illi, qui eo tempore litterarum ſtudia potiſſimum exercebant, Religioſi mendicantes fuerint. Per auſteram vero paupertatem, quam profitebantur, vix eis licebat libros, qui magno tunc pretio conſtabant, emere: vitaque actuoſa, & cœnobio minime affixa non iis permittebat ſpatium illos ſua manu deſcribendi, ut faciebant monachi dotati, ac ætatem domi agentes, quibus illa occupatio per multa

ſæcula

sæcula peculiaris erat. Hæc sine dubio causa fuit, ob quam novi Theologi tantopere amabant ratiocinationem, quæstiones curiosas & subtilitates, quæ solum ingenium sine lectione, sine factorum examine postulant.

Sed non considerabant, hac studiorum ratione sensim sine sensu traditionem disciplinæ corrumpi. Sine accurata factorum notitia volentes exempli gratia de divinis mysteriis sive Sacramentis differere, sumebant pro certo, hæc eodem semper modo administrata esse, quo ea ipsorum ætate procurari cernebant; & interdum meras ceremonias, ut unctionem & traditionem calicis in conferendo Sacerdotio pro rei capite habebant, cum tamen hoc in manuum impositione consistat. Sic Græci videbantur adigendi ad quatuor Ordines minores ante majorem suscipiendos. Sic etiam necessarium putabatur habere aras portari solitas & ornamenta in longissimis etiam itineribus, & in sacris expeditionibus sive

ve missionibus remotissimis. Antiquitatis ignorantia est, quæ fecit, ut hæ regulæ crederentur sanctissime observandæ, cum interim ponderosiores aliæ negligerentur.

Mirum tamen, per tempora tam infelicia & in tanta suppetiarum raritate Doctores nobis tam fideliter conservasse depositum traditionis, quantum ad doctrinam spectat. His debitam laudem libenter tribuo, & ascendens sublimius deprædico pro viribus illum, qui, ut promiserat, nunquam cessavit Ecclesiam tueri suam. Peto solum, ut illi Doctores in suo ponantur gradu, nec extollantur altius; ne dicantur attigisse perfectionis apicem, ac debere nobis exemplo esse; demum, ne primorum sæculorum Patribus præferantur.

XIV. Fama docentium,

Magnifici tituli Doctoribus quibusdam adscripti sequentia fallebant sæcula. Albertus dicebatur Magnus, veluti si tantum eminuisset inter Theologos, quantum Alexander inter Belliduces. Scotus vocabatur Doctor subtilis

subtilis. Aliis adjecta sunt epitheta: *Irrefragabilis*, *Illuminatus*, *Resolutus*, *Solemnis*, *Universalis*. Sed ne nos fascinent hi grandes tituli, videamus, an non potius eorum, qui hos dabant, malum gustum, quam eos gerentium merita demonstrent: ex illorum libris, qui nostris sunt in manibus, de re judicium feramus? Ad me quod attinet, fateor, in Alberti operibus me nihil magnum, præterquam voluminum granditatem ac numerum conspicere.

Revocemus in memoriam, hos Theologos floruisse eo tempore, cujus cætera monumenta omnia nobis nullo sunt in pretio, saltem si cum celebri antiquitate comparentur. Cogitemus ætatem veterum Romanorum, quorum exempla descripta in Fochetio habemus; ætatem Joinvillii & Villarduini, quorum historiæ quantumvis utiles ac ex nativo lepore suo jucundæ, nobis videntur rudes; ætatem ædificiorum Gothicorum, quæ plena parvis ornamentis tam *Hist. Poët.*

tam parum placent, ut ea imitari architectorum nemo voluerit. Rite autem obſervavimus, in quovis ſæculo certum regnare guſtum, in omnia operum genera diffuſum. Quidquid nobis reſtat ex antiqua Græcia, ſolidum, venuſtum, ac exquiſiti guſtus eſt: ædificiorum, ſtatuarum, numiſmatum reliquiæ ejusdem in genere ſuo characteris ſunt, quem habent ſcripta Homeri, Sophoclis, Demoſthenis & Platonis: ubique regnat bonum judicium, & pulcherrimæ naturæ imitatio. Nihil habent ſimile, quæcunque nobis ſuperſunt ab occaſu Romani Imperii usque ad dimidium ſæculi XV, quo ſcientiæ artesque liberales erigere ſe cæperunt diſſipatis tenebris, quas populi Septentrionum Europæ toti obduxerant.

Hinc deſtruitur præjudicium ſatis frequens, quod ſcientiæ ſemper perficiantur magis, quod inventis addere ſit facile etiam mediocri ingenio, & quod nanus in gigantis humero ſedens longius videat, quam gigas ipſe. Admitto generales has propoſitio-

sitiones: sed nostræ materiæ applicari posse nego. Illi, qui doctrinæ ac methodo veterum addere velit, perfecta ejus cognitio opus est, quæ vero deerat nostris Doctoribus, ut paulo ante dixi: sic pumilio in terra positus modicum habebat prospectum. Præterea scientiæ & artes, quæ indies perfectiores evadunt, humanæ sunt inventiones: sed vera Religio est opus Dei, à quo integram suam perfectionem mox accepit. Apostoli & discipuli eorum doctrinam salutis omnem, eamque tradendi modum optimum callebant.

XV. Methodus scholastica.

Sed nonne verum est, scholasticos inveniisse commodiorem, accuratioremque Theologiæ docendæ methodum? nonne solidior est certiorque illorum stylus, quam plerorumque veterum? Hoc dici equidem sæpe audivi, sed affirmare nequeo: nec unquam mihi persuadebitur, usque ad sæculum XII in scholis christianis nullam fuisse methodum. Credo, me id demonstrasse secunda Dissertatione n. 14. 15.

ne mea, ad quam redire tibi placeat, velim. Verum eſt, plerosque veterum integrum Theologiæ corpus conficiendum haud ſuſcepiſſe, ut fecerunt Hugo de Sancto Victore, Hildebertus Turonenſis, Robertus Pullus, & tot alii eorum exemplo. Attamen in quibusdam ſuorum operum totam Religionis ideam nobis dederunt; ut S. Auguſtinus, qui ſuo Enchiridio omnia, quæ credenda ſunt, eaque docendi modum libro doctrinæ chriſtianæ complectitur. Etiam doctrinæ compendium videmus in expoſitionibus ſymboli, & in catecheſibus, ethicæ vero epitomen in aliis quibusdam tractatibus, ut in Pædagogo S. Clementis Alexandrini.

Quid ergo antiquis deeſt? forte quod non quivis eorum curſum Theologicum integrum dederit, easdem ſemper materias definire ac dividere, easdem rurſus quæſtiones tractare incipiens? Fateor, hodiernos id egiſſe, ſed melius docuiſſe Religionem non video. Hujus methodi effectus,

fectus, qui maxime sub sensum cadit, est, quod orbem innumeris repleverit libris tum impressis, tum etiamnum manu scriptis, qui grandibus in bibliothecis perpetuo quiescunt, cum nec utilitatem habeant, nec decorem, quo lectores alliciant: quis enim hodie Alexandrum Alensem, vel Albertum Magnum legit? Difficile captu est, quomodo authores, quorum multi senium non attigere, tam multa scribendi spatium invenerint: timendumque, ne tanto brevius ad meditandum adhibuerint.

Si volebant, ut est verisimile, geometricam tenere methodum, debebant ordiri a principiis æque certis, ac sunt eorum definitiones & axiomata, scilicet in materia theologica ab ipsis Scripturæ locis, vel a propositionibus lumine naturæ notis. Observavimus autem, Doctores nostros Scripturam sæpe in sensibus figuratis & impropriis exponere, ac pro principiis sumere axiomata malæ philosophiæ, vel cujusdam scriptoris profani testimonia. Consectaria talibus

e principiis deducta cum non concludant, salva fide ac recta ratione negari possunt, ac ejus modi argumenta solam ratiocinationis speciem habent. His contentos tamen homines nimium multos etiamnum cernimus, qui nihil discunt nisi memoriter, & ratiocinari se credunt, dum repetunt argumenta memoriæ mandata, quæ boni judicii trutina non examinarunt. Rationes proin meliores sed sibi novas rejiciunt, nec aliter, ac consueverunt, judicant.

XVI. Stylus docentium.

Geometrarum non methodum modo, sed etiam stylum nullo præditum succo, nulla varietate gratum imitati sunt Doctores nostri: nec considerabant, in studio geometrico persuasionem ingenii per figuras foveri, philosophicis autem in materiis ac præsertim in ethica non fulciri nisi per exempla, vivasque affectuum, virtutum ac vitiorum picturas. Sed nec docentis mores exhibet aridus ille stylus, quo etiam homo sceleſtus uti potest de ethica differens. Cæterum non sum ferendo, eam scriben-

di

di rationem in Magiſtris inſuper laudari tanquam breviorem ſimul ac ſolidiorem. Haud negaverim, ſtylum dogmaticum debere ſimplicem eſſe, ac præter claritatem brevitatemque ornamentum ei nullum quærendum. Sed huic ſimplicitati ſua gratia, ſua dignitas eſt. Abjecta, rudia, languida nihil unquam proſunt. Simplicitas ſtyli dogmatici non impedit puritatem linguæ ad illum adhibitæ: immo qui melius loquitur, intelligitur facilius: & nihil eſt minus idoneum ad docendum, quam ſingularis dictionis affectatio, quæ ſtudio præcipuo prævium ſermonis ſtudium ſuperaddit. Scio, cuivis ſcientiæ, cuivis arti ſua eſſe verba propria, plerisque hominum ignota: ſed non ſunt applicanda præterquam rebus, quibus in lingua vulgari nomina deſunt, quia plebs eas non cognoſcit, vel non attendit.

Ars interpretandi ſcuta gentilitia, ſive ars Heraldica, verſa in ſcientiam myſticam, cujus tota fere ſumma eſt rebus communiſſimis nomina extra-

ordinaria imponere, ſicut & illud, quod laudi daretur dicere *gueules*, & *ſinople* pro *rouge*, ruber, & *vert*, viridis, patrum noſtrorum inſcitiam indicat. Idem affirmaverim de modis loquendi venaticis, aliisque ſimilibus, qui memoriam onerant, ingenium non illuſtrant.

Hoc autem in vitium delapſi ſunt ſcholaſtici, dum ſibi cudebant dictionem ſingularem, ab omnibus linguis vulgaribus & a vera latinitate diſtinctam, quamvis ab hac ortam. Neceſſe tamen non fuit, cum quilibet philoſophari poſſit ſua bene loquens lingua. Opera Ariſtotelis optime græce, philoſophica Ciceronis perbene latine ſcripta ſunt: & ultimo ſæculo Deſcartius doctrinam ſuam clara ſermonis gallici puritate expoſuit, ſtyloque brevi & accurato, qui dogmatici exemplum eſſe poteſt. Non igitur materia petiit hoc dictionis genus, ſed ſæculi XIII ac ſequentium malus guſtus in ſcholas noſtras introduxit.

Alius

Alius error est credere, quod aridus, adstrictus, & unius per omnia formæ stylus brevior sit & clarior sermone ordinario & naturali, in quo libertas sumitur variandi phrases, & quasdam figuras applicandi. Hic stylus, ut ita dicam, in proplasma fusus pressusque longior est, præterquam quod fastidium creet, cum in quavis pagina eædem repetantur formulæ, exempli gratia: De hac materia tres fiunt quæstiones: Ad primam sic proceditur: sequuntur tres objectiones: deinde: Respondeo, dicendum: Postremo veniunt responsiones ad oppositа. Diceres, authorem inevitabili necessitate cogi, ut eodem semper modo loquatur. Iterantur in qualibet linea verba artis propria: propositio, assertio, probatio, major, minor, conclusio, & cætera. Hæ autem repetitiones longius producunt ratiocinationem. Unde venerint, bene video. Majores nostri erant oppido rudes quinque aut sex abhinc sæculis: litterarum studiosi per ea tempora non sciviſſent oppo-

ſitionem, ſive objectionem a probatione diſtinguere, niſi res ipſis veluti digito monſtrata eſſet: oportebat ſuo quæque nomine appellare: en objectio! en reſponſum, inſtantia, corollarium! Argumenta in formam redacta etiam diſputationem haud paulo longiorem, eumque, qui concluſionem mox videt, moræ impatientem reddunt: levat illum enthymema, vel ſimplex propoſitio, e qua cætera omnia colligi queunt. Syllogiſmus integer reſervari deberet ad raras occaſiones evolvendi ſpecioſum ſophisma, aut veritatem abſtractam ob oculos ponendi.

Interea ſtylo ſcholaſtico aſſueti non agnoſcunt argumenta, quæ forma ſyllogiſtica induta non ſunt. Eccleſiæ Patres videntur eis Oratores, ne dicam, loquaces, quia nativo ſermone, ut in colloquiis fit, animorum ſenſa explicant; quia interdum interrogatione, exclamatione, aliisque figuris ordinariis utuntur: nec vident ſcholaſtici, figuras & ingenioſos

ſos eloquendi modos parcere verbis, ac ſæpe per vocem in loco poſitam præveniri aut averti oppoſitionem ſeu objectionem ipſos diu occupaturam.

An vero nullo in numero ponenda eſt fuga tædii ac faſtidii, quod aridus, macilentus & ejusdem ſemper ſoni ſtylus non poteſt non afferre? Num ſtudia ſeria jam hoc ipſo moleſta ſunt & operoſa? Non pridem notatum eſt, quod, qui docendo utile dulci miſcet, omne punctum ferat? Hæc ſtyli ſcholaſtici duritas abſterret tot juvenes, & ſtudia ipſis per omnem vitam odioſa reddit, poſtquam aliquot annos in collegiis ac ſeminariis hanc dictionem audiendo, & abſtractas tractando quæſtiones, quas ſibi prodeſſe haud vident, transegerunt. Informatio eſt nutrimentum ingeniorum: cum eam damus, ſequamur ordinem naturæ, ſeu potius divinæ ſapientiæ, corporeo, quod nobis largitur, alimento jungentis oblectationem, quæ vehicu-

lum ejus est, & suavi quadam necessitate nos inducit, ut conservemus vitam, & vires reficiamus. Imitemur SS. Basilium & Augustinum, qui cogitationum solidæ subtilitati amænas expressiones, ac delicatos dicendi modos sociant; qui non quæstiones frivolas & pueriles, sed oppositiones ab hæreticis suorum temporum re ipsa factas nobis proponunt; qui non dubiis & opinionibus, sed veritatibus certis nos pascunt; qui doctrinæ in materiis etiam abstractissimis unctionem conjungunt. En viæ duces, quos sequatur Theologus!

XVII. Canonistæ. Canonistæ sæculi XIII eandem cum Theologis methodum, eundem stylum tenuere: minus tamen traditionem doctrinæ pro fundamento conservarunt, disciplinam non esse tam immutabilem, quam fidem, ut verum est, persuasum sibi habentes. Dissertatione priore detexi radices hujus mutationis, authoritatem nempe falsarum Decretalium, omnium-

omniumque Gratiani collectionum; & opinionem, quod Summus Pontifex sit, supra Canones, ac potestas ejus nullis cancellis circumscripta sit. Ex eo tempore magis magisque a regulis antiquitatis discessum est, quarum ne cognitio quidem quærebatur: Canonici jurisprudentia facta est arbitraria, &, quod consequitur, incerta per nimiam constitutionum novarum prioribus vim derogantium multitudinem, ac denique per solutiones ab illis legibus, quas antiquare in religionem vertebatur. Doctores Decretum Gratiani ac Decretales Gregorii IX in scholis explicare soliti, earum interpretationes seu Glossas fecerunt, quarum celebritas quidem, non item utilitas magna est nisi forsan ex eo, quod capita & locos inter se convenientes satis bene indicent. At hi interpretes difficilia antiquorum Canonum verba non exponunt, nec ipsimet intelligebant; & constitutionum causas occasionesque historicas vix unquam referunt. Illud, quod vocant

earum casum ponere, nihil est aliud, quam in margine propria loci nominati verba scribere. Quandoque eruditionis suæ ostentandæ gratia etymologias afferunt, verum sæpe ridiculas, qualis illa est vocis *Diabolus* in principio Decretalium. Præcipuus illorum labor est e loci verbis complexiones & consequentias ducere alii materiæ applicandas, plerumque ad stabiliendam callidam litium artem.

Gloss. in c. 1. de Sum. Tr.

I. Consid. c. 9. 10. Hist. lib. LXIX. §. 45.

Hic enim spiritus erat, qui tum regnabat. Vide querimonias S. Bernardi de causarum patronis in Curia Romana, & ex hac de aliis tribunalibus judica! Vide magni Concilii Lateranensis, ac præsertim primi Concilii Lugdunensis Canones: & intelliges, quo usque tunc processerit subtilitas advocatorum, ut cunctas eluderent leges, earumque speciem iniquitati obtenderent: hoc est, quod spiritum subdolarum litigandi artium voco. Porro advocati & procuratores forenses, in quibus

bus ille ſpiritus dominabatur, erant Clerici: hi ſoli tunc Canonici & Civilis Juris prudentiæ, velut etiam arti medicæ, aliisque facultatibus operam dabant. Monachis quidem, non autem Clericis a religioſa lege liberis ſive ſæcularibus vetitum erat, ne illas publice profiterentur. Si ſola vanitas, & aliis antecellendi ſtudium philoſophis, theologisque tot malas ſubtilitates ſuggeſſit, ut nullum diſputandi finem facerent, & nunquam victas manus darent: quanto fortius aviditas lucri advocatos eo ſtimulabat! & quid dicam de tali Clero? Spiritus Evangelii merus eſt candor, mera ſinceritas, charitas & agendi ratio ab omni cupiditate aliena. Multum aberat, ut harum virtutum tam expertes Clerici alios eas docerent.

Epiſcopi aliique Superiores bonum commune unice ſpectantes, & in iisdem ſcholis eruditi his malis mederi non ſatis ſciebant; ut videmus in eorum conſtitutionibus, quæ maxi-

maxima ex parte ad ordinanda singula faciendorum capita, & ad levanda incommoda peculiaria tendunt, sed radicem mali non tollunt. Debebat ædificium a fundamentis redintegrari, & novus institui Clerus, e litteratorum optimis quibusque, ut olim, electus, per longa experimenta examinatus, & ad sacrum ministerium ex sola meritorum consideratione evectus. Vide illa, quæ hac de re dixi Dissertatione secunda. Abs-
§. 6. que his providis cautionibus sapientissimæ leges in contemptum veniunt, &, quod consequens est, nullum pariunt emolumentum. Sed ad formandum talem Clerum oportuisset Episcopos nec privatis suis servire commodis, nec suis propinquis ad sacras dignitates promovendis studere, & Principum eas filiis suis in familiarum levamen cupientium conatibus fortiter obsistere. Saltem disciplinam veterem cognoscere conveniisset: sed libri eam continentes non legebantur amplius.

Ergo

XVIII. Idea ſtudiorum meliorum.

Ergo legamus eos modo, cum noſtris ſint in manibus: repetamus rem altius & a fontibus, qui ſunt conſtitutiones Apoſtolicæ, Canones Nicæni aliorumque primorum Conciliorum, Epiſtolæ Canonicæ SS. Baſilii & Gregorii Thavmaturgi, litteræ S. Cypriani, & aliorum Patrum. Illas, quas nobis veterem diſciplinam edocendis aptiores credebam, in hiſtoria memoravi. Et quia e ſæculo noſtro exire, ac hodiernum, ex quo vivimus, morem mutare haud poſſumus, pervolvamus etiam conſtitutiones novas, & libros Canoniſtarum: ſed contenti ſimus eos ſequi, quatenus opus eſt, ut nos accommodemus ad præſentem rerum ſtatum: nec tamen illos admiremur, & claudamus oculos, ne in iisdem videamus errata, inſcitiam, antiquitatis ignorantiam, malas ſubtilitates, abjectos animorum ſenſus. Revocemus ſemper in memoriam dignitatem puritatemque antiquorum canonum ad conſervandos bonos mores, & ad Evangelii praxin confirmandam unice tendentium!

Sic

Sic etiam salva proportione Theologiæ studium instaurari posset, ac res jam longe processit. Academiis incommoda accidit sui institutio in tempus incidens, quo bonorum studiorum gustus amissus erat: sed intra plures quam ducentos annos paulatim repertum (ut per historiæ decursum videbimus) in rem suam verterunt. Discendis doctorum linguis, vulgaribus excolendis, perficiendisque, historiæ & criticæ multum laboris impensum est, sicut indagini librorum in quovis genere originalium, quorum correctæ sunt editiones factæ. Nihil supereſt, quam ut proficiamus e sæculi nostri felicitate, ac materiam tam bene præparatam elaboremus.

Existimo autem, optimum ad hunc finem medium esse, si servemus in studiis sobrietatem, quam in opi-
Rom. XII. 3. nionibus tenendam S. Paulus nobis commendat, ne discamus nisi quæ scire possumus, & ab illo, quod maximi momenti est, ducamus initium!

Codicem

Codicem Sacrum assidua versantes manu insistamus sensui litterario simpliciſſimo rectiſſimoque sive ad dogmata, sive ad mores spectet. Cunctas quæstiones prævias Theologiæ generatim, & cujusque Tractatus sigillatim succidamus! Mox in materiam intremus: videamus, quales Scripturæ loci nos obligent ad credendam SS. Trinitatem, individuam naturæ divinæ cum humana conjunctionem, cæteraque mysteria; & quomodo Ecclesiæ authoritas dictionem ad exprimenda ea, quæ de illis credimus, necessariam præscripserit. Dei opera scire nobis sufficiat, seu per experientiam nostram, seu notitia e cœlo hausta cognoscamus: nec in quæstiones periculosas, quid fieri potuerit, aut convenerit, ingrediamur!

Quantum ad ethicam attinet, tenenda sunt grandia illa principia in sacris litteris tam clare proposita, charitas, sinceritas, animi submissio, privatæ utilitatis neglectus, sensuum custo-

cuſtodia, & præſertim cautio, ne viam ad cœlum per tempus complanatam, & diſciplinæ per ultima ſæcula remiſſioris uſu ipſo authoritatem contra Evangelium acquiſitam eſſe credamus. JEſus Chriſtus venit in mundum, non ut ſtabiliret cultum Dei exteriorem, & novas cerimonias inſtitueret; ſed ut *adorari Patrem in ſpiritu & veritate* curaret; ut *mundaret ſibi populum acceptabilem, ſectatorem bonorum operum.* Quæcunque ethica ad formandum talem populum non tendit, ex Deo non eſt.

Joan. IV. 23.

Tit. II. 14.

HISTO-

condemnaverat, ideoque Episcopi sacros Ordines non conferebant nisi jurantibus, se illis haud molestos fore: eam praxin tanquam sacrilegam seu simoniacam Concilium Bliterranum damnat. Præcipit Patronis Ecclesiasticis, seu Parochis primariis, ut in obnoxiis sibi parœciis Parochos seu vicarios perpetuos cum portione congrua constituant. Vult etiam, ut habentes beneficium animarum cura præditum per ademptionem annuorum fructuum cogantur conveniente tempore se sacerdotio inaugurandos sistere: alioquin utroque indignos fuisse censendos dicit. Clerici status sui privilegio frui volentibus vetatur, ne arma gerant præterquam belli tempore: & hæ duæ conditiones notatu dignæ sunt. Reliqua ad Religiosos spectant, indicantque remissam tunc temporis in monasteriis disciplinam.

Sæcul. XIII. A.C. 1233.

Sup. Lib. LXXIII. §. 21.
c. 8.
c. 11.
c. 12.
c. 13.

§. XXVII.

Universitas Tolosana.

Interim Gregorius Papa Universitatis Tolosanæ institutionem per Tractatum Parisiensem an. 1229 cæptam approbavit tanquam efficacissimum fidei hac in provincia ab hæreticis purgata conservandæ medium. Itaque Academicis Tolosanis eandem, quam Parisiensibus con-

epist. 28. to. XI. conc. p. 364.
Sup. Lib. LXXIX. §. 50.
Sup. Lib. LXXV. §. 26.



HISTORIA ECCLESIASTICA.

LIBER LXXX.

GREGORIUS IX. PAPA.
FRIDERICUS II. IMP. OCCID.
JOANNES BRIENNIUS IMP. ORIENTIS.

§. I.

Christianorum victoriæ in Hispania.

Christiani in Hispania victricia circumferebant arma Maurorum diffidia & labantes semper Almohadarum vires in rem vertentes suam. Alphonsus Sæcul. XIII. A.C. 1230. *Luc. Tuden. Chr.*

Sæcul. XIII. A.C. 1230.

sus Legionis Rex Emerita veteri urbe per vim potitus, relata de barbaris ingente victoria, Bagoxum obsidione cinctam paucis diebus cepit; Elvamque & plura alia loca a Mauris deserta coloniis frequentavit. Ita onustus spoliis & gloria plenus cum rediisset domum, Deoque & S. Jacobo, qui cum militibus candido indutis habitu barbaros impugnans apparuisse dicebatur, gratias egisset, omnia in apparandum rursus bellum convertit consilia: sed religionis causa suscepto Compostellam versus itinere, Villænovæ Delemos in Gallæcia morbo correptus, receptis per Episcopos divinis Mysteriis mortem oppetiit 25 Septembris Æræ 1268, Christi 1230 anno, postquam quadraginta duos annos regnaverat. Compostellæ in templo S. Jacobi proxime patrem suum terræ mandatus est. Succedens ei Ferdinandus filius Castellæ Regnum, quod jam possederat, cum Legionensi iterum conjunxit.

IV. epist. 80. *ap. Rain.* 1230. *n.* 34.

ep. 83. *ibid. n.* 35.

Romanus Pontifex Gregorius IX audito armorum Christianorum felici successu, sacros Legionensis Regni milites, ut bello parta conservarent, augerentque, litteris commonuit, noxarum indulgentiam pollicitus. Etiam Gregorio Compostellæ Archiepiscopo scribens in mandatis dedit, ut Emeritæ ac Bagoxo antiquis urbibus Canonicos, Episcoposque in

in præsens tantummodo designaret, ea conditione, ut deinceps Pontificum electio ad Collegium Canonicorum ex communi jure pertineret: epistola data est 29 Octobris. Emerita priscis temporibus notissima erat ac Lusitaniæ metropolis: Bagoxus, ut fert opinio, est vetus *Pax Augusta.* Sæcul.XIII. A.C.1230.

Jacobus Arragoniæ Rex unum & viginti annos solum natus nuperrime Mauris Insulam Balearem Majorem eripuit. Tarracone post concilium Ilerdam profectus, ibi cum multis Aulicis suis e manu Legati Joannis Abbavillii crucem acceperat: tum conscensa numerosa classe sub initium Septembris anno 1229 delatus in Insulam, & intra quatuor menses ea potitus ultimo ejusdem anni die urbem principem intraverat. Huic bello intererant duo Episcopi, Berengarius Barcinonensis, ac Lopæus Ilerdensis: Michaël Ordinis Prædicatorum e primis S. Dominici Sociis, ad pugnam præ quovis alio militibus animos per suas fervidas exhortationes addidit. A prospera expeditione Rex Cataloniam sub finem Aprilis anno 1230 repetiit. *Ind. rer. Arrag. to. 3. Hisp. ill. p. 75 Sup. Lib. LXXIX. §. 58.*

Festo omnium Sanctorum die Populeti in Abbatia Cistercienſium prope Montem Album Diœceseos Tarraconensis, ubi Arragoniæ Reges sepeliri solebant, Senatum habens, Majoricæ Episcopatum

Sæcul. XIII. A.C. 1230.

erigendi consilium proposuit, cui Barcinonensis Antistes & Canonicorum Collegium se opponebant, illam ad Diœcesin suam spectare causati. Nitebantur autem donatione anno 1058 facta, per quam Ali filius Mugeidæ, Dianii in Regno Valentino, & Balearium Insularum Dominus consenserat, ut omnes terrarum suarum Ecclesiæ perpetuo Diœceseos Barcinonensis essent; vetueratque, ne Sacerdotes cæterique Clerici harum Ecclesiarum ab aliis Episcopis Sacros Ordines, & Sanctum Chrisma peterent. Hinc constat, tunc etiamnum Musulmannos in magnum Christianorum numerum dominatos esse. Illam donationem plures Episcopi & Sancta Sedes confirmaverant.

App. Marcæ Hisp. n. 249.

to. 7. Spicil. p. 211.

Nihilominus in Comitiis Populetensibus Berengarius cum Canonicis suis considerans, ab urbe ac Regno illo Sacrorum Præsulem posci, Regemque novam Ecclesiam liberaliter dotare velle, assensit, ut Majoricæ Sedes Episcopi constitueretur, quem in præsens Jacobus, deinceps vero Antistes ac Canonici Barcinonenses si fieri possit, ex Ecclesia sua, si non e Majoricensi vel alia bona Regis Arragoniæ venia eligerent; idemque observaretur, si Minorica vel Ebusus Ecclesiam Cathedralem acciperent. Ita transactum est Populeti 6 Novembris anno 1230. Igitur Rex misit, qui ejus nomine

ne Summum Pontificem oraret, ut Majoricæ Sedem Episcopalem erigeret. Reposuit ille: *Ecclesia Cathedralis magnifice dotanda est, ut Antistes & Canonici honorificos fructus annuos percipiant, cum alioquin illius dignitas in contemptum veniret. De tua vero in Ecclesiam Majoricensem liberalitate nihildum vidimus. Quare precum tuarum effectum distulimus.* Dabat epistolam 20 Decembris anno 1230. Attamen post annos septem annuit. Sæcul.XIII. A.C.1230.

§. II.

Equites Teutonici in Borussia.

Christiana Religio etiam in Septentriones se extendebat, ejus promulgationem juvantibus armis. Christianus e monacho Cistercienſi Borussiæ Episcopus cum aliquot fratribus Prædicatoribus barbaros ad Christi castra traducere conabatur. Postquam Borussi ethnici per aliquod tempus cum novis Christi cultoribus pacem servaverant, in Masovia, cui Dux Conradus imperabat, cruento eos bello petebant, & illo primos hostium impetus non retundente, progressi longius, ingentem Poloniæ vastitatem inferebant. Incensæ domus, necati viri, imbellis ætas, sexusque in servitutem abstracti. Ducentæ quinquaginta paræciæ flammis consumptæ præter sacella & cœnobia

V. Sup. lib. LXXVII. §. 19. LXXIX. §. 6. Chr. Pruss. par.2 c.1.2.3 p. 28. &c.

Sæcul. XIII. A.C. 1230.

tam Religioſorum, quam Virginum. Sacerdotes & Clerici ad ipſas aras trucidati, divina myſteria calcata pedibus, vaſa ſacra profanos ad uſus adhibita ſunt.

c. 4. Dux Conradus hos barbaros muneribus placare fruſtra conatus, ſuadente Epiſcopo, cui nomen Chriſtiani fuiſſe diximus, exemplo Equitum Chriſti in Livonia, Ordinem Militarem, qui pallium album gladio rubro & ſtella inſignitum portaret, inſtituit. Hoc amictu Epiſcopus Brunonem virum meritis clarum ac tredecim alios induit, quibus arcem Dobrinum Dux condidit, & inde nomen dedit. Convenerat inter eum ac Equites, ut æquam facerent partitionem eorum, quæ bello barbaris eriperent. Qui re comperta magno numero venerunt Dobrinum, & tam arcta obſidione clauſere, ut vix quisquam novorum Equitum foris ſe monſtrare auderet.

c. 5. Itaque hoc ſubſidium eſſe nimis debile videns Conradus, Equites Ordinis Teutonici fortitudine, potentia, & opibus celeberrimos advocare ſtatuit, & hoc conſilium cum quibusdam Epiſcopis & regionis ſuæ Nobilibus viris communicavit; quod una omnes voce probabant, addebantque, Equites Teutonicos Summo Pontifici, Imperatori, ac Germaniæ Principibus eſſe acceptiſſimos: ſperandumque, in eorum gratiam Romanum Ponti-

Pontificem sacros milites Borussiæ auxilio missurum esse. Ergo Conradus solemnem legationem ad Hermannum Salezarium Ordinis Teutonici tunc Magistrum adornavit. Qui post plures deliberationes ex consilio Gregorii Papæ, ac Imperatoris Friderici Ducem Masoviæ voti damnavit: & publicæ litteræ consensus Cæsarei datæ sunt anno 1226. Igitur Eques Conradus Landsbergius ab Hermanno Salezario in Masoviam missus, ibi publicas accepit tabulas, per quas Dux Conradus Fratribus Ordinis Teutonici omnem agrum Culmensem pleno semper jure possidendum, omnesque terras, quas barbaris adimere possent, addixit. Huic donationi eodem anno 1226 factæ Guntherus Masoviæ, Michaël Cujaviæ, Christianus Borussiæ Episcopi subscripsere. Talis fuit Equitum Teutonicorum in Borussia institutio, quæ magni momenti effectus habuit. Papa, ut illis belli cum ethnicis gerendi suppetias procuraret, ad universos Magdeburgi, Bremæ, Poloniæ, Pomeraniæ, Moraviæ, Holsatiæ, Gothiæ Christianos scripsit, eos ad arma ductu Equitum Teutonicorum Borussiæ ethnicis inferenda exhortans. Litteræ datæ sunt 13 Septembris anno 1230. Eodem tempore scripsit etiam Fratribus Prædicatoribus, quos ad hanc sacram expeditionem animat, & Duci Masoviæ, quem

Sæcul. XIII. A. C. 1230.

not. ad c. 5.

ap. Rain. 1230. n. 25.

IV. epist. 61. 62. 63. ap. Rain. n. 23. 24.

Sæcul. XIII. A. C. 1230.

laudat, quod suas in terras eos acciverit.

§. III.

Universitas Parisiensis instaurata.

Sup. Lib. LXXIX. §. 54.

Scholæ Parisienses manebant desertæ: Magistri & auditores in varia dispersi loca, nisi satis sibi factum esset, non se redituros juraverant. Fratres Prædicatores occasione utendum rati, Episcopo Guilielmo, ac Ecclesiæ Parisiensis Cancellario consentientibus, cathedram Theologicam domi suæ erexerunt: ad quod haud parum contulit existimatio, quam Jordanus Ordinis Præpositus Generalis collegerat, & magnus docentium, discentiumque, qui hunc ordinem ingressi fuerant, numerus: hi enim Magistri mutatis vestibus docendi munus suspenderant potius, quam abdicaverant. Utprimum Gregorius Papa perturbationem Parisiis factam, & studiosorum discessum audiit, ut malis remedia afferrentur, illo jubente Episcopi duo Cenomanensis, ac Silvanectensis, & Archidiaconus Catalaunensis inter Regem ac Universitatem sua bona officia interposuere, ita ut hæc pro factis sibi injuriis & insultationibus satisfactionem acciperet, ac revocata Lutetiam libertate sibi a Philippo Augusto concessa frueretur. Epistolam Papa dederat 24 Novembris anno 1229. Episcopus Ce-

Douboulai to. 3. p. 138.

III. epist. 88. 89. 95. ap. Rain. 1229. n 52.

Dubulai p. 135. 136.

noma-

nomanensis erat Mauritius, quem anno 1231 Papa ad Archiepiscopatum Rothomagensem transtulit: Episcopus Silvanectensis fuit etiamnum Guerinus Philippi Augusti consiliorum arbiter, 19 Aprilis anno 1230 mortuus. Sæcul. XIII. A.C. 1230.

Sub idem tempus Papa Regi Ludovico, ac Reginæ Blancæ ejus matri epistolam scripsit, cujus hoc erat initium: Regnum Francicum jam diu excellit tribus virtutibus, quæ Sanctissimæ Trinitatis Personis peculiari quodam modo tribuuntur, potentia nimirum, sapientia, & bonitate. Francia est potens per fortitudinem virorum nobilium, sapiens per eruditionem Cleri, & bona per clementiam Principum. Verumtamen si harum qualitatum extremæ carent media, in vitia degenerant: nam sine sapientia potentia fit insolens, & bonitas imbecillis. Concluſit Papa Regem ac Reginam adhortando, ut tribus curatoribus, quos nominasset, benignas præberent aures, eorumque consilia celeriter executioni darent: *Ne videamini*, addit, *rejeciſſe ſapientiam & bonitatem, ſine quibus potentia durare nequit; & cum non ſimus ferendo, hanc Regno veſtro gloriam demi, alia ratione ei conſulere cogamur.* Scripsit etiam Guilielmo ex Arvernia Episcopo Parisiensi, acriter eum reprehendens, quod discordiam foveret. Is enim erat, de quo præ- *Duboulai p. 136.*

Sæcul. XIII. A. C. 1230.

cipue Doctores Parisienses Papæ conquesti fuerant, quod ipsos cum protegere deberet, dereliquisset. Revera Episcopus, Cancellarius, & Canonici Parisienses ægre ferebant limites, quos Universitas eorum jurisdictioni volebat ponere, illamque alium in locum transferri cupiebant: etiam ejusdem instaurationi diu se opposuere.

IV. epist. 19. *apud Rain.* 1229. *n.* 55.

Summus Pontifex rem non procedere videns, anno sequente 1230 Doctoribus Parisiensibus scripsit, ut quosdam e gremio suo ad ipsum mitterent, efficacem negotio diligentiam adhibituros. Interea Cardinalis Legatus Romanus, ac Episcopus Parisiensis in absentes edici pœnas sacras curabant: & Archiepiscopus Senonensis in concilio provinciali sanxit, ut ii, qui abiissent, ex vi sui juris-jurandi per biennium beneficiorum suorum fructibus privarentur; & qui non haberent aliquod, indigni, ut obtineant, declararentur, nisi intra præfixum tempus redirent. Rex quoque edicta contra illos edidit. Doctores, quos Universitas Papæ poscenti misit, erant Godefridus Pictavienses, & Guilielmus Antisiodorensis, qui ab eo petebant præscriptum, sibi restitutis pro lege & cautione adversus ejusmodi incommoda serviturum. Tam bene rem gesserunt, ut a Papa Gregorio constitutiones acciperent ad Doctores audi-

auditoresque Parisienses destinatas, & 13 Aprilis anno 1231 scriptas, quæ sic inchoantur: Sæcul. XIII. A.C. 1231.

Lutetia scientiarum mater est veluti Cariathsepher urbs litterarum; est officina, in qua sapientia elaborat metalla e venis suis eruta, aurum & argentum, unde Ecclesiæ ornamenta conficit, ferrum, e quo arma fabricatur sua. Ad rem veniens Papa hæc dat præcepta: *Circa statum scholarium & scholarum hæc statuimus observanda, videlicet quod quilibet Cancellarius Parisiensis deinceps creandus coram Episcopo, vel de ipsius mandato in Capitulo Parisiensi vocatis ad hoc & præsentibus pro Universitate scholarium duobus Magistris in sua institutione jurabit, quod ad regimen Theologiæ ac Decretorum bona fide secundum conscientiam suam, loco & tempore, secundum statuta civitatis, & honorem ac honestatem facultatum ipsarum non nisi dignis licentiam largietur, nec admittet indignos, personarum & nationum acceptione submota. Antea vero quam quemquam licentiet infra tres menses a tempore petitæ licentiæ, tam ab omnibus Magistris Theologiæ in civitate præsentibus, quam aliis viris honestis & litteratis, per quos veritas sciri possit, de vita, scientia, & facundia; nec non proposito & spe proficiendi, ac aliis, quæ sunt in talibus requirenda, diligenter inquirat: & inquisitione sic facta, quid deceat, & quid expediat, bona*

Sæcul. XIII. A.C. 1231.

bona fide det vel neget secundum conscientiam suam petenti licentiam postulatam. Magistri vero Theologiæ ac Decretorum, quando incipient legere, præstabunt publice juramentum, quod super præmissis fidele testimonium perhibebunt. Cancellarius quoque jurabit, quod consilia Magistrorum in malum eorum nullatenus revelabit, Parisiensibus Canonicis libertate ac jure in incipiendo habitis in sua manentibus firmitate. De physicis autem & artistis ac aliis Cancellarius bona fide promittet examinare Magistros, & non nisi dignos admittens, repellet indignos. Cæterum quia ubi non est ordo, facile repit horror, constitutiones seu ordinationes providas faciendi de modo & hora legendi & disputandi, de habitu ordinato, de mortuorum exequiis, nec non de bacchellariis, qui & qua hora, & quid legere debeant, ac hospitiorum taxatione, seu etiam interdicto, & rebelles ipsis constitutionibus seu ordinationibus per subtractionem societatis congrue castigandi vobis concedimus facultatem. Et si forte vobis subtrahatur hospitiorum taxatio, aut, quod absit, vobis vel alicui vestrum injuria vel excessus inferatur enormis, utpote mortis vel membri mutilationis, nisi congrua monitione præmissa infra quindecim dies fuerit satisfactum, liceat vobis usque ad satisfactionem condignam suspendere lectiones. Et si aliquem vestrum indebite incarcerari contigerit, fas sit vobis, nisi monitione præhabita

cesset

ceſſet injuria, ſtatim a lectione ceſſare, ſi tamen id videbitis expedire. Sæcul XIII. A.C.1231.

Præcipimus autem, ut Pariſienſis Epiſcopus ſic delinquentium caſtiget exceſſus, quod ſcholarium ſervetur honeſtas, & maleficia non remaneant impunita: ſed occaſione delinquentium non capiantur ullatenus innocentes: immo ſi contra quemquam ſuſpicio fuerit orta probabilis, honeſte detentus, idonea cautione præſtita, ceſſantibus carcerariorum exactionibus dimittatur. Quodſi forte tale crimen commiſerit, quod incarceratione ſit opus, Epiſcopus in carcere culpabilem detinebit, cancellario habere proprium carcerem penitus interdicto. Prohibemus inſuper, ne ſcholaris pro contracto debito de cætero capiatur, cum hoc ſit canonicis & legitimis ſanctionibus interdictum. Sed nec Epiſcopus vel officiales ejus ſeu Cancellarius pœnam pecuniarum pro excommunicationis emenda, vel alia qualibet cenſura requiret: nec Cancellarius a licentiandis Magiſtris juramentum, vel obedientiam ſeu aliam exiget cautionem, nec aliquod emolumentum ſeu promiſſionem recipiet pro licentia concedenda, juramento ſuperius nominato contentus. Porro vacationes æſtivæ non excedantur de cætero ultra menſem, ſed vacationum tempore bacchellarii, ſi voluerint, ſuas continuent lectiones. Inhibemus autem expreſſius, ut ſcholares per civitatem armati non vadant, & turbatores pacis & ſtudii Univerſitas non defen-

Sæcul. XIII. A.C. 1231.

defendat, & illi, qui ſimulant ſe ſcholares, nec tamen ſcholas frequentant, nec Magiſtrum aliquem profitentur, nequaquam ſcholarium gaudeant libertate.

Ad hæc jubemus, ut Magiſtri artium unam lectionem de Priſciano (pro Grammatica) *& unum poſt alium ordinarie ſemper legant, & libris illis naturalibus, qui in concilio provinciali ex certa cauſa prohibiti fuere, Pariſiis non utantur, quousque examinati fuerint, & ab omni errorum ſuſpicione purgati.* Sunt Ariſtotelis libri phyſicorum generatim vetiti per præſcriptum anno 1215 a Legato Roberto Curſonio, & in concilio quidem, ut hic docemur, factum. Papa vero per hanc bullam, ut vocant, inhibitionem Legati mitigat.

Sup. Lib. LXXVII. §. 39. Launoi Ariſt. fort. c. 6.

Verumtamen tres abhinc annos Gregorius Papa Doctoribus Pariſienſibus per litteras exprobraverat, quod eorum aliqui vanitate inflati profanas novitates introducerent, & ſacras litteras, quæ ſecundum traditionem Patrum eſſent explicandæ, ad phyſicam Philoſophorum doctrinam converterent. Hanc mundanam ſcientiam rejicere, ac Theologiam puram docere, nec per inventa philoſophica verbum Dei mutare eos jubet. Epiſtola data eſt 7 Julii anno 1228. Convenienter huic inhibitioni in Conſtitutionibus anno 1231 factis ita pergit: *Magiſtri vero & ſcholares Theologiæ in facultate, quam pro-*

II. ep. 25. ap. Rain. 1228. n. 29.

profitentur, se studeant laudabiliter exercere; nec philosophos se ostentent, sed satagant fieri Theodocti: de illis tantum quæstionibus in scholis disputent, quæ per libros Theologicos, & Sanctorum Patrum tractatus valeant terminari. Decernit deinde, quid faciendum esset bonis studiosorum, qui Parisiis absque testamento mortem obiissent, & indicat cautiones necessarias, ut eorum hæredibus serventur & tradantur: quodsi nullus compareat, ad pia opera impendantur. Denique Doctores & auditores religione jurisjurandi solvit, quo se Lutetiam non redituros affirmaverant. Sæcul. XIII. A.C. 1231.

Hinc etiam adolescenti Regi Ludovico scripsit epistolam, in qua dicit: *Honori salutique tuæ consules, si litterarum studia Parisiis in statum pristinum restitues, & constitutionum nostrarum executionem tibi commendatam habebis. Igitur a te petimus, ut studiosos exemplo Majorum tuorum protegas, & privilegia a Rege Philippo gloriosæ memoriæ avo tuo illis concessa observari cures. Habitationes a duobus Doctoribus totidemque civibus æstimari jube, ne studiosi eas nimium caro conducere cogantur.* Epistola data est 14 Aprilis, quam secuta fuit altera, qua Papa Regi commendat Godefridum Pictaviensem, & Guilielmum Antisiodorensem, qui Romæ universitatis causam egerant, verebanturque, ne Parisios reversi apud Regem *Duboulai* p. 143. p. 145.

Sæcul. XIII. A. C. 1231. gem carbone notarentur. Similes litteras ad Reginam ejus matrem misit.

§. IV.

Concilium Castri Gontherii.

to. XI. p. 384 Eodem anno 1231 Juhel Meduanensis Turonum Archiepiscopus cum Episcopis sibi obnoxiis Castri Gontherii in Ducatu Andegavensi concilium provinciale tenuit. Habemus ex illo triginta septem Canones, e quibus eos, quos majoris esse
Can. 1. 34. momenti puto, subjicio. Matrimonia clandestina declarabuntur esse nulla, quæ avertendi gratia inhibetur, ne contrahantur per verba de præsenti, nisi denunciationes in Ecclesia more solito præmit-
c. 2. tantur. Archipresbyteri vel Decani ru-
c. 2. 12. rales non arrogabunt sibi jurisdictionem in causas matrimonii: & Archidiaconi, Archipresbyteri, aliique jurisdictionem habentes, extra civitatem Episcopalem Officiales non habebunt, sed in personis
c. 35. propriis officium explebunt suum. Hic
c. 36. videre licet, quam multiplicata fuerint
c. 19. tribunalia ecclesiastica: & ex juramentis, quæ Judicibus, & advocatis injunguntur, apparet, quanta tunc judiciorum corruptio fuerit. Prohibetur, ne laici actiones suas Clericis cedant, ad jurisdictionem ecclesiasticam transferendas.

Recto-

Sæcul. XIII. A. C. 1231.

Rectores seu Parochi a Patronis præsentati jurabunt, se nihil dedisse vel promisisse curam animarum consequendi causa; & postquam Episcopus eam ipsis contulerit, jurabunt iterum se illis gesturos morem, & Ecclesiæ jura defensuros. *c. 3.*

Patronus, qui præsentaverit illiteratum, in præsens seu illa vice jure suo carebit. *c. 15.*

Non committetur Ecclesia præterquam loci linguam intelligenti, loquentique: hæc regula pertinet ad Britanniam inferiorem, ubi populus linguam sibi peculiarem etiamnum servat. *c. 16.*

In Ecclesia Cathedrali deinceps non instituetur Canonicus ad primum sacerdotium vacuum. *c. 7.*

Clerici dissoluti, maxime qui Goliardi, seu joculatores vocantur, jussu Præsulum prorsus radentur, ita ut Clericalis tonsura non conspiciatur amplius. *c. 21.*

Cruce signati homicidii vel alius atrocis criminis convicti signo crucis ac suis privilegiis per Judicem Ecclesiasticum exuentur. *c. 22.*

Plures ibi Canones dantur contra disciplinæ remissionem, cui monachi assuescebant. Vetatur inter alia, ne sint solitarii, hoc est, ne soli vivant in prioratibus, qui conventuales esse desierant. *c. 24. 25. 26. 27. 28. 29.*

§. V.

S. Guilielmus Pinchonius.

Provinciam Turonensem tunc illustrabat eximiæ virtutis Præsul, Guiliel- *Vita ap. Sur. 29. Jul.*

Sæcul. XIII. A. C. 1231.

lielmus Pinchonius Episcopus Briocensis. Is nobili natus genere jam anno 1223 hanc sedem occupabat. Quamvis venusta oris specie, ac in hominum societate suavissimi sermonis esset, castimoniam tamen singulari semper studio, & virginitatem inter periculosa duo experimenta, quibus expositus erat, coluit. Stipem largissime dabat, & anno quodam, cum difficultas annonæ ingravesceret, omne frumentum suum elargitus, quod Canonicorum erat, mutuum sumpsit, ut inopes ad messis tempus usque reficeret. Præter statas preces canonicas psalterium recitabat quotidie, ac pœnis sponte susceptis corpus atterens, cum dignitati suæ convenientem haberet lectum, sæpe humi cubabat.

Lobin hist. Ber. to. 2. p. 359.

Durante bello Gallos inter ac Britones, cum Briocum oppugnaretur, Vir Sanctus per vicos urbis circumiens consolabatur incolas, & direptionem aversurus in medios sæpe hostes, ac præsens vitæ periculum se conjiciebat. Interdum urgente Clero fures, aliosque reos, ne timidus ac negligens videretur, a piorum cætu sejungere compulsum se ratus, id summo cum dolore, nec sine multis lachrymis fecit. Nobilium Britanniæ virorum contra Ecclesiæ jura & libertatem molitionibus tanta se constantia opposuit, ut e provincia excedere coactus,

ad

ad Episcopum Pictaviensem præ continua corporis infirmitate functionibus suis exercendis imparem se reciperet, cujus vicarium seu potius suffraganeum per aliquot annos agens sacros Ordines contulit, templa dedicavit, consecravit altaria, confirmationis oleo inunxit, cunctaque Episcopi munia sic implevit, ut omnium existimationem amoremque sibi conciliaret. Mutata tempestate in Diœcesin reversus suam, extremum vitæ spiritum edidit 29 Julii anno 1234. *Lobin. to. 1. p. 234. to. 2. p. 34.*

Sæcul. XIII. A. C. 1231.

§. VI.

Continuatio pacis inter Papam & Cæsarem.

Interea Papa Gregorius Imperatori Friderico instabat, ut pacis anno priore cum ipso initæ conditiones servaret, ac primo quidem eam a pluribus Italicis urbibus, & Germaniæ, Italiæque principibus viris, qui sponsionem facerent, jurejurando firmandam curaret. Scripsit hac super re Episcopo Ratisbonensi, Cæsaris Cancellario, & ipsimet Cæsari, octo jam menses elapsos, nec tamen pactiones executioni datas esse memorans. Orabat etiam, ut in gratiam reciperet Equites Templarios, & Hospitalarios, eisque ablata redderet bona, ne Siculos Ecclesiæ partes secutos in Syriam velut in exi-

V. epist. 38. apud. Rain. 1231. n. 1. ep. 82. IV. ep. 114. V. ep. 76. ep. 2.

Sæcul. XIII. A.C. 1231.

exilium mitteret; ne Longobardos male haberet. Sed & hos admonuit, ut Imperatori se submitterent, nec comitiis, quæ apud ipsos habere vellet, aut ejus filio Italiam transeunti obstarent. Pro ipso Rainaldo Conradi Spoletani Ducis filio, etsi Friderico in terram sanctam profecto, Ecclesiæ Romanæ multum mali intulisset, suas apud Imperatorem preces interposuit.

ep. 80. 93. 95. Sup. Lib. LXXIX. §. 43.

Papa per Cæsarem, & recta per litteras Patriarchæ Hierosolymitani eorumque, qui Templariis, ac Hospitalariis Equitibus præerant, edoctus fuerat, Palæstinæ minitari Regem Persarum innumeris instructum copiis. Debebat is esse secundus Mogolicorum vel Tartarorum Can, Octai filius, & Ginguis Cani successor, qui bellicos progressus suos urgens, terrorem totam per Asiam spargebat. Hæc tristia nova universos ad Præsules scribens Gregorius, cruce signatos, cæterosque Christianos ipsis subjectos animari voluit, ut ad sacram expeditionem Palæstinam tuendi gratia, & ad viam post alterum nuncium ineundam sese accingerent. Epistola fuit data 28 Febr. an. 1231.

IV. ep. 129. apud. Rain. n. 53.

§. VII.

Sæcul.XIII.
A.C.1231.

§. VII.

Mors S. Antonii Patavini.

Poſtquam Gregorius Papa Eliam Fratrum Minorum Miniſtrum Generalem a S. Antonio Patavino accuſatum exauthoraverat, hunc, ut ſe litteris totum daret, admonitum eo fine ab omni Ordinis munere exemit, ut penes ſe maneret, orans. Verum Antonius honores & Aulæ Romanæ tumultum veritus, montem Alvernum petiit, ubi bona Papæ cum venia per aliquod tempus manſit. Perſequamur modo ejus vitam reliquam a primo receſſu in eremum montis S. Pauli prope Bononiam.

Sup. Lib. LXXIX. §. 62. Vita ap. Bol. 13. Jun. to. 20. p. 711. Sup. Lib. LXXVIII. §. 42. Bol. c. 2. p. 707.

Cum ibi diu hæſiſſet, ſacris Ordinibus initiandus cum aliis Forum Livium in Æmilia ſeu Romaniola ſitum mittitur, ubi etiam Fratres aliquot Prædicatores aderant. Omnibus hora colloquii congregatis, loci Miniſter, ut Fratrum Prædicatorum aliquis exhortationem haberet, oravit. Sed cuncti ſe non eſſe ad eam præparatos cauſabantur. Ergo Antonium, cujus ſcientiam quidem ignorabat, ad dicendum, quæ Spiritus Sanctus ipſi ſuggereret, animavit. Ille ſe lavandis in culina ſcutellis, quam verbis ex ſuggeſtu faciendis aptiorem eſſe repoſuit. Superioris tamen mandato parens cæ-

Sæcul. XIII. A. C. 1231.

pit dicere, & tam egregium doctrinæ simul ac elegantiæ specimen edidit, ut auditores rei novitate suaviter capti, an eruditionem ejus, aut vero demissionem magis mirarentur, nescirent. Quo comperto Fratrum Minorum Minister Generalis, seu is etiamnum S. Franciscus, seu frater Elias fuerit, Antonium sacram ad eloquentiam se applicare jussit.

Rara in dicendo libertate utens, solius veritatis ratione habita, summis perinde ac infimis loquebatur; prout jam inde ab Ordinis ingressu sanguinem pro Christo fundendi desiderium conceperat, nullo timore, nulla verecundia noxia se impediri passus, quin Optimatum tyrannidi generoso obsisteret animo. Hinc celeberrimos concionatores tanta consternatione affecit, ut, sermonibus ejus præsentes, nequis ipsos imbecillitatem suam erubescere videret, suos vultus tegerent. Sic comparatus, cum per urbes pagosque iret, ad captum audientium allocutiones suas accommodabat, severitatem dulcedine miscens. Papa ipse, postquam eum audierat, eximiam in exponendis sacris litteris viri dexteritatem admirans, Arcam fœderis illum vocavit. Nec ethicæ duntaxat, verum etiam polemicæ contra hæreticos se impendit Antonius, quorum multos Arimini ad catholica signa traduxit, multos in

n. 709.

publi-

publicis disputationibus Mediolani ac Toloſæ, herbam porrigere coëgit. Sæcul.XIII. A. C. 1231.

Lingua Italica etiam ad pronunciationem quod attinet, quamquam extraneus, politiſſime loquebatur: & in confertiſſima ad conciones ejus confluentium turba ſingularis omnium modeſtia & attentio fuit. Ejus eloquium erat ardens, movens, penetrans, efficax: auditores in lachrymas ſoluti feriebant pectora, aliique aliis dicebant: *Heu! nunquam credidi, hoc eſſe peccatum:* Adhortabantur ſe mutuo ad expiationem noxarum, ad jejunium, ad ſacras peregrinationes, ac exinde ſodalitia flagellantium in Italia & alibi tam frequentia ab ejus ſermonibus ortum duxiſſe dicuntur. Docuit in pluribus Ordinis ſui cœnobiis, in quibus ſtudiorum æmulationem excitavit: nam hactenus Fratres Minores tanquam rudes multis deſpicatui erant. Etiam in regiminis partem vocatus, per aliquot annos Romaniolæ Miniſter Provincialis, plurium diverſis in regionibus monaſteriorum conditor, & Puiſii in Velaunis, ac Lemovici Guardianus, ut ajunt, fuit. p. 710.

At per Summum Pontificem ac generalia Ordinis comitia anno 1230 celebrata ab omni regiminis onere liber, & divini verbi ſementem, ubi vellet, ſpargendi copiam nactus, Patavium venit; p. 712. c. 3.

Sæcul. XIII. A. C. 1231.

ubi transacta hyeme per verni jejunii tempus anno 1231 quot diebus & sacrum tribunal adiit, & ad populum dixit, cujus frequentiam nullum templum, sed apertus solum campus capiebat. Eo cum Clericis, ac Religiosis, & ipso Episcopo Patavium totum se conferebat quotidie, clausis usque ad reditum a concione mercatorum tabernis: eo oppidorum, pagorumque vicinorum incolæ noctu cum facibus, ut locum acciperent, concurrebant: ibi ad tricies mille homines aderant, tam attenti omnes, ut vix susurrus aliquis audiretur. Finito sermone, quisque venerationis causa tangere virum sanctum, aut de veste illius particulam rescindere conabatur, ita ut abeuntem, redeuntemque, ne obrueretur, robustorum juvenum globus stiparet. Concionum effectus omnium patebant oculis: inimici capitales redeuntes in gratiam, captivi a diutino carceris squalore liberati, usuræ redditæ, debita remissa, meretrices ad frugem revocatæ, omne vitiosorum genus ad pœnitentiam adductum tam assidue, ut confitentium numero Sacerdotes haud sufficerent. Antonius ipse quanquam infirma semper valetudine nullam sibi quietem indulgens tum de rebus divinis disserere, tum sacras audire confessiones solebat, tum consilia dare petentibus, ac ea sequi paratissimis.

Tempus

Tempus messis imminere videns, quamdiu populus ea occuparetur, conciones sibi suas intermittendas censuit, & profanorum hominum crebro ad salutationem venientium molestia fatigatus, relicto Patavio solitarium in vicinia locum (Campetrum appellabant) adiit, cujus Dominus Tisonius nomine, ei se in disciplinam tradidit, regulam tertii Ordinis S. Francisci amplexus. Hoc in secessu Antonius se totum meditationi rerum cœlestium & sacris precibus impendens, violento morbo, e quo haud convalesceret, se subito correptum sensit. Patavium reportatus, cum extremæ unctionis oleum sibi afferri cerneret, *hanc unctionem*, ajebat, *jam intus habeo: sed eam mihi dare non omittite: salubris est mihi.* Cantavit dein cum fratribus pœnitentiæ psalmos, in mortis articulo dici solitos, & post dimidiam horam spiritum Deo reddidit die sexta hebdomadis, 30 Junii anno 1231. triginta sex annos natus, quorum decem in Ordine Fratrum Minorum transegerat. Illustris ejus fama & miracula quotidie ad ejusdem sepulchrum facta Gregorium Papam permovere, ut post legitimas inquisitiones intra unius anni spatium Spoleti die Pentecostes 30 Maji anno 1232 eum solenni ritu in album Sanctorum Cælitum referret,

Sæcul. XIII. A. C. 1231.

Bol. p. 732. n. 37. p. 717.

Sæcul. XIII. A.C. 1231. ret, ac diem, quo mortem obiit, festæ illius memoriæ consecraret.

Martyr. 13. Jun.

Multum S. Antonii scripta habemus, & inter alia magnum sermonum numerum. Sed illam vim & facundiam, quam vitæ scriptor eis tribuit, haud quaquam continent, utpote contexti ex meris Scripturæ locis, qui in sensibus figuratis sæpe a sensu litterario alienissimis accipiuntur, & quod consequitur, nihil demonstrant. Nullas ratiocinationes inter se cohærentes, nullos ibi motus videmus: peroratio non magis quam exordium tangit animos. En exemplum! Nuptiæ factæ sunt in Cana Galilææ. Hic res quatuor sunt considerandæ. Primo lætitia & unio nuptialis: secundo præsentia Virginis: tertio potentia J. C. quarto ejus magnificentia. Quantum ad primum punctum attinet, Cana significat zelum & Galilæa transitum: per zelum & amorem transitus fiunt nuptiæ inter Spiritum Sanctum & animam pœnitentem. Hinc de Ruth dicitur, quod e regione Moab transierit Bethlehem, ubi Booz eam sibi despondit. Ruth indicat videntem, aut solertem, aut deficientem, estque anima, quæ peccata sua dolenter videns, ea sacræ confessionis fonte eluere properat, & per satisfactionem vires amittit suas. Sermo reliquus & alii omnes eodem sunt scripti stylo.

Edit. 1641. p. 114.

Cum

Cum sint latini, & Sanctum in suggestu lingua vulgari usum fuisse liqueat, credibile est, id quod nobis restat, solam illorum materiam esse, & hanc eum amplificasse descendendo ad singularia pro ratione locorum ac personarum, motusque vehementes adjungendo, prout ardor eum suus jubebat. Existimandum quoque merito, eloquentiam corporis, nempe vocem ac gestum multum ad persuasionem contulisse. Cætera ejus opera sunt explicationes mysticæ plerorumque Scripturæ librorum, & quidam index seu concordantia moralis, ubi sub certis titulis recenset locos cuivis morum generi convenientes: & hoc opus ex omnibus illius scriptis utilissimum forsitan est. Sæcul. XIII. A.C. 1231.

§. VIII.

Martyres in Hispania.

Eodem anno 1231 duo Fratres Minores Joannes sacerdos ac Petrus laicus in Hispania martyrium subiere. Cum circiter annum 1220 Cæsarauguſta Valentiam Evangelii doctrinam Mauris promulgatum ire cogitassent, & in oppidum Tervelum delati, se incolis acceptissimos esse vidissent duobus tuguriis prope templum S. Bartholomæi exstructis, decem ibi annos permansérant. Tum profecti Valen- *Vanding.* 1228. *n.* 68.

Sæcul. XIII. A. C. 1231.

Valentiam, ibique in templo S. Sepulchri abditi cum duobus Dominis Caſtellanis Blaſio & Artaldo Alagorico ipſorum probitate captis amicitiam contraxere. Cum Chriſtianam Religionem exponerent, ducti ad Regem Zeit-abu-Zeit, cur venisſent, interroganti, *ideo*, reſpondebant, *ut te ac populum ex errorum tenebris ad lucem veritatis evocaremus.* At ille eos ad cultum Deorum tranſire conſtanter recuſantes in ipſo horto, per quem deambulabat, capite plecti juſſit. Qui mox in genua provoluti orabant Deum, ut pro beneficio, quod Princeps iis præſtaret, hunc a vanis ſuperſtitionibus ad ſanam fidem aliquando traduceret. Obtruncati ſunt die feſto Decollationis S. Joannis Baptiſtæ 29 Auguſti an. 1231.

§. IX.

Diplomata Pontificia in gratiam Fratrum mendicantium.

C. Nimis iniqua 16. De exuff. præl.

Ingens progreſſus, quem novi duo Ordines Fratrum Prædicatorum Minorumque faciebant, invidiam eis conflavit apud multos Epiſcopos aliosque Superiores eccleſiaſticos; qui etſi eorum regulæ a Sancta Sede approbatæ fuerint, eos ſibi prorſus ſubjicere, quod populorum pietas eis tribuebat, in rem ſuam vertere, & ad varia tum præſtanda, tum omitten-

da

tenda eos adigere conabantur. *Noſtrum eſt*, ajebant ad eos, *veſtras in ſacro tribunali confeſſiones audire, vobis pœnas imponere, cœleſtemque hoſtiam præbere, nec in illis, quæ precibus dicaſtis, locis ſeu oratoriis divinum hoc myſterium aſſervabitis. Jubemus, ut in Eccleſiis noſtris terræ mandemini, ibique res divina pro vobis conficiatur; & ſiquis veſtrum alibi ſuum ſibi ſepulchrum elegerit, cadaver ejus in paræciam primum deferatur, ut donaria nobis obtingant. Nec æs campanum, nec cœmeterium benedictum habebitis, nec auguſtiore ritu ſacrificium, præterquam certo tempore perpetrabitis. Certus item in veſtris domibus Sacerdotum, Clericorum, laicorumque fratrum numerus, certaque & a nobis præſcripta cereorum, lampadum, & ornamentorum debet eſſe quantitas, & cereorum reliquias, cum novos adhibebitis, ad nos mittetis. Veſtri Sacerdotes primo non niſi noſtris in templis munus obibunt ſuum, & ſacrificiorum, quæ ad veſtras quotidie peragetis aras, donaria nobis reſervabitis. Immo quæcunque conſequemini, ſeu altarium ornamenta ſint, ſeu libri ſacri, nobis tradi volumus.* Sæcul.XIII. A.C.1231.

Præſules hos Religioſos etiam eorum tum Synodos adire, tum decreta exequi jubebant. Minitabantur, ſe in eorum ædibus ipſos corrigendi gratia conventum acturos. Petebant, ut Miniſtri & Quardiani *C. Nimis prava 17. ibid.*

Sæcul. XIII. A. C. 1231.

diani ſuam ipſis fidem jurejurando obſtringerent. Imperabant levibus ex cauſis, ut publicis ipſorum ſupplicationibus tam extra quam intra urbes intereſſent. Minabantur, eos e ſuis domibus ejectum iri, niſi per hæc omnia obtemperarent. Uſu ſacrorum prohibebant Fratrum patronos, illosque, qui eos ibi, quo vocati erant, benigne excipiebant: nec enim in magnis urbibus, & clarioribus locis eos ſedem figere volebant. Aſſerebant ſibi merito poſcendas eſſe decimas fructuum ex eorum hortis, ac ſummam pecuniæ ob eorundem domos ſicut ob ædes Judæorum, quia ſi alii eas incolerent, inde lucrum ſibi obveniret. Denique arbitratu ſuo Miniſtros illis & Guardianos deſignare cupiebant.

Vading. 1231. n. ult.

Fratres mendicantes has Præſulum vexationes Papæ conqueſti, duas ab eo epiſtolas, quibus illæ coërcerentur, obtinuere: 21 Auguſti altera, altera 23 ejusdem menſis an. 1231 dat. fuerat. Et prior quidem Epiſcopis omnibus generatim, poſterior Turonenſi & Rothomagenſi Archiepiſcopis ac Præſuli Pariſienſi, eximiis Fratrum defenſoribus inſcripta erat. Minores anno præterito Pariſiis domicilium ſtatuerant eo loco, quo etiamnum ſunt in Parœcia S. Coſmæ, ad Abbatiam S. Germani de Pratis pertinente. Forma conceſſionis eſt notatu digna: nam dicitur

Dubrevil. p. 515. Dubois to. 2. p. 330.

Abbas

Abbas & conventus eum locum & loci domos illis hoſpitum inſtar ibi habitaturis commodaſſe, ita ut, nec æs campanum, nec cœmeterium, nec aram niſi portatu facilem, nec ſacellum benedictum habere poſſent, atque S. Coſmæ parœcia ibi omne jus ſuum conſervaret. Videre hic licet S. Franciſci ſpiritum, diſcipulos ſuos nulla poſſidere bona, ac ne domos quidem proprias, ſed alienas incolere volentis. Sæcul. XIII. A.C. 1231.

§. X.

Obitus S. Richardi Archiepiſcopi Cantuarienſis.

Sub idem tempus delatus in Aulam Romanam Richardus Archiepiſcopus Cantuarienſis ad Papam plures de Henrico III Angliæ Rege querelas detulit. Primo quod is in gubernando Regno ſolius Huberti Burgii, ſupremi juſtitiæ Præfecti, conſilia ſequeretur contemptis cæteris Optimatibus; quod Hubertus primæ conjugis ſuæ cognatam nuptiis ſibi junxerit, ac Eccleſiæ Cantuarienſis jura ſibi arrogaverit; quod quidam Epiſcopi Suffraganei ſui neglecta gregis cura ſedem in curia caperent, ac res profanas, immo etiam capitales examinarent; quod quidam eccleſiaſtici etiam nondum ſacris Ordinibus initiati plura beneficia *Matth. Par.* 1231. *p.* 312. *edit.* 1684.

cura

Sæcul. XIII. A.C. 1231.

cura animarum prædita tenerent, ac exemplo Episcoporum negotiis profanis se immiscerent. Rex quoque Clericos eum defensuros miserat. Sed horum rationes Papæ non probabantur; & Archiepiscopus, quidquid popoſcerat, impetravit. Nam præter æquitatem causæ, specimina scientiæ ac virtutis suæ dederat, mira facundia, & summa formæ dignitate conspicuus. At rediens tridui itinere cis Romam tertio Augusti an. 1231 ad cœlos avolavit. Sic quæ obtinuerat, effectu caruere.

Vacante proin ejus Sede monachi Cantuarienses elegerunt Radulphum Viniacensem, Ciceſtriæ Episcopum, ac Regium Cancellarium, exploratæ integritatis, & constantiæ virum, ac 24. Septembris Regi præsentem stiterunt, qui ei summopere favens mox confirmationem in jure prædiorum ad Archiepiscopatum pertinentium tribuit. Monachi Romam ituri, ut Papa electionem haberet ratam, Radulphum, ut ad itineris sumptus conferret aliquid, orabant. Sed is repulsam dedit, ne sacrorum nundinatio quædam esset, veritus, ac divinæ Providentiæ rem totam relinquens, seu Archiepiscopus fieret, seu Cancellarius maneret. Illis Romam delatis Papa e Doctore Simone Langetonio, qualis vir Radulphus esset, solicite quærebat. Respondit Simon:

Est

Est aulæ assecla indoctus ac loquax; & quod maximi momenti foret, si Archiepiscopus evaderet, conabitur ex Regis voto liberare Angliam a jugo, quod ipsi Rex Joannes imposuit, eandem Romanæ Ecclesiæ obnoxiam & tributariam reddens. Eam molitionem Radulphus capitis sui periculo prosequetur, innixurus appellationibus ab Episcopo Stephano, ante aram S. Pauli Londinensis interpositis tunc cum Joannes coronam suam Legati manibus traderet. Papa hæc audiens rejecta postulatione, alium Archiepiscopum eligendi copiam monachis fecit, reditumque in patriam imperavit. Sæcul.XIII. A.C.1231.

§. XI.

Romani in Anglia acerbe habiti.

Per id tempus in Anglia circumferebantur literæ in hanc sententiam; *Episcopo N. vel Canonicorum Collegio N. omnes illi, qui mori, quam a Romanis opprimi malunt, salutem. Quales se Romani, horumque legati Clero Anglico hactenus exhibuerint, latere vos haud potest. In populares suos, ut lubet, Sacerdotia Regni conferunt maximo damno vestro: vos cæterosque collatores muneribus ad tempus abstinere jubent, ne Anglis illa tribuatis beneficia, donec quævis Ecclesia quinque in gremio suo Romanos numeret, quorum quilibet* Matth. Par. 1231. p. 313.

Sæcul. XIII. A.C. 1231.

bet annuo centum librarum censu fruatur. Et postea: *Vetamus omnino, ne vobis cum Romanis negotium sit: alioqui vobiscum haud mitius, quam cum illis agemus, & bona vestra igni dabimus.* Similis epistola inscripta erat iis, qui Romanorum beneficia conduxerant, & cum eadem comminatione eos jubebat deinceps nihil his reddere, sed annuos fructus reservare conspirantium procuratori certo die tradendos.

§. XII.

S. Elisabetha Hungarica.

In Germania S. Elisabetha Thuringorum Dynastæ vidua vitam brevem sed religiosissimam cum æterna commutavit. Erat Andreæ Hungarorum Regis filia, mox a cunis Ludovico Comitis Provincialis filio desponsa, ad quem quadrima mittebatur. Ab infantia ad virtutem propendens in matrimonio miræ pietatis exercitia prosequebatur consentiente juvene Principe marito suo, qui etiam ipse summum in probitate studium ponebat. Ejusdem bona cum venia, cujusdam sancti Sacerdotis Conradi nomine celebris concionatoris ductu & consiliis utebatur, eique obedientiam promisit: qui vero authoritatem suam præcipue ad moderandum nimium Elisabethæ ardorem adhibebat.

hibebat. Tres ea genuit liberos, Hermannum, qui patri succeſſit, duasque filias, Sophiam, quæ Duci Brabantiæ nupſit, & aliam, quæ cœnobium ingreſſa ſacrarum Deo virginum antiſtita ſeu Abbatiſſa evaſit. Quando Eliſabetha a puerperio prodiit, ſobolem ipſa ſuam in templum detulit offerendum Deo. Sæcul. XIII. A. C. 1231.

Occupare ſe conſueverat e colu lanæ fila ducendo, conficiendis pannis idonea, quos dein inter pauperes, præſertim in Fratres Minores diſtribuit. Cum Germaniam anno 1225 fames premeret, omne frumentum e ſuis collectum terris dari egenis juſſit abſente conjuge, qui in Apulia apud Fridericum Cæſarem commorabatur, ac reverſus Principis miſericordiam laudavit rejectis adminiſtratorum querimoniis. Pauperes infirmos in arce monti alto impoſita ſtipem quærendo impares ſolatura, inferius hoſpitalem domum erigi curavit, ubi eorum commodis ipſamet ſerviebat, & ſingularem infantium gerebat curam. Nongentos quotidie inopes alebat. Marito in Apulia, ut ad annum 1227 memoravi, vita functo, Henricus frater ejus poſſeſſionem Thuringiæ adiit (id quod Hermanno demortui filio quadrimo fraudi fuit) ac Eliſabetham bonis omnibus ſpoliatam e caſtro Wartberga, ubi habitabat, ejecit, ita, ut in quoddam Liſenaci vicinæ urbis

Sup. Lib. LXXIX. §. 36. Hiſt. Landg. c. 41. c. 40.

Sæcul. XIII. A. C. 1231.

diverſoriolum ſe abdere cogeretur, præ metu irritandi Principis nemine eam recipere auſo. In miſeriarum cumulum miſſi ſunt ei tres liberi ſui; atque ita aliquod tempus in ſumma inopia, ſed mira prorſus patientia egit. Quo comperto eam primum cognata ſua Abbatiſſa Kitzingæ in Diœceſi Würzburgenſi, dein Bambergenſis Epiſcopus pariter propinquus ſuus ad ſe vocatam omnibus benignitatis officiis coluit, etiam ſecundas ei nuptias offerens, quod ætate tam florentem cerneret: nam viginti annos nata maritum amiſerat: ſed conſtanter recuſabat.

Interea illi, qui Ludovicum in itinere comitati fuerant, ejus oſſa in Thuringiam advexerunt: & quidam eorum Henrico tantam erga ſuam affinem inhumanitatem ita exprobravit, ut is facti pœnitentia ductus Eliſabethæ in arcem Wartbergam reductæ magnam deinceps reverentiam amicitiamque exhiberet.

§. 42. At ipſa pertæſa honores in eo caſtro ſibi haberi ſolitos, anno ſequente 1229 petita ab Henrico dote ſua Marburgum ad Conradum rectorem ſuum ſe contulit. Tum Gregorius Papa de virtutibus Principis hujus edoctus, & ſolatium ei per literas animumque attulit, & ſuum ſpopondit præſidium, & Conrado eam commendavit. Hic ſanctus Sacerdos ani-

mæ

mæ in perfectione adeo progressæ convenientem adhibebat severitatem, usque eo, ut duas ejus famulas, quas ipsa tenere nimis diligebat, amoveret. Temperabat idem paupertatis amorem, quo accensa panem ostiatim mendicabat; & beneficiis suis nullum ponenti modum erogationem pecuniæ prorsus interdicere, soliusque panis distributionem permittere compulsus est. Illa regulam tertii Ordinis S. Francisci amplexa, hospitalem sæpe domum invisebat alias Marburgi a se constructam. Hæc pietatis opera exercebat, cum a Regio ejus patre missus ex Hungaria Comes advenit, oratum, ut rediret in patriam, vitamque generi suo congruentiorem ibi duceret. Sed hac invitatione minime se commoveri sinens, institutam Deo serviendi rationem se servaturam reposuit. Demum e corpore emigravit 19 Novembris anno 1231, ætatis 24. Cum eam Pontifex Maximus anno 1235. 1. Junii ad Cœlitum ordinem adscriberet, diem obitus ejus honori consecravit.

Sæcul.XIII. A.C.1231.

Vita c. 26. Bonav. Ser. de S. Elis. Vading. 1229. n. 6.

Bullar. Greg.IX. n. 11. Martyr. R. 19. Nov.

§. XIII.

Sancta Hedwigis Poloniæ Dux.

Hedwigus Elisabethæ matertera, Poloniæ Dux, mirifica pariter virtute excelluit. Patrem habebat Bertoldum

Vit.ap. Sur. 15. Oct.

Sæcul. XIII. A.C. 1231.

Carinthiæ Ducem, Marchionem Moraviæ, Comitem Tyrolis, & matrem Agnetem Comitis Rotlechſii filiam. Hi octo genuerant liberos, filios quatuor, & totidem filias. Ex illorum numero erat Bertholdus Aquilejenſis Patriarcha, & Eckembertus Epiſcopus Bambergenſis: duo reliqui Otto ac Henricus militiam ſecuti ſucceſſerunt patri ſuo. Filiæ fuere Hedwigis, Agnes per ſuum cum Philippo Auguſto Gallorum Rege conjugium tam celebris, & Gertrudis Regina Hungariæ, Sanctæ Eliſabethæ mater: quarta erat Abbatiſſa Luzingæ in Franconia Ordinis S. Benedicti.

Sup. Lib. LXXIV. §. 57.

Hedwigis mox ab infantia ſua hoc in cœnobium miſſa ſacras ibi litteras didicit, quæ poſtea magno ſemper ſolatio ei fuere. Duodecim annos nata Henrico Sileſiæ ac Poloniæ Duci nupſit, & hoc in ſtatu continentiam, quantum poterat, coluit. Cum ſentiret ſe ferre uterum, ac tredecim annorum eſſet, ex conſenſu Principis mariti ſui ſeparata puerperium expectabat ſuum; id quod deinde ſemper egit præter abſtinentiam Dominici Adventus, verni jejunii, ac religioſis diebus ſervatam. Procreatis ſex liberis perpetuam Duci continentiam perſuaſit; ad quam cum ſe Deo per votum non ſine ſolemni Epiſcopi benedictione obligaſſent, triginta circiter annos ſic vivebant. Rem omni-

omnibus constare videntes diversas inco- Sæcul.XIII.
lebant ædes, ac rariſſime ſe inviſebant, A.C.1231.
nec ſine arbitris, ne imbecillibus offen-
ſioni ſeu ſcandalo eſſent. Dux vitam re- c. 2.
ligioſam profeſſus quidem non erat, du-
cebat tamen, & more fratrum laicorum
in monaſteriis barbam alebat in pectus
fluentem, unde Henrici Barbati nomen
tulit.

Hedwigis eum adduxit, ut Trebeni- c. 6.
cii prope Uratislaviam in Sileſia Virgi-
num Ordinis Ciſtercienſis cœnobium
conderet: cujus prima Antiſtita fuit Pe-
triſſa illa, quæ Principis etiamnum in-
fantis cuſtodem ac procuratricem egerat,
& Bamberga modo cum aliis religioſis
Virginibus ab eadem accita fuerat. In-
ſtitutio facta eſt anno 1203, dedicatio
templi anno 1219. Hedwigis collecto c. 1. 2.
ibi magno religioſarum numero, filiam
ſuam Gertrudem Deo ibidem obtulit, quæ
poſtea illarum Abbatiſſa evaſit. Multas
etiam puellas tum nobiles tum ignobi-
les illic educari curavit Hedwigis, qua-
rum aliquæ monaſticam vitam amplecte-
bantur, cæteras in matrimonium collo-
cabat. Ipſa ſæpe illuc concedebat vi-
vente Duce marito ſuo, & in dormitorio
cubabat: deinde ſedem ibi fixit ſuam
prope monaſterium, ſed extra, & religio-
nis veſtem quidem induit, vota tamen
haud nuncupavit, ut pauperes opibus ſuis

Sæcul. XIII. A. C. 1231. c. 3.

juvandi libertas sibi maneret integra. Henrici conjugis sui mortem, quæ anno 1238 contigit, mira tulit patientia, & religiosas ejus jactura afflictas consolata est.

§. XIV.

Otto Legatus Pontificius in Germania.

Alberic. p. 539.

Otho Cardinalis Diaconus titulo S. Nicolai Apostolicæ Sedis Legatus in Germania, Würzeburgi concilium habere volebat. Sed Albertus Saxoniæ Dux se opposuit per litteras, quas omnium ejus regionis Nobilium nomine ad universos Germaniæ Præsules scripsit in hanc sententiam: *Audivimus, Cardinalem collaturum esse beneficia Ecclesiastica in Saxonia æque ac in reliquis Imperii partibus, aliaque servitutis genera ad opprimendas Ecclesias nostras introducturum. Quare si conservare leges patrum vestrorum, & Sanctuarium a manibus exterorum tueri vultis, Machabæos debetis imitari, quorum festum Ecclesia celebrat. Cleri dignitas hodie minor est, quam tempore Pharaonis, qui quanquam divinæ legis ignarus, Sacerdotibus tamen frumentum publicis e granariis dari jussit. An nescitis, vos inter & aliarum regionum Episcopos hoc esse discrimen, quod non Pontifices duntaxat, verum*

Martyr. R. 1. Aug.

Gen. 47. 22.

verum etiam Principes ac Domini ſitis? Cur ergo in loca tam remota vos trahi ſinitis contra Conſtitutiones hactenus approbatas? Hæc ultima verba videntur ſpectare ad appellationes in falſis Decretalibus fundatas. Sæcul.XIII. A.C.1231.

Habuit effectum ſuum hæc epiſtola, & Epiſcopi inita cum juvene Rege Henrico conſultatione, ne concilium fieret, impedierunt. Aliquanto poſt tempore Cardinalem Leodii urbis porta egredientem invaſerunt aliqui, juſſu Regis, ut rumor erat, occiſuri: Sed urbs Othoni pœnas dedit, fere anni ſpatio divinis interdicta.

§. XV.

Eccleſiæ Septentrionales.

Balduinus Ulnius ab Othone Legato in Livoniam miſſus magna regionis parte a dæmonum jugo Chriſtianam in libertatem aſſerta, Romam adiit, ibique adverſarios habuit, qui ſe Equites Dei nominabant. Dicebant, ſe Templariorum regulam ſequi; quibus tamen ſe non ſubjecerant: ſed erant divites mercatores, e Saxonia quondam ob crimina ſua proſcripti, ſic vero aucti, ut ſine Rege, ſine lege vivere ſe poſſe crederent. Balduinus, poſtquam Summum Pontificem, quales hi viri eſſent, ac de ſucceſſu laborum *Alber.* 1232. *p.* 542.

Sæcul. XIII. A. C. 1232.

ſuorum edocuerat, Semigalliæ parvæ provinciæ, cujus caput Mitavia eſt, & quæ Livoniæ partem efficit, Epiſcopus ab illo conſecratus, iisque in locis Legatum agere juſſus eſt, ut apparet ex litteris Pontificiis 28 Januarii an. 1232 datis, quarum hæc ſumma eſt: *Tuum animarum ſalutis ſtudium fecit, ut reſectis vanitatibus in ethnicis Chriſto adjungendis ad nutum & arbitrium Ottonis Cardinalis multis te periculis exponeres. Quare te conſecravimus Epiſcopum Semigalliæ, majoris tui fervoris fructus ſperantes, & in Livonia, Gothlandia, Finlandia, Eſtonia, Semigallia, Curlandia, cæterisque neophytorum ac ethnicorum provinciis, & inſulis propinquis poteſtatem Legati tibi conceſſimus, ut libere doctrinam Evangelicam promulges, Clerum corrigas, Eccleſias in dignitatem ſuam vindices. Inſtitues ibi, vel cum opus fuerit, exauthorabis Abbates, Priores, ac Superiores alios: ſacris ordinibus initiabis Clericos, approbabis electionem Epiſcoporum, hos conſecrabis, & Abbates fauſtis ad Deum precationibus proſequeris. Sacris etiam pœnis ſive cenſuris rebelles coërcendi copiam tibi facimus, ſpondentes, fore, ut nos ſententias tuas ratas habeamus, ac executioni dari curemus.*

Inter populos tunc ſanam religionem amplectentes erant Curones, ſive Curlandi una cum Rege ſuo Lammechino, qui pactio-

pactionem cum Pœnitentiario Othonis Legati inierunt, ad quem ille dicit: *Ethnici se obtulere ad sequenda Christi castra, nobis dederunt obsides, & Papæ mandatis se per omnia morem gesturos promiserunt: atque nos ejus nomine agentes ex communi consilio Ecclesiæ Rigensis, Abbatis Dunemundæ, mercatorum, Equitum Christi, peregrinantium, civiumque Rigensium consensimus in has conditiones: Sacerdotes a nobis missos statim admittent: necessaria eis ex æquo tribuent: eorum doctrinam demisse audient; eos ut se ipsos contra inimicos defendent: omnes viri ac fœminæ se liberosque suos aqua vitali mox abluendos sistent, cæterasque Christianorum ceremonias observabunt.* Hæc formula multum abludit a vetere disciplina, per quam nisi post tam longa experimenta non licebat salutari lavacro tingere catechumenos ejusdem nationis, ac eorundem morum, quanto minus peregrinos & barbaros! Pactum sic continuatur: *Episcopum a Papa sibi destinatum cum honore ac reverentia recipient tanquam patrem ac Dominum suum, eique in omnibus ut reliqui Christiani obedient. Pendent ei quotannis tributa, quæ populi Gothlandiæ dare debent. Sed nec Daniæ nec Sueciæ subditi erunt: nam donec ab orthodoxa religione non deficient, perpetuam eis libertatem concessimus. Intererunt expeditio-*

Sæcul. XIII. A.C. 1232.

Rain. 1232. n. 3.

Sæcul. XIII. A. C. 1232.

peditionibus contra ethnicos tum Christianos tuendi, tum eorum fidem propagandi gratia. Sistent se Papæ intra biennium, & omnia ejus jussa conficient. Hoc fœdus die Festo SS. Innocentium 28 Decembris anno 1230 sancitum, Papa 11 Februarii an. 1232. ratum habuit.

V. ep. 168. Rain. n. 6.

Interim Papa ex litteris Episcoporum Masoviæ ac Uratislaviæ comperit, Borussos tam veteres ethnicos, quam Religionis desertores ultra decies mille pagos in finibus suis cum multis cœnobiis templisque concremasse, ita ut Christianis ad celebrandam rem divinam non alia supereſſent loca, quam sylvæ, in quas se abdidissent. Epistolæ illæ addebant: *Borussi supra viginti Christianorum millia trucidarunt, & ultra quinque millia in servitute detinent: quos capiunt, juvenes per nimios continuosque labores enecant: nec ætati nec sexui parcunt: virgines ludibrii causa floribus coronatas igne dæmonibus immolant, senes verubus transfigunt, infantes illidunt arboribus. Equites vero Teutonici Religionis causam in Borussia susceptam soli defendere nequeunt.* Itaque vicinis huic regioni Præsulibus Papa hunc in modum scripsit: *Petimus, volumusque, ut mutatis votis Bohemorum Cruce signatorum, quibus ob inopiam vel infirmitatem suam iter transmarinum condonavimus, contra hos ethnicos mittatis,*

ne

ne gloriari possint, impune se JEsu Christi nomen impugnasse. Dabat 23 Jan. 1232. Sæcul.XIII. A. C. 1232.

§. XVI.

Controversia inter Regem Franciæ, & Archiepiscopum Rothomagensem.

In Galliis controversia Regi cum Archiepiscopo Rothomagensi nata annos quinque duravit. Ab anno 1227 Thibautius Ambianensis eam tenens sedem in sylva sua Luverienſi ligna exstruendis ædificiis apta cædi jusserat, Rothomagum vehenda: Sed Prætor Vauderevillius ea retinuit, cui propterea loci Episcopus usum sacrorum interdixit. Archiepiscopus autem in curiam Regiam vocatus est, quod sine Regis permissu ejus Prætori pœnam illam imponi jusserit. Addebatur, Archiepiscopum ex illa sylva ejusmodi ligna pro sua tantum domo Luverienſi, non pro alienis posse avehere. Etiam aliæ querelæ motæ sunt, quæsitumque fuit, cur hic Præsul ad eas responsurus non veniret in curiam, ut cæteri Normanniæ Episcopi ac Barones? Erat illa sub Regibus Anglorum suprema Normanniæ curia, unde postea Senatus Rothomagensis est ortus. E cunctis his capitibus accersitus Vernonium ad Regem Thibautius comparuit, dixitque, se non

Chr. Rothom. to. 1. Bibl. Lab. p. 375.

Sæcul. XIII. A.C. 1232.

non obstringi ad respondendum in Curia Regia, cum quædam illorum capitum essent spiritualia, & ipse nullum a Rege prædium beneficiarium haberet, cujus rationem deberet reddere. Rege ac Regina ejus matre per hæc verba haud modice offensis, nec placatis discessit Thibautius. Ergo Rex consultatione cum Baronibus suis sæpius habita illius prædia occupavit, qui ex consilio Suffraganeorum suorum omnes possessiones arcesque, quas in Rothomagensi Archiepiscopatu Rex tenebat, exceptis urbibus interdicto affecit. Tum excessit e provincia iturus Romam, sed Rhemis morbo correptus misit, qui causam ipsius apud Papam ageret, obtinuitque, ut Romanus Cardinalis a S. Angelo, qui tunc Gallias ut Legatus adibat, illam discuteret. Et vero secundum rigorem juris Præsuli omnia adempta bona, quæ moveri vel poterant, vel nequibant, fructusque inde ablatos restitui, etiam ligna Luverii cæsa Rothomagum revehi curavit. Tam bene compositas res suas videns Thibautius naturæ concessit 25 Septembris 1229 Pontificatus sui septimo.

In ejus successorem Thomam Freavillium Rothomagensem Decanum major Canonicorum pars elegit: sed altera vehementer refragante lis in Curia Romana amplius anno hæsit. Demum mense Majo

Majo 1231 Thomas jus ſuum in manus Papæ depoſuit, a quo Mauritius Epiſcopus Cenomanenſis in ſedem Rothomagenſem translatus, & dominica ante Feſtum S. Magdalenæ 20 Julii receptus, illam annis duobus ac dimidio tenuit. Thomam Freavillium electum in Epiſcopum Bajocenſem Mauritius Dominica Paſſionis 28 Martii 1232 conſecravit. Eodem anno mortua Abbatiſſa Montivilliereni Diœceſis Rothomagenſis, cum eligentes in diverſas abiiſſent partes, Mauritius formam Concilii Lateranenſis ibi non fuiſſe obſervatam videns, rejecit ambas electas, & Religioſas jure eligendi inpræſens privans, aliam eis Antiſtitam creavit: ſed Rex ſe opponens, ne iſta reciperetur, impediit. Tum Archiepiſcopus moniales omnes obſiſtenti Regi adhærentes ſacro anathemate perſecutus eſt. Sæcul.XIII. A.C.1232.

Sub initium verni jejunii ejusdem anni aliquot monachos S. Vandrilli ſacro fulmine perculit, quorum rurſus defenſionem Rex ſuſcepit, atque ob hæc duo capita, & alia quædam Archiepiſcopum coram ſe comparere juſſit. Renuit is autem ut anteceſſor ejus, & ſecundum veterem Eccleſiæ Rothomagenſis libertatem, ac obſervatam hactenus conſuetudinem tam in profanis quam in ſpiritualibus poſt Deum non alium ſibi Judicem

quam

Sæcul. XIII. A.C. 1232.

quam Papam esse affirmavit. Quare 11 Julii omnia Ecclesiæ Rothomagensis prædia Rex occupavit. Quem, ut ea redderet, sæpius frustra adhortatus Mauritius primum omnia Regiæ ditionis in Rothomagensi Diœcesi sacella, nisi cum Rex aut Regina ibi præsens foret, dein omnes illius Prætores ac Proprætores cum ipsorum familiis, & omnia Regiis in fundis cæmeteria, templaque suæ jurisdictioni obnoxia interdicto affecit, quantum ad Ecclesias attinet, sic mitigato, ut solummodo æs campanum pulsare, & officium ad notas musicas canere ibi non liceret, ne major severitas hæreses ac populi obstinationem pareret.

tom. 2. Spic. p. 522. ep. 4.

p. 524. ep. 5.

Verum a Rege nihil se impetrare videns, interdictum ad omnes suæ Diœcesis Ecclesias extendit, vetuitque, ne unquam ibi divinum celebraretur officium, vel ullum Sacramentum nisi Baptismatis infantibus & Pœnitentiæ moribundis conferretur. *Permittimus tamen*, pergit, *ut in quavis parœcia semel in hebdomade clausis januis iisque, quibus Ecclesia interdicta est, exclusis Sacerdos populo introitum, Epistolam, & Evangelium legat, panem benedictum præbeat, & Ecclesiæ præcepta explicet; declaramus simul, quam dolenter hoc edamus interdictum.* Archiepiscopus aliam addidit circumstantiam. Jussit in omnibus Diœcesis suæ templis Beatissi-

p. 521. ep. 2.

mæ

mæ Virginis Eccleſiæ Rothomagenſis Patronæ imagines e locis ſuis tolli, in pronao ſeu ſacræ ædis parte inferiore ſupra ſedem aliquam ſupinas poni, ac ſpinis circumdari. Interea querelas ſuas ad Papam detulit, qui litteris Regem, ut offenſo Præſuli ſatisfaceret, monuit, ſiquid juris Rex contra hunc haberet, ſe illi adjudicaturum ſpondens. Eodem tempore Epiſcopis Pariſienſi ac Silvanectenſi in mandatis dedit, ut Prætores Regios pœnis ſacris ſeu cenſuris cogerent, Archiepiſcopo Rothomagenſi adempta bona reſtituere. Epiſtola ad Regem data eſt 29 Novembris 1232: ſed ſero effectum habuit ſuum; & Diœceſis Rothomagenſis tredecim menſes divinis interdicta manſit a die Feſtum S. Michaëlis præcedente nempe 28 Septembris 1232 usque ad Feſtum S. Criſpini 25 Octobris 1233. Tunc reddita ſunt Archiepiſcopo prædia ſua cum fructibus per occupationis tempus inde perceptis.

Sæcul.XIII. A.C.1232.

VI. ep. 175. apud Rain. 1232. n. 26.

Chr. Rotho.

§. XVII.

Controverſia Epiſcopi Bellovacenſis.

Cum Rex Ludovicus tantum ſeptendecim annos natus eſſet, non tam ipſi quam conſiliariis ejus adſcribendus venit Aulæ Gallicæ modus agendi. Habebat

Sæcul. XIII. A.C. 1232.

ista eodem tempore similem controversiam cum Episcopo Bellovacensi. Is erat Milo Nantolienſis e Castellionum familia, bellator magis quam Episcopus. Ære alieno pressus, contra Imperatorem Fridericum bellum gerenti Gregorio Papæ suam obtulit operam, a quo post initam pacem Umbriam & Marchiam gubernandam accepit. Postquam tres annos in Italia commoratus fuerat, in Gallias magnis cum opibus redeuntem Longobardi expilarunt ita, ut in itinere suo plus amiserit, quam sit lucratus.

Alberic. an. 1230. Ric. S. Germ. eod.

Eo absente Bellovaci in electione Consulis cives inter ac infimam populi fæcem dissidium, seditio ac homicidia facta erant. Hac super re jus dicturi Rex ac Regina ejus mater numeroso militum cum comitatu illuc se contulere. Sed Episcopus, qui ante illos advenerat, obstitit, in urbe omnem sibi jurisdictionem convenire asserens: ac Rege non cedente ad concilium, quod Novioduni prima verni jejunii hebdomade an. 1232. hoc est, an. 1233 ante Pascha habeatur, querimoniam suam per Vicarium detulit sic loquentem: *Episcopus Bellovacensis vobis, Sancti Patres, per me refert, ad se pertinere justitiam & jurisdictionem in urbe sua, seque ac antecessores suos tranquille semper illam exercuisse: nihilominus Regem ex occasione criminis ibi commissi,*

Luvet. to. 2. p. 366. 379.

to. XI. Conc. p. 446.

cum

cum copiis eo profectum, multis ipsius pre- Sæcul.XIII.
cibus & admonitionibus contemptis, jus- A.C.1232.
sisse edictum suum in urbe promulgari, in-
colarum alios captivos abstrahi, alios in
exilium mitti, & mille quingentas prope-
modum domos everti. Discedentem pro
jure suæ per quinque dies habitationis ab
ipso exegisse octoginta libras Parisienses:
se respondisse, hanc petitionem esse novam,
dandumque sibi modicum cum Canonicis suis
ea de re deliberandi spatium. Sed Regem
id ipsi denegantem occupasse omnes Epi-
scopatus possessiones, iisque præsidia impo-
suisse. Igitur consilium a vobis & opem E-
piscopus meus postulat.

Tum secedentis una cum suis Episcopi Bellovacensis causa agitata Concilium statuit tres Episcopos, Suessionensem, Laudunensem & Catalaunensem, Bellovacum mittere de jure Episcopi, ac illatis eidem injuriis plenam hausturos notitiam: id quod & factum est. Illi de inquisita rerum veritate hebdomade Dominicam Passionis præcedente ad Concilium Laudunense retulerunt: quod Regem jam ante rerum indaginem monitum, iterum ac tertio commonendum existimans, tres alios Episcopos, Anselmum Laudunensem, Godefridum Cameracensem, & Azonium Atrebatensem misit, qui Regem urgerent, ut Pontifici Bellovacensi & homines captos & præ- *Marlot.to.2. p. 515.*

Sæcul. XIII. A.C. 1232.

dia occupata redderet. Admonitio data est Poissii Dominica Passionis an. 1232 h. e. 20 Martii an. 1233. Rege secundam petitionem abnuente Milo totam Diœcesin suam interdicto affecit, quod cæteri Episcopi totam in provinciam extenderunt.

Ineunte Septembri ejusdem anni 1233 ad S. Quintinum congregati statuerunt omnes ire Romam, si Archiepiscopus Rhemensis id expedire crederet, aut illi saltem, quos eo mitteret, ad tuendam Ecclesiarum suarum libertatem. Cathedralia provinciæ Collegia conquerebantur de Episcopis, eosque ipsis non consultis interdictum edere non potuisse affirmabant: & Laudunensibus quidem Canonicis Rex gratias egit, quod interdicto non paruerint. Quam ob rem tertia Adventus Dominica ejusdem anni ad S. Quintini alterum habebatur concilium, ad quod etiam Collegia Cathedralia vocabantur, ne illius authoritatem rejiciendi causam possent prætexere. Hoc in concilio persuadente Simone Arcio Decano Ambianensi sublatum interdictum, ac generatim declaratum fuit, Episcopos nihil posse decernere præterquam adhibitis in consilium Collegiis suis. Questus palam hac de sententia Milo majorem Romæ potestatem imploravit, eumque in finem illuc se contulit. Papa com-

Marlot. to. 2. Lib. III. c. 30 p. 616.

compositurus litem, conciliatore pacis inter Regem ac Episcopum usus est Petro Colmiæo Decano ad S. Audomarum: ut in epistola 6. Aprilis an. 1234. ad Regem data memorat. At Milo Episcopus Bellovacensis eodem anno 6. Septembris Camarini in Italia animam efflavit: & post aliquot annos Robertus Cressonsartius ejus successor sublato interdicto cum Rege pacem iniit. Sæcul.XIII. A. C. 1232.

IV. epist.19. ap. Rain. 1234. n. 12.

§. XVIII.

Ulteriores injuriæ Romanis in Anglia illatæ.

In Anglia conjuratio adversum Romanos facta Natalibus Servatoris nostri feriis an. 1231 erumpere cæpit. Parvus numerus armatorum tectis, ne agnoscerentur, vultibus Vingamensis Ecclesiæ ad Romanum ditissimum pertinentis granaria direptum venerat. Videns violentiam procurator ejus ad Procomitem rem detulit, qui suorum quosdam cum vicinis equitibus aliquot eo misit. Illi vero incogniti evacuatis ex maxima parte granariis frumentum commodo pretio in emolumentum totius provinciæ vendiderant, ac egenis poscentibus libenter distribuerant. Dein ab equitibus interrogati, qui essent, abductis a turba Regias monstrabant litteras, ne vetarentur agere, *Matth. Par. an. 1232. p. 314.*

Sæcul. XIII. A. C. 1232

agere, imperantes. Falsæ quidem erant litteræ: sed equites fraudis ignari iis perlectis cum comitatu suo recesserunt. Ita factum, ut ignoti homines illi omni frumento intra quindecim dies venundato, multis cum pecuniis se subducerent. Edoctus hanc vim Rogerius Londinensis Pontifex convocatis aliis decem Episcopis postridie Festi S. Scholasticæ nempe 11 Februarii an. 1232 ad S. Paulum Londini omnes ejus violentiæ authores una cum iis, qui Concium ejusdem urbis Canonicum male acceperant, & cum omnibus conjuratis sacro fulmine perculit.

Ejusmodi facinora in Paschate rursum cæpta per totam fere Angliam proferebantur: vendebatur modico pretio Romanorum frumentum, & magna liberalitate pauperibus dispensabatur. Romani Clerici in cœnobiis abditi, ac ne conqueri quidem ausi, bona sua quam vitam perdere malebant. Authores violentiæ erant circiter octoginta, & interdum pauciores; ducemque habebant Robertum Thingium Equitem juvenem ac nobili ortum genere, qui Uithamus volebat dici. Summus Pontifex re paulo post comperta gravissime offensus, ad Regem Angliæ litteras severas dedit, quibus ei vehementer exprobrabat, quod in Regno suo Clericos ita expilari pateretur, juramentorum ad inaugurationem suam

suam dictorum immemor. Itaque cum comminatione sacri anathematis & interdicti ei præcipiebat, ut inquireret in violentiam, & graves de authoribus ejus pœnas sumeret. Petro Episcopo Vinconiæ & Abbati S. Edmundi mandavit, ut inquisitionem facerent per partem Angliæ meridianam, reosque a piorum communione secluſos denunciarent, donec Romæ præsentes absoluti essent. Pro parte Septentrionali eadem mandata dedit Archiepiscopo Eboracensi, Episcopo Dunelacensi, & Joanni Eboracensi Canonico, sed natione Romano. Sæcul.XIII. A.C.1232.

In quadam epistola ad Archiepiscopum Eboracensem cæterosque Episcopos queritur numisma SS. Petri & Pauli imaginem exhibens pedibus calcatum, sua diplomata lacerata, cursorum seu apparitorum suorum aliquem in frusta concisum, alium semimortuum relictum: doletque illos prædones ac incendiarios publicos anathemate perculsos denunciatos non esse, nec Ecclesias fuisse interdictas: denique solemniter eos denunciari jubet. Dabat 9 Junii an. 1232. Credendum est, Papam ignorasse ea, quæ Episcopus Londinensis fecerat. Interea ex parte tam Regis, quam Papæ in grassatores inquisitum est, multique inventi sunt sontes vel tanquam authores, vel tanquam complices, etiam Episcopi, Clerici Regis, Archidiaconi, Decani; *ap. Rain. 1232. n. 28.* *Matth. Par. p. 316.*

Sæcul. XIII. A.C. 1232.

cani; Equites præterea, & magnus aliorum Laicorum numerus. Hinc Rex Procomites cum tribunis ac miniſtris ſuis in cuſtodiam tradi juſſit: alios abſtulerat fuga. Compertum eſt, Magnum Juſtitiæ Præfectum Hubertum Burgium prædonibus illis dediſſe litteras vetantes, ne eorum facinora impedirentur. Robertus Thingius eorundem Dux inter alios ſe ſiſtens Regi aſſeruit, ad ea, quæ egiſſet, ſe ſtimulatum eſſe odio Romanorum, per manifeſtam fraudem eccleſiaſtico, quod ſolum haberet, beneficio ipſum privare conantium: quod ne amitteret, ferendam ſibi ſacræ ad tempus proſcriptionis injuſtitiam viſam eſſe. Itaque Pontificii rerum Quæſitores ei ſuadebant, ut Romæ præſens exponeret jus ſuum, & abſolutionem peteret: quo fine Rex litteras ei commendatitias dedit.

p. 317.

Eodem tempore hebdomade Pentecoſtes, quæ hoc anno in trigeſimum Maji incidit, Romam venit Joannes Eccleſiæ Cantuarienſis Prior, loco Epiſcopi Ciceſtrienſis in Archiepiſcopum a monachis electus. Quem per tres dies ſuper novendecim punctis ſolicite examinatum cum Joannes Columna cæterique præſentes Cardinales ſatis doctum cenſerent, Papa tamen, cui per ætatem jam ingraveſcentem, ac ſimplicem nimis animum ad ſuſtinendam illam dignitatem minus idoneus

idoneus videbatur, ei persuasit, ut de jure suo decederet, monachisque ad tertiam electionem procedendi copiam fecit. Sæcul. XIII. A.C. 1232.

§. XIX.

Summus Pontifex Roma pulsus.

Interim Gregorius Papa a Romanis semper rebellibus ex urbe fugatus, tum Spoleti, tum Anagniæ, tum Reate commorabatur, ubi 24 Julii Friderico Imperatori scripsit, rogans, ut Ecclesiæ matri suæ, h. e. secundum illius temporis stylum, Papæ ac comitibus ejus celeriter auxilio veniret. Imperator, quamvis Romanorum seditionem etiam per largitiones clam foveret, Papæ tamen armatas spopondit suppetias; de quibus eo securiorem redditurus Archiepiscopum Messanensem, ac Petrum Curiæ Imperialis Judicem ad eum misit. Papa magnificis verbis gratias illi dixit, seu reapse deceptus, seu eundem exacerbare nolens. Sed aliquanto post illi conquestus fuit, quod Saraceni sub ejus signis militantes templum ad monasterium S. Laurentii Aversæ pertinens in equile converterint; & postea ejusdem destructi materiam ad ædificia Nuceriæ erigenda adhibuerint. Supererant in Sicilia plurimi Saraceni sub ditione Cæsaris, qui militari eorum opera utebatur.

Ric. S. Ger. an. 1232. *Rain. n.* 37. 40.

VI. ep. 149.

ep. 184.

Sæcul. XIII. A. C. 1232.

§. XX.

Tractatio reconciliationis Græcorum.

Hoc anno Gregorius Papa recepit Germani Græci Conſtantinopoleos Patriarchæ Legatum cum epiſtola pro reconciliatione Eccleſiarum: en legationis hujus occaſionem! Quinque Fratres Minores in Anatoliam Chriſto animas adjunctum profecti, a Turcis capti & in carcere detenti fuerant. Inde emiſſi venere Nicæam, ubi Græcus Patriarcha æque ac Imperator Joannes Vataicus ſedes fixerant ſuas. Patriarchæ deferentes obſequia, ſuam paupertatem, & ardens honoris divini ſtudium magnopere probabant, & perhumaniter excepti ſunt. Inter mutuos variis de rebus ſermones potiſſimum ſchiſmati Eccleſiam a longo tempore dividenti immorabantur; & ad concordiam Latinos inter ac Græcos conciliandam ſuam offerentes operam benevolas nacti ſunt aures. Vidimus an. 1193 Papam Innocentium tertium ex una parte, & ex altera Alexin Angelum Imperatorem, & Patriarcham Joannem Camaterum greſſus aliquos ad reconciliationem feciſſe: Sed Conſtantinopolis a Latinis capta animos plus quam antea ſejunxit. Patriarcha Germanus cognomento

Sup. Lib. LXXV. §. 14.

Leo Allat. conſen. p. 723 724.

mento Nauplius sub annum 1227 Manueli philosopho successerat. Patriam habebat Anaplum in Propontide: & inter Clericos Constantinopolitanos educatus vitam monasticam amplexus erat: unde ad Sedem Patriarchalem evocatus, eam annis septendecim ac dimidio tenuit. Patriarcha Constantinopoleos Latinus erat Simon, qui hoc anno 1232 supremum diem explevit: ac in sedem per annum & amplius vacantem Gregorius Papa consentiente Clero Constantinopolitano Nicolaum Placentinum Episcopum Spoletanum, qui ejus Procancellarius fuerat, transtulit.

Sæcul.XIII. A.C.1232.

Sup. Lib. LXXVIII. §. 48.

Alberic. 1232.

Patriarcha Germanus Fratrum Minorum verba Imperatori Joanni Vatacio Domino suo retulit, cujus tunc intererat sibi Papam reconciliare, ut tempestatem, quam a Joanne Briennio Constantinopolis Imperatore Latino sibi metuebat, averteret. Hic Princeps eo advenit sub finem anni 1231, & a Patriarcha Simone in S. Sophiæ templo coronatus fuit. Georgius Acropolita, qui eum tunc vidit, a procera & ad dignitatem apposita statura senis ad minimum octoginta annos nati in admirationem se raptum memorat. Per annum circiter nihil ille movit. Verum Vatacius hanc quietem haud diuturnam fore merito ratus, cruce signatorum auxilium, quod ei Papa mittere posset,

Anonym. ap. Allat. de consen. p. 695. Ducang. hist. C. P. p. 93.

c. 27.

Sæcul. XIII. A.C. 1232.

set, prævertere, ut apparet, voluit. Itaque Papæ pro reconciliatione & Patriarcham scribere passus est, & ipsemet scripsit.

to. XI. Conc. p. 318. Matth. Par. an. 1237. p. 386. Vading. 1232. n. 34.

Patriarchæ Germani ad Gregorium Papam epistola initium habet a precibus ad J. C. quem invocat tanquam lapidem angularem diversas gentes in una & eadem Ecclesia conjungentem. Tum ad Papam conversus, primatum Sedis Apostolicæ ei obtigisse agnoscit, rogatque, ut ad ipsum benigne audiendum e fastigio suo paulum descendat. Repetit dein, se salvum Papæ primatum velle, & scribendi materiam ingrediens addit: *Omni quo possumus, conatu authores dissidii quæramus! Si nos sumus, indica nobis malum, ac remedium ei applica! Si Latini sumus, haud credimus, vos per ignorantiam, a scelestam obstinationem ab hæreditate Domini excludi velle. At nemo non fatebitur, materiam dissensionis esse dogmatum discrepantiam, destructionem Canonum, & mutationem ceremoniarum, quas a patribus nostris per traditionem accepimus: ac testantur omnes, quod junctis manibus petamus reconciliationem, postquam veritas penitus examinata fuerit, ut ne pars altera alteram schismaticam appellet aut credat amplius. Et ut ipsa animi penetralia pervadam, multi potentes, multi nobiles vobis obedirent, nisi timerent oppressionem, exac-*

tione

ctiones insolentes, ac indebitas pensiones, quas a subjectis exprimitis. Hinc veniunt horrida bella, vastantur urbes, clauduntur templa, cessat cultus divinus: solum nobis deest martyrium, sed haud procul abesse credimus. Insula Cyprus vidit ea, quæ dicere volo. Loquitur de monachis schismaticis, qui post trium annorum captivitatem ignibus absumpti fuere; & adjungit: *Hoccine est, quod docet Petrus, pastores gregem sine vi ac dominatione ducere jubens?* Subdit: *Scio, quod utrimque nos recte agere, ac neutiquam falli credamus: consulamus sacras Litteras, & scripta Patrum!*

Sæcul. XIII. A.C. 1232.

Anonym. ap. Allat. consen. p. 695.

1. Pet. v. 2. 3.

Germanus etiam Cardinalibus scripsit, ad procurandam pacem eos exhortans tanquam Papæ consiliarios. *Liceat mihi,* ait, *vera dicere: nostrum dissidium ortum est ex oppressione tyrannica, quam exercetis, & ab exactionibus Ecclesiæ Romanæ, quæ ex matre facta est noverca, & calcat reliquas eo immitius, quo abjectius ei se submittunt.* Tum proponit in exemplum reprehensionem S. Pauli, quam S. Petrus in bonam partem accepit, ita, ut illa nullam discordiam, sed accuratius examen quæstionis de ceremoniis legalibus inveheret. Subjungit: *Offensionem animis concipimus, dum vos bonis terrenis unice addictos undequaque aurum & argentum colligere, ac regna vobis tributaria*

Matth. Par. p. 388.

Gal. 2.

Sæcul. XIII. A. C. 1232.

ria reddere videmus. Denique dicit: *Multi populi numerosi nobis adhærent, ac per omnia nobiscum sentiunt, Æthiopes, Syri, Iberi, Lazi, Alani, Gothi, Chazares, Bulgari, & innumerabilis Russiæ gens.*

epist. 5. to. XI. conc. p. 321.

Gregorius Papa Patriarchæ Germano per longam respondit epistolam Reate 26 Julii an. 1232 datam, ad suam & Cardinalium intentionem fusius exponendam se illi Religiosos missurum spondens. Ad exemplum S. Petri a D. Paulo reprehensi reponit cum quibusdam antiquis, illos ex composito & per artificium charitatis plenum sic egisse, ut Judæos ac Ethnicos ad Christum adducerent. At vidimus, S. Augustinum solide confutare hanc explicationem a S. Hieronymo allatam. Deinde Papa asserit, Ecclesiam Græcam, utprimum se a Romana sejunxisset, amissa libertate sua potestatis profanæ mancipium factam, paulatim a puritate fidei ac disciplina morum deflexisse. Exprobrationis hujus fundamentum est, quod Episcopi ac omnis Clerus Principibus ac Magistratibus multo subjectiores fuerint apud Græcos quam apud Latinos, & immunitatem Ecclesiasticam veteres intra terminos melius continuerint.

Sup. Lib. XXI. n. 28. Aug. ep. 28.

ep. 6. to. XI. conc. p. 324. ap. Vading. 1233. n. 8.

Staturus promisso suo Papa sequente anno in Anatoliam quatuor Religiosos mendicantes, Hugonem ac Petrum fratres

tres Prædicatores, Minores autem Haimonem & Radulphum misit cum litteris ad Patriarcham Germanum, in quibus schisma Græcorum cum schismate Samaritanorum comparans, inter illos Deum præclaros Doctores, ut S. Chrysostomum, S. Gregorium Nazianzenum, S. Basilium Magnum, & S. Cyrillum, sicut inter Samaritanos Eliam, Elisæum ac cæteros Prophetas suscitasse dicit. Hoc est Græcorum schisma satis alte repetere. Proponens dein allegoriam de duobus gladiis, affirmat ad Papam pertinere etiam materialem vi verborum J. C. ad Petrum: *Mitte gladium tuum in vaginam!* Insistit figuris unitatis Ecclesiæ, finitque per quæstionem de Azymis, asseverans, per Græcorum panem fermentatum J. C. corpus ante reditum ad vitam corruptioni obnoxium, & per Latinorum panem sine fermento ejusdem corpus glorioſum exhiberi. Dabat 18. Maji an. 1233.

Sæcul.XIII. A.C.1232.

Matth. XXV.

§. XXI.

Litteræ Pontificiæ ad Principes Musulmannorum.

Eodem anno Papa fratres Minores ad sacram expeditionem inter ethnicos misit cum epistola Sultano Damasci inscripta, & 15 Februarii data, qua longam de Religione Christiana informationem

ap. Rain. 1233. n. 16. Vading. eod. n. 27.

Sæcul. XIII. A. C. 1233.

nem permultis legis veteris ac novæ locis confirmatam tradit, ac denique Sultanum ad illius amplexum animat, non se potestatem Principis imminutam velle, nihilque terrenum, sed solam ejus salutem quærere se affirmans. Simillimas litteras ad Califam sive Principem Bagdetiæ seu novæ Babylonis, & ad Miramolinum Africæ, h. e. Marochii Regem dedit: sed non apparet effectus aliquis, nec expectandus erat. Ad Miramolinum in gratiam Agnelli Fessani Episcopi Ordinis Fratrum Minorum aliam scripsit epistolam, quam finit hac comminatione: *Si inimicus J. C. quam amicus esse mavis, neutiquam permittemus, nec debemus permittere, ut Christiani tibi obediant.* Nescio, qua ratione hoc dictum cum verbis Apostolorum, ethnicis quoque Principibus morem geri jubentium, & cum primorum sæculorum praxi cohæreat.

Vading. eod.

Felicius studium Gregorius Papa posuit in permovendis ad Christi cultum Saracenis Siculis inter Italicas Imperatoris Friderici copias militantibus, cui scripsit in hanc sententiam: *Oramus, ut Saracenos Nuceriæ habitantes, ac linguæ Italicæ, ut fama fert, satis gnaros per litteras stricte jubeas Fratribus Prædicatoribus, quos ipsis mittemus, se humanos ac faciles exhibere, placidas aures commodare, serioque se applicare ad ea, quæ in suam salutem sibi dicta*

VII. ep. 310. ap. Rain. n. 24.

dicta noverint; & illos, qui se Christianis addixerint sacris, tuo tegas præsidio. Dabat 27 Augusti an. 1233. Et vero rem promovit Fridericus, ac multos ad sanam fidem traductos esse Summo Pontifici nunciavit. Musulmannorum hac in urbe commoratio ei nomen Nuceriæ ethnicorum fecit, ut a Nuceria Umbriæ distingueretur. Sæcul. XIII. A.C. 1233.

§. XXII.

Frater Joannes Vicentinus.

Existimatio & authoritas Fratrum Prædicatorum crescebat indies præsertim in Italia. Bononiæ tunc versabatur Frater Joannes Vicentinus, qui suscepto Sacri Oratoris officio, doctrina & virtute sua omnium animos ita sibi conciliavit, ut in urbe dominaretur. Cives, rustici, artifices, nobiles cum crucibus ac vexillis eum sequebantur, & omnem suam agendi rationem ejus solius arbitrio permittebant: non erat lis, quam non dirimeret, vel discordia, quam non placaret. Episcopus ipse ac civitas de jurisdictione capitali a longo tempore disceptantes eum petebant judicem, ejus sententia stabant. Cum consensu Magistratuum e carcere emisit illos, qui ob sola debita eo conjecti fuerant, & creditoribus persuasit, ut iisdem multum remitterent. *Sigon. lib. XVII. de regno Ital.*

Sæcul. XIII. A. C. 1233.

Quodam die in fœneratores tanta animi & virium contentione invectus est, ut populus mox ad famosum fœneratorem Landulum nomine properaret, ac domum ejus everteret. Fama sermonum illius & miraculorum totam Longobardiam pervadente, ejusdem videndi & audiendi gratia ingens ex omni parte concursus hominum fiebat.

Vitæ PP. Prædic. par. 3. c. 45. p. 55.

Bononienses tanti viri jacturam veriti, per legationem Patri Jordano generalia habenti comitia inter alia exposuere, Joannem in ipsorum urbe verbi divini sementem maximo cum applausu sparsisse, fructumque speratum per ejus absentiam amitti posse. At ille laudato eorum fervore, non magnopere se dicta ratione moveri reposuit. Nam satores, inquiebat, non portant lectum in agrum constum, ut ibi cubent, dum videant, quam multas sementis fruges proferat: sed eam commendant Deo, & alium agrum conserunt. Sic expediret forsitan, Fratrem Joannem alibi verbum Dei seminare, secundum illud, quod Salvator dixit: *Et aliis civitatibus oportet me evangelizare.* Deliberabimus tamen hac de re nostris cum Definitoribus, & faciemus ut merito contenti sitis.

Luc. IV. 43.

Sigon. p. 44.

Gregorius Papa videns, quantam authoritatem frater Joannes Vicentinus acquisiverit, ad reconciliandas Italiæ urbes eum

eum adhibuit, ne Fridericus Imperator diffidentes, Longobardicas præcipue eo facilius in poteſtatem redigeret. Itaque Joannem ſuum in Piceno Legatum agere, dein Hetruriam adire juſſit, pacemque Florentiam inter ac Senas conficere. Sed cum difficile eſſet eum Bononiæ cæterisque, quibus chariſſimus erat, urbibus eripere, Papa ſacras illis pœnas, niſi eum dimitterent, irrogandas minitari compulſus, ſancto illi Religioſo per litteras & ſucceſſum laborum eſt gratulatus, & ad novos animum addidit, & de infamia innocenti aſperſa ſolatium præbuit. Sæcul. XIII. A.C. 1233.

VII. ep. 68. 218. 130. 287 ap. Rain. 1233. n. 36. 37. 38.

§. XXIII.

S. Dominicus a Papa Cœlitum albo adſcriptus.

Quo tempore frater Joannes Vicentinus Bononiæ agebat, translationem corporis S. Dominici procuravit. Duodecim abhinc annis mortui memoriam nullo hactenus honore coluerant diſcipuli, immo ſimplices quidam dicebant ſufficere, quod ejus ſanctitas cognita Deo eſſet; ut hominibus nota fieret, minime ſoliciti. Populus autem variis in morbis Sancti opem implorabat: multi ad ejus ſepulchrum diu noctuque hærebant; affirmabant deinde, ſe ſanatos eſſe, ac pro teſtimonio cereas oculorum, ma-

Chr. MS. ap. Boll 13. Febr. to. 4. n. 721. epiſt. Jord. ap. Bzov. n. 5

Sæcul. XIII. A. C. 1233.

manuum, pedum, aliarumque partium imagines ſuſpendebant. Multi Fratrum Prædicatorum ablata frangebant hæc anathemata, nec fatebantur ſe miracula illa agnoſcere, ne rationibus ſuis proſpicere viderentur. Creſcente poſtea Bononienſium Fratrum numero, cubicula & templum augeri debebant: & dum ædificium vetus deſtruitur, S. Dominici ſepulchrum relinquitur apertum; id quod fratribus conſilium ſuggeſſit, corpus in decentiorem locum transferendi. Sed non conſulto Papa id facere non audebant.

Hic acriter illos reprehendit, quod Patri ſuo debitum honorem exhibere tamdiu neglexiſſent: & Archiepiſcopo Ravennati, Bononiæ Metropolitano ſcripſit, ut translationi cum Suffraganeis ſuis intereſſet. Advenerat præfixa dies; confluxit innumerabilis hominum multitudo, & Bononienſes milites ſtabant armati, ne theſaurus hic auferretur. Metuendum erat, ne feretro ſolis ardori ac pluviæ diu expoſito, corpus corruptum fuerit: ſed contra remoto, quo tegebatur ſaxo, ad ſtuporem adſtantium odorem exhalabat ſuaviſſimum, & cunctis tangentibus adhærentem. Translatio facta eſt feria tertia Pentecoſtes 24 Maji an. 1233. & a Patre Jordano teſte oculato enarrata in litteris toti Ordini inſcriptis.

ptis. Cæptum dein procedi ad solemnem Dominici in Sanctorum numerum adscriptionem. Eodem anno 1233 Gregorius Papa Tancredum Archidiaconum Bononiensem, duosque alios in ejus vitam & miracula inquirere jussit: & habemus fide digna testimonia novem virorum, qui hac super re audiebantur, & omnes erant ex illius discipulis, qui eum familiariter noverant, nec nisi suismet visa oculis, ac ex ejusdem ore percepta, in medium afferebant. Demum anno sequente 1234 Papa cœlestes illi honores publicosque solemni ritu decrevit, ut apparet ex ejus litteris Reate 13 Julii datis: & Ecclesia celebrat illius memoriam eodem die, quo obiit 4. Augusti. Papa Gregorius hoc anno cœlitum honoribus cumulavit etiam D. Virgilium Archiepiscopum Salisburgensem an. 780 mortuum, & diem Novembris 27, quo decessit, ejus memoriæ dicavit. Diploma dabat 18 Junii an. 1233.

Sæcul. XIII. A. C. 1233.

Vit. S. Dom. per P. J. Rechac. p. 519.

Bullar. to. I. Gr. IX. n. 8.

ap. Bzov. 1234. n. 1.

Mart. Rom. 4. Aug.

Sup. Lib. XLIV. n. 3.

ap. Rain. 1233. n. 55.

§. XXIV.

Stadingi hæretici.

Anno præcedente in Germania magnus hæreticorum numerus deprehensus est cura Doctoris Conradi Marburgensis: qui iis examinatis ut Quæsitor Pontificius illorum multos igni comburendos tradi

Cont. Lamb. Schafn. an. 1232.

Chr. Godef. cod. & 1234.

Alber. 1234. p. 551.

Sæcul. XIII. A. C. 1233.

tradi jussit, & quatuor ex iis in præsentia sua Erfordiæ. Stadingi vocabantur ex nomine populi ad confinia Frisiæ ac Saxoniæ loca fluviis & imperviis paludibus circumdata incolentis. Isti homines ob crimina sua, & inter alia, quod decimas pendere recusarent, Romanis sacris per plures annos excluſi, commota seditione, Ecclesiæ authoritatem se contemnere aperte demonstrarunt; & ut erant strenui, populos vicinos, etiam Comites ac Episcopos aggressi, plerumque prædas retulere.

Ecce res abominandas, de quibus accusabantur secundum litteras Gregorii Papæ, Archiepiscopo Moguntino, Episcopo Hildesiensi, & Doctori Conrado missas. Quando novitius a Stadingis admissus primo eorum cœtum adit, bufonem magnitudine anseri parem vel isto majorem videre dicitur, cujus os alii, alii tergum osculantur: tunc novitio se offert homo pallidus nigerrimis oculis & ita macilentus, ut ex pelle ac ossibus solis constet: hunc osculans glacie frigidiorem sentit, ac post id osculum catholicam fidem prorsus obliviscitur. Celebrato dein convivio felis atra descendit pone statuam, quæ solet in loco esse. Novitius prior felis tergo fert osculum, tum cœtus Præses, ac reliqui hoc honore digni: imperfecti solum Magistri osculum recipiunt.

VII. ep. 177. apud. Rain. 1233. n. 42.

piunt. Spondent obedientiam, ac extinctis luminibus omne obscœnitatis genus inter se committunt. Quotannis in Paschate acceptum Christi Domini corpus in ore suo domum gerunt, & in foricam dejiciunt. Asserunt, a cœli Domino injuste ac fraudulenter Luciferum ad inferos detrusum esse. In hunc credunt, dicuntque, eum esse creatorem rerum cœlestium, a præcipitato adversario suo ad gloriam rediturum. Per eum & cum eo se in beatitudinem æternam intraturos sperant. Sic Papa loquitur in epistola, quam dabat 13 Junii an. 1233. Sæcul.XIII. A.C.1233.

Ultimus hic articulus indicio est, Stadingos e Manichæis ortos fuisse: & quod ad execranda nocturnorum cœtuum crimina attinet, similia probra Manichæis Aureliani an. 1022 combustis objecta vidimus. Albertus Stadensis in Saxonia inferiore Abbas an. 1232 creatus, dicit, Stadingos Ecclesiæ doctrinam spernere, a dæmonibus & magis consilia petere, figuras cereas fingere, Clericos ac Religiosos per atrocia omnis generis tormenta lacerando crudelitatem suam explere, non ætati, non sexui parcere. Ad sectam suam alios, quotquot poterant, præsertim rusticos attrahebant. *Sup. Lib. LVIII. §. 53 Chr. 1234.*

Hoc anno 1233 Rex Henricus Imperatoris Friderici filius, Conradus Archiepiscopus Moguntinus, & Doctor Conradus *to. XI. conc. p. 478. ex cont. Lamb.*

Sæcul. XIII. A.C. 1233.

dus Marburgenſis Moguntiam Epiſcoporum, Comitum & Clericorum conventum convocarunt, homines hæreſis infamia laborantes examinandi cauſa: inter quos Comes Seinius ſe purgandi ſpatium popoſcit, reliquis haud comparentibus. Qui contra hos armari volebant, iis Conradus crucem dedit. Quæ res exiſtimatos illos hæreticos ita irritavit, ut ſtructis prope Marburgum inſidiis redeuntem una cum fratre Gerardo Ordinis Minorum ſanctæ vitæ viro 30 Julii occiderunt. Accuſabatur Conradus de præcipiti in judiciis ſuis feſtinatione, & quod temere nimis ſub hæreſis obtentu multos nobiles & ignobiles, clericos, monachos, clauſos, cives, & agricolas comburi juſſerit. Nam eodem, quo delati erant, die eos ſupplicium ſubire compulit, haud conceſſa majoris poteſtatis imploratione.

Ann. Godef. 1233.

Ad diſcutiendas has querimonias contra memoriam Doctoris Conradi, qui non carebat defenſoribus, & quem hæreſis ſuſpicio de quibusdam non fefellerat, conventus celebrabatur. Aderant multi Præſules ac Principes profani: illi, qui de hæreſi ſuſpecti fuerant, abſoluti, & Conradi interfectores abſolutionis obtinendæ gratia ad Papam miſſi fuere. Is ægerrime tulit, ſe non conſulto cauſam fidei decidi, & homines, quos Quæſitor Ponti-

to. XI. conc. app. p. 2346.

Pontificius tanquam hæreticos infectatus esset, absolutos dimitti. Re diu dissimulata, tandem Archiepiscopo Salisburgensi, Hildesiensi Episcopo, & Buchensi Abbati Ordinis Cistercienſis litteras scripsit Perusiæ ultimo Julii an. 1235 datas, per quas illos cum accusatis hæreticis eo, quem inibi præscribit, modo agere jubet, simulque pœnam indicat Conradi interfectoribus impositam, ut nimirum in proxima expeditione militandi causa terram sanctam adeant, & interea in templis provinciæ crimine commisso maculatæ terga flagellis cædenda præbeant. Sæcul. XIII. A.C. 1233.

§. XXV.

Decretum contra Albigenses.

In Occitania quoque vehementer hæretici premebantur, etsi bellum ibi finitum esset. Fulco Tolosensis Episcopus die Christi natali an. 1231 vita functus, in Abbatia Grandisylvana, ubi monachum induerat, terræ mandatus erat. Post paucos dies Canonici Tolosenses in ejus successorem elegerunt fratrem Raimundum fratrum Prædicatorum in Saluviorum regione Præpositum Provincialem, probante electionem Qualterio Episcopo Tornacensi Papæ Legato. Raimundus quarta verni jejunii Dominica 21 Martii an. 1232 consecratus, ante- *Guil. de Pod. Laur. c. 41. 42. Alberic. p. 541.*

Sæcul. XIII. A. C. 1233.

cessoris sui fervorem in insectandis hæreticis imitabatur, juvante interdum Raimundo Comite, interdum langueſcente. Quare Legatus adjunctis sibi Archiepiscopo Narbonensi & aliquot ejus Suffraganeis Melodunum, quo Comitem Rex vocaverat, delatus in hoc conventu præsente Rege conquerebatur, quod Comes pacis an. 1229 Parisiis initæ leges plures non obſervaverit, ut debuisset: ac denique decretum fuit, ut Comes rem totam repararet ex sententia Episcopi Tolosani, ac Equitis a Rege cum Episcopo hunc in finem mittendi. Is erat Ægydius Flajacus, quicum Tolosam advecto Episcopus puncta a se conscripta communicavit, e quibus Comiti explicatis statuta formavit sua. Summa eorum capita sunt hæc.

Sup. Lib. LXXIX. §. 50.

to. XI. conc. p. 449. Catel. Comt. p. 354.

Omnes nostri Barones, Equites, Prætores, & alii clientes beneficiarii omnem diligentiam adhibento, ut hæretici inquirantur capique ac puniri possint. Hæreticos indagantium interfectores, ac horum complices mox investigantor, ad meritas trahendi pœnas. Urbes aut pagi in quibus hæretici inventi fuerint, pro quolibet selibram argenti comprehendentibus pendunto. Omnes domus destruuntor, ubi a tempore pacis Parisiis factæ hæreticus vivus aut mortuus fuerit deprehensus, aut ubi concionem habuerit:

&

& ibi habitantium bona fisco addicuntor. Cavernæ munitæ aliaque suspecta loca occluduntor. Omnia bona illorum, qui ad hæreticos transierint, publicantor, ita, ut nihil eorum hæredibus obtingere queat. Proscribuntor etiam bona illorum, qui hæreticorum comprehensionem vel impedierint, vel cum potuissent, non adjuverint, aut eis fugæ locum reliquerint. Sæcul. XIII. A. C. 1233.

Quicunque de hæresi suspectus erit, fidem catholicam interposito jurejurando profitetor, alioqui instar hæretici puniendus. Qui hæresin ejurarunt, in vestibus suis conspicuas portanto cruces, nisi facultates suas in publicum conferri, vel aliam pœnam convenientem subire malint. Sectio bonorum fiat, etiamsi alienata fuerint in fraudem pœnæ scilicet, eamque præveniendi causa. Cauturi, ne claves Ecclesiæ in contemptum veniant, volumus, ut, qui ab ea excluſus per anni spatium manserit, ejusdem reconciliationem efflagitare per facultatum suarum jacturam compellatur. Statuta reliqua ad pacem pertinent: & inter alia ibi vetatur, ne domibus religiosis præsertim Ordinis Cistercienſis, hæreticis maxime invisi, violentia, vel sub obtentu habitationis molestia afferatur. Hæc statuta cum decretis Concilii an. 1229 habiti cohærentia Tolosæ in cœnobio S. Stephani

Sup. Lib. LXXIX. §. 58.

Sæcul. XIII. A.C. 1233. phani 18 Februarii an. 1233 ante Paſcha promulgata fuere.

§. XXVI.

Concilium Bliterranum.

G. de Pod. c. 42. to. XI. conc. p. 452. Sub idem tempus Legatus concilium Bliterris habuit, ubi ſtatuta viginti ſex capitibus comprehenſa, & multas ejusmodi leges contra hæreticos continentia promulgavit. Quilibet privatus *c. 2.* eos capere, ac Epiſcopo ſiſtere jubetur. *c. 5.* Parochus debet habere indicem illorum, qui in ejus parœcia de hæreſi ſuſpecti ſunt; atque ſi Eccleſiam diebus feſtis non adeant, conſtitutiones contra eos factas accurate obſervabit, alioquin bene- *c. 6.* ficium ſuum amiſſurus. Concilium agnoſcit, in his provinciis ad ſacros Ordines homines prorſus indignos hactenus admiſſos fuiſſe: quare vult in vitam, mores ac eruditionem initiandorum ſolicite inquiri, eosque habere titulum patrimo- *c. 7.* nii ſaltem centum ſolidorum Turonenſium, qui francos, ſeu libellas Francicas quinquaginta conficiunt. Qui ingenuus eſt ac legitimo ex conjugio natus, ſi legere canereque ſciat, ad tonſuram admitti poteſt. Quia Concilium Lateranenſe *Conc. Lat. c. 5. c. Epiſc. 4. extra de præb.* ſub Alexandro III. Epiſcopum, qui Clericum ſine ſufficiente titulo conſecraret, ad vitæ ſuſtentationem ei ſuppeditandam

con-

condemnaverat, ideoque Episcopi sacros Ordines non conferebant nisi jurantibus, se illis haud molestos fore: eam praxin tanquam sacrilegam seu simoniacam Concilium Bliterranum damnat. Præcipit Patronis Ecclesiasticis, seu Parochis primariis, ut in obnoxiis sibi parœciis Parochos seu vicarios perpetuos cum portione congrua constituant. Vult etiam, ut habentes beneficium animarum cura præditum per ademptionem annuorum fructuum cogantur conveniente tempore se sacerdotio inaugurandos sistere: alioquin utroque indignos fuisse censendos dicit. Clerici status sui privilegio frui volentibus vetatur, ne arma gerant præterquam belli tempore: & hæ duæ conditiones notatu dignæ sunt. Reliqua ad Religiosos spectant, indicantque remissam tunc temporis in monasteriis disciplinam.

Sæcul. XIII. A.C. 1233.

Sup. Lib. LXXIII. §. 21.
c. 8.
c. 11.
c. 12.
c. 13.

§. XXVII.

Universitas Tolosana.

Interim Gregorius Papa Universitatis Tolosanæ institutionem per Tractatum Parisiensem an. 1229 cæptam approbavit tanquam efficacissimum fidei hac in provincia ab hæreticis purgata conservandæ medium. Itaque Academicis Tolosanis eandem, quam Parisiensibus con-

epist. 28. to. XI. conc. p. 364.
Sup. Lib. LXXIX. §. 50.
Sup. Lib. LXXV. §. 26.

Sæcul. XIII. A. C. 1233.

concesserat, libertatem permittens decrevit sequentia. Cives Academicis domos justo pretio secundum æstimationem per duos Clericos totidemque laicos factam elocanto. Magistri, & auditores eorumque famuli ob commissum crimen nulli Judici laico obnoxii sunto, nisi per judicium ecclesiasticum curiæ profanæ relinquantur. Sed laici ab Academicis coram Judice ecclesiastico pro more Ecclesiæ Gallicæ accusari poterunt. Comes Tolosanus ejusque administri & Barones Academicos ac horum tabellarios incolumes & ab omni discrimine liberos servanto. Idem Comes promissum suum ad Magistrorum per decem annos mercedem attinens exsolvito. Ista continent litteræ Pontificiæ Comiti inscriptæ datæque ultimo Aprilis an. 1233. Aliud diploma ad Universitatem ipsam missum hæc habet addita. Theologiæ auditores & Doctores omnes annuis beneficiorum suorum fructibus, velut si residerent, fruentur, exceptis distributionibus quotidianis: & Magistris in aliqua facultate approbatis ubique sine ullo examine publicos Doctores agere licebit.

Duboulai to. 3. p. 249.

§. XXVIII.

Statuta Regis Hungariæ.

Tribus abhinc annis Gregorius Papa inter Hungaros multas res indignas non

non sine Religionis detrimento in usu esse compererat. Vide, quomodo de his ad Robertum Archiepiscopum Strigoniensem 30 Martii an. 1231 scripserit. *Multi Christiani exactionibus intolerandis oppressi, Saracenorum majore libertate fruentium superstitiones amplecti, & affinitatis vincula cum eis nectere non dubitant. Saraceni mancipia Christiana emunt, iis, ut lubet, abutuntur, ea ad ejurandam fidem sanam inducunt, nec eorum liberos salutari fonte ablui patiuntur. Interdum Christiani suadente inopia liberos suos ethnicis venumdant. Horum aliqui se Christianos esse simulant, ut simplicibus imponant, & hac arte acceptas in matrimonium Christianas fœminas a sacris Romanis abstrahunt.*

Sæcul. XIII. A. C. 1233.

IV. ep. 124. ap. Rain. n. 39.

Cumanorum aliqui Christo nomen jam dederunt, alii dare cupiunt: sed emptos Saraceni tum ad abdicandum baptismum permovent, tum ab eo obtinendo impediunt. Quamvis Concilium Toletanum vetuerit, ne Judæis publica darentur munera, in Hungaria tamen & Judæis & Saracenis traduntur, atque occasionem præbent Ecclesiis ac Religioni gravia inferendi mala. Hoc Concilium Toletanum est tertium an. 389 habitum. Papa pergit: *In Hungaria libertas Ecclesiastica ita præcisa est, ut laici pensiones & collectas non tantum iis, qui Ecclesiis sunt obnoxii, verum etiam Clericis ipsis imponant:*

Sup. Lib. XXXIV. §. 56. Conc. Tolet. III. c. 14. to. V. p. 1072

Sæcul. XIII. A. C. 1233.

nant: adimuntur Ecclesiis bona per Regum liberalitatem a longo tempore possessa; & dicuntur esse inter dona, quæ Rex immensa Nobilibus quibusdam confert. Causæ matrimonii ad Judicem Ecclesiasticum pertinentes ad tribunal profanum deferuntur, quo ipsimet trahuntur Clerici. Quibus malis medendi curam Papa Strigonienſi Archiepiſcopo injungit.

Is Regem ad ea tollenda adducere fruſtra conatus, univerſa Hungaria interdicto perculſa vetuit, ne divina celebrarentur officia, vel Sacramenta adminiſtrarentur præterquam infantibus baptiſma, & moribundis pœnitentia, Sacrum Viaticum ac extrema unctio. Ut conſecrarentur hoſtiæ ægris præbendæ, quot menſibus in quavis parœcia ſacrificium ſine cantu peragi permiſit. Proſcripſit autem, & a piorum ſocietate excluſit illos, qui ad introducendos, vel tolerandos ejusmodi abuſus Regem malis conſiliis ſuis permoverant: duos eorum nominavit; tertio idem comminatus eſt pro futuro die Cœnæ Domini. Sententiam tulit menſe Decembri an. 1232.

Andreas Hungariæ Rex ad Papam, ut hoc interdictum tolleret, ſe convertit, qui ei Jacobum electum Epiſcopum Præneſtinum cum Legati poteſtate miſit. Hujus exhortationibus victus Rex in tabulis publicis juravit ſe obſervaturum ea, quæ

quæ sequuntur. *Judæos aut Saracenos nostro ærario, rei monetariæ aut salinariæ vel collectis deinceps nec præficiemus, nec cum Præfectis sociabimus, nec per fraudem agemus quidquam, quod illis ansam opprimendi Christianos præbeat. In universo Regno nostro haud patiemur Judæos vel Saracenos publico quopiam munere fungi, & ut a Christianis certas per notas distinguantur, curabimus. Non illis concedemus Christiana mancipia; & singulis annis palatinum aliquem vel alium e ministris nostris mittemus, rogante Episcopo Diœcesis, in qua Judæi ac ethnici seu Mahometani habitabunt, superius memorata executioni daturum.* Sæcul.XIII. A.C.1233.

Haud permittemus, ut ulla de matrimonio vel dote controversia ad Judices profanos deferatur. Volumus etiam, ut Clerici non nisi coram Judicibus Ecclesiasticis de quavis materia postulentur, exceptis agrorum causis, de quibus Papa consuletur, monendus tamen, si harum litium cognitio nobis subtrahatur, id Ecclesiæ magno detrimento fore. Nullam a Clericis collectam exigemus, nec eorum privilegia violabimus, ac de pensionibus cæterorum nobis subjectorum consilium Summi Pontificis exquiremus. Rex Andreas, Bela ejus filius in spem regni genitus, Colomannus Rex ac Dux Sclavoniæ, omnes Hungariæ Proceres, ac summorum munerum administratores

Sæcul. XIII. A.C. 1234. has tabulas jurisjurandi religione firmarunt. Sed malam earum executionem anno sequente Papa Andreæ Regi, ac Belæ ipsius filio conquestus fuit.

§. XXIX.

Continuatio negotii cum Græcis.

ap. Rain. an. 1234. *n.* 36. 37. *&c. Sup.* §. 17. *Narrat. ap. Rain.* 1233. *n.* 5. *Integra ex eod. MS.* Quatuor Fratres mendicantes a Gregorio Papa ad Imperatorem Joannem Vatacium & ad Patriarcham Germanum missi, ineunte anno 1234, cum etiamnum annus 1233 ante Pascha numeraretur, in Natoliam advenerunt: duo illorum Hugo ac Petrus Prædicatores, cæteri duo Aimo & Radulphus Minores erant. Antequam Nicæam intrarent, quod Dominica post octavam Epiphaniæ in decimum quintum Januarii incidente factum est, Græci complures, quorum alios Imperator, alios Patriarcha de adventu eis gratulatum miserat, ac demum Ecclesiæ majoris Canonici procul a mœnibus obviam progressi, honorifice illos in urbem comitati sunt. Templum vero primarium precandi causa ingredi cupientibus aliud, in quo primum Concilium Generale anno 325 celebratum erat, ibique Patres, qui ei interfuerant, in muris depictos monstrarunt. Deinde longas platearum per ambages numeroso stipatos Clero, & magnam populi multitudinem trahentes

Sup. Lib. XI. §. 10.

in

in ædem duxerunt Imperatoris juſſu ipſis belle præparatam, inſtructamque affatim rebus omnibus ad levandam defatigationem neceſſariis. Sæcul.XIII. A.C.1234.

Poſtero die Lunæ ad Patriarcham accerſiti, congregatos inter Clericos medium Papæ primum, tum ſuo nomine ſalutarunt, pro honore ac favoribus ſibi exhibitis gratias agentes. Germanus porrecti ſibi Pontificii diplomatis ſignum oſculatus, ad ſuos græce dicebat: *Petros, Paulos,* Apoſtolorum capita ibi efficta indicans. Poſtea quærebat ex fratribus, an eſſent Papæ Legati, & ut tales honorari vellent. Negabant illi, & ſimplices ſe Nuncios profeſſi, conſiderato Clero tam numeroſo, ut omnem errorem averterent, non ad concilium, ſed ad Patriarcham ſolum ſe miſſos eſſe addebant. Qui vel minimo Papæ Nuncio magnam deberi obſervantiam aſſeruit, eosque diuturno dignatus colloquio dimiſit, per Clerum honoris cauſa domum ſuam reducendos.

Sequente die Martis 17 Januarii Imperator eosdem in aulam vocatos ad alloquium admiſit præſente Patriarcha & magna Cleri parte. Poſt mutua decoræ ſalutationis officia Nuncii memorata itineris ſui cauſa, diploma fuſius omnia exponens Patriarcham accepiſſe dicebant. Rogati, quam haberent poteſtatem, re-

Sæcul. XIII. A. C. 1234.

spondebant, consulendum esse diploma, & Papam ratum habiturum, quidquid boni hoc in negotio efficerent. *Ergo ad rem*, subjungebant Græci; & post plures rationes utrimque propositas sciendi gratia, quis ex Græcis vel Latinis disputationem inciperet, Nuncii ajebant: *Non sumus missi disceptatum vobiscum de quapiam fidei capite, quod Ecclesia Romana in controversiam vocet; sed ut de punctis inter vos dubiis amice colloquamur. Vestrum proin est ea in medium afferre. Quænam illa sint, vos ipsimet dicite*, inquiebant Græci. Quos ducere tempus velle videntes Nuncii subjiciebant: *Etsi nostri muneris haud sit, vestras quæstiones proferre; ne tamen tempus perdamus audite, quid Ecclesia Romana maxime miretur! Cum certum sit, Ecclesiam Græcam illi quondam paruisse more omnium aliarum gentium Christianarum: quam causam habuit, potestati ejus se subducendi?* Nolebant Græci respondere; sed Nuncios orabant, ut diffidii rationem dicerent. Deprehensis illorum subdolis artibus Nuncii haud ignorantes, eosdem comparationibus oblectari, hoc utebantur exemplo: *Creditorem vobis ac debitorem ob oculos ponite! hic debitum negat: uter alteri reddere rationem debet, quod debitum non sit solutum?* Græci rubore suffusi habita deliberatione reponebant, diffidii causas esse duas, processio-

nem

nem Spiritus Sancti, & Sacramentum Altaris. Tum Nuncii, *si causæ aliæ non subsunt*, inquiebant, *cur Ecclesiæ Romanæ obedientiam denegastis? Videamus, an hæ rationes sufficiant!* Adjungebant: *Difficilis est hæc materia, nec eam digne tractando sine cœlesti ope pares erimus. Quare crastinum diem precationi dabimus, in divino sacrificio Spiritum Sanctum invocaturi, ut processionis suæ veritatem nobis detegat. Sed locum precibus dicatum non habentes, ut Dominus Patriarcha nobis aliquem assignet, flagitamus.* Sæcul. XIII. A.C. 1234.

Cum templum satis commodum prope suas ædes nacti, postero Mercurii die ibi sacris operarentur, his multi Franci, Angli, & aliarum nationum Latini intererant, e quorum numero quidam finito officio Nuncios alloquens, se, quod ipsorum sacris adfuisset, a Græco Sacerdote suo pœna sacra affectum esse, deplorabat. Doluit hoc Nunciis, & inita consultatione duo adierunt Patriarcham, de injuria Deo ac toti Ecclesiæ facta conquesturi. Ille rem dissimulare volebat: sed Nuncios gravissime offensos cernens, ipsis hunc Presbyterum una cum ejus sodalibus misit, qui vestibus sacerdotalibus exutum per urbem ad ædes Patriarchæ reduxerunt. Cæteris vero Presbyteris rem hominis animo simplici, non maligno tribuentibus, Nuncii, ne principium 18. Januar.

Sæcul. XIII. A.C. 1234. negotii sui asperitatis specie corrumperent, Patriarcham ipsum, ut ei veniam daret, orarunt.

§. XXX.

Disputationes Nicænæ.

19. Januar. Die Jovis Nuncii palatium Imperatoris ingressi, a quæstione de SS. Altaris Sacramento colloquium ordiri volebant, ut scirent, quid Græci crederent de illo, quod Latini consecrant. Sed hi pertinaciter urgebant, ut a Processione Spiritus Sancti caperetur initium. Ergo sic factum. Nuncii, an objicere, aut vero respondere vellent, rogati, *vestrum est*, ajebant, *difficultates, quas hoc in puncto sentitis, proponere; nostrum eas tollere. Audietis*, subdidit Patriarcha. Mox Chartophylax, seu is, qui Ecclesiæ Patriarchalis tabulario præfectus erat, in medio consessu se erigens, jussu Patriarchæ ac Imperatoris dixit: *Num creditis unum in tribus Personis Deum esse? Credimus*, inquiebant Nuncii. *Creditisne Patrem non genitum, Filium solum genitum, Spiritum Sanctum a Patre procedentem? Credimus.* Tum vero Chartophylax magna simplicitate sublatis ad cœlum manibus clara voce bonitatem Numinis deprædicabat; & iisdem verbis haud semel repetitis Nuncios idem responsum dantes audiens, adjun-

adjunxit: *Hic non discrepatis a nobis: Deo sint laudes in omnibus!* Ad ea Nuncii: *Nullam de hoc puncto dissensionem Romanam inter ac Græcam Ecclesiam deprehendetis: sed neque de Sacramento Altaris aliquam vos inventuros credimus: non aliæ tamen schismatis causæ fuerunt: immerito proin hæc illi obedientiam renunciavit.* Sæcul.XIII. A. C. 1234. 19. Januar.

Imperator viris doctis in consilium adhibitis, conversus ad Nuncios, *audivimus*, ajebat, *vos eadem nobiscum loqui: sed Dominus Patriarcha quærit, an non plus dicatis? Comperimus enim vos aliquid addidisse Symbolo, quod Patres in concilio composuere, anathematis pœna sancientes, ut ne syllabam quidem illi quisquam adjungeret, aut in illo mutaret.* Nunciis, ut Patriarcha ipsis symbolum scriptum exhiberet, petentibus, is respondit: *Hodie excusatum me habeatis, velim; sum fatigatus ac æger: cras volente Deo mihi melius erit, & quod promisi, monstrabo.* Sub hæc verba discessum est.

Die Veneris vigesimo Januarii peracta re divina & reliquo officio, Nuncii ad colloquium reversi ante omnia Patriarcham, ut promisso staret, rogabant. Qui doctorum quendam legere jussit S. Cyrilli ad Joannem Antiochenum ipsi reconciliatum epistolam, cujus hoc est exordium: *Lætentur cœli!* Ex ea legeban- 20. Januar. *Sup. Lib. XXVI. §. 21. Conc. Eph. par. 3. c. 34. to. 3. conc. p. 1107.*

Sæcul. XIII. A.C. 1234

tur hæc verba: *De naturæ divinæ cum humana conjunctione ita loquemur, ut fidei expositioni Nicænæ omnino nihil addamus. Hic dicitur nihil addendum esse*, inquiebat lector: *cur ergo vos addidistis?* Nuncii respondebant: *Sanctus Cyrillus non hic dicit, neminem debere quidquam addere, sed se nihil additurum. Sic Patriarcha promisso suo non fecit satis.* Græci, quod asseruerant, demonstraturi, in epistolæ contextu legebant: *Nemini permittimus, ut Symbolum Nicænum ullo modo labefaciat, aut unicum ejus verbum mutet.* Tum Nuncii: *Nihil mutamus in Symbolo: nihil ei contrarium dicimus: sed ne illi addatur quidpiam, haud vetat S. Cyrillus.* Quærebant Græci: *Huic Symbolo addidistis quidquam?* Quibus Nuncii: *Legatur! & scietis.* Lectum est Symbolum Constantinopolitanum: & Nuncii additamenti nostri rationem ex ore Græcorum elicituri ajebant: *Symbolum Nicænum antea factum erat: & vos asseveratis, nihil ei addendum esse, ac S. Cyrillum prohibuisse, ne in eo mutetur aliquid: nos igitur primum hoc Symbolum audire volumus.* Græci pro viribus obstiterunt. Sed tandem totum Symbolum Nicænum, deinde Constantinopolitanum lectum fuit.

Ibid. p. IIII.

Sup. Lib. XVIII. §. 6.

Posthæc Nuncii dicebant: *Si verum est, quod affirmatis, Sanctos vestros prohibuisse, ne quid addatur Nicæno Symbolo:*

quis

Sæcul.XIII. A.C.1234.

quis est, qui ausus fuit adjungere ea, quæ Symbolum Constantinopolitanum insuper continet? Respondere nolentes Græci disputationem aliorsum vertere conabantur: at Nuncii eo fortius instabant. Denique illi post plures consultationes, tentatasque varias effugii vias respondebant, hoc non esse additamentum, sed veritatis explicationem. Quærebant Nuncii, an hæc explicatio secundum Symbolum a primo diversum redderet? Græci negabant, per illam vel additamentum vel mutationem fieri. Ita Nuncii, quod volebant, ex illis expresserunt, cum possent pariter dicere, quod vox *Filioque* nihil vel addat Symbolo, vel in eo mutet, id solum demonstrandum videntes, quod aliunde verum sit, Spiritum Sanctum a Filio procedere. Pergebant Græci quærere: *Quid adjunxistis Symbolo?* Nuncii sequendo expositionem a Græcis ipsismet factam potuissent reponere, quod nihil addiderint: pro majore tamen securitate rogabant: *Licetne nobis credere, quod ad necessaria fidei capita pertinet?* Annuebant Græci. Et quod licet credere, etiam scribere, canere, e suggestu dicere licet? Assentiebant iidem. *Est autem fidei veritas*, subjungebant Nuncii, *quod Spiritus Sanctus a Filio procedat. Demonstrate*, ajebant Græci: *Sancti vestri demonstrabunt*, respondebant Nuncii. *Au-*

20. *Januar.*

Sæcul. XIII. A.C. 1234.

diamus S. Cyrillum in ſermone primo de Adoratione, ubi dicit: Spiritus nullo modo mutabilis eſt: nam ſi mutationi foret obnoxius, hæc in naturam divinam rediderent, cum ille ſit ex Patre ſimul ac Filio, tanquam utriusque effuſio ſubſtantialis. Et in ſua ad Neſtorium epiſtola, cujus initium eſt hoc: *Cum Salvator*, ſic ille ſcripſit: *Quamvis Spiritus Sanctus hypoſtaſin propriam habeat, ac in ſe ipſo cognoſcatur, quatenus Spiritus eſt, & non Filius: extra hunc tamen non eſt. Nam dicitur Spiritus veritatis, ac J. C. eſt veritas, & ab hoc ſicut a Patre ille per effuſionem venit.*

De ador. in ſpir. to. I. p. 9.

Conc. Eph. p. 1. c. 26. n. 10. to. 3. conc. p. 405.

Græcos effuſionem eſſe proceſſionem negantes Nuncii refutabant per S. Cyrillum ipſum, in expoſitione Nicæni Symboli dicentem: *Beati Patres, poſtquam de J. C. locuti ſunt, etiam Spiritus S. mentionem faciunt, aſſeruntque, ſe in eum ſicut in Patrem ac Filium credere: illum enim ejusdem cum ipſis ſubſtantiæ, ac eorum effuſionem eſſe, nimirum ab iisdem procedere. Et S. Athanaſius ad finem expoſitionis Symboli Nicæni ait: Spiritus S. a Patre procedens ſemper eſt inter manus Patris, a quo mittitur, & Filii, a quo portatur, & per quem implet omnia. Hi loci clare enunciant Spiritum Sanctum a Filio ſicut a Patre venire.* Ita finitum eſt die Veneris colloquium.

Die

Die Sabbathi, 21 Januarii Græci colloquio post prandium indicto, quod eum diem jejuni non agerent, Nuncios per Imperatoris ministros acciverunt. Sed quia illos pridie non paucos Patrum locos e plurimis libris Græcis Constantinopoli allatis in testimonium adducere viderant, eosdem per quæstiunculas ac lites de nominibus capere collatis consiliis statuerunt. Curarunt itaque, ut hoc fine philosophus quidam in confessu compareret. Qui post longam præfationem ad Nuncios conversus, *Vestra sanctitas*, ajebat, *& doctrina, vester pacis ac veritatis amor nobis perspectus est. Neminem vero catholicorum suam profiteri fidem pudet. Dicite proin, a quo, quando, ubi, & quare vestra vox FILIOQUE Symbolo adjuncta fuerit?* Haud latuit Nuncios Græcorum calliditas, ipsos, quos respondendo impares putassent, coram hoc cœtu in ruborem dare cupientium. Retorquentes igitur in illos quæstionem, *Perbene dixistis*, inquiebant, *catholico, quid credat, palam profitendum esse. Quamobrem dicite, an credatis, Spiritum Sanctum a Filio non procedere?* Respondebant: *Non credimus, illum procedere a Filio.* Tum Nuncii: *Non hoc est, quod rogamus; sed an credatis, dicatisque, illum a Filio non procedere.*

Sæcul.XIII. A.C.1234. 21. Januar.

Græci

Sæcul. XIII. A.C. 1234.

Græci id præciſe fateri nolebant; ſed inſtabant Nunciis, ut ad ipſorum quæſtionem reſponderent. Hi jam intendentibus ſe primis tenebris, tanti momenti materiam tractandam ſibi non eſſe cenſebant. Urgebant rurſus illi, & in palatio cereas faces & lampades accendi curabant. Ita coacti Nuncii ajebant: *Prima quæſtio veſtra fuit, quis hoc additamentum fecerit? Nos dicimus, quod JE-*

Jo. XVI. 13 *ſus Chriſtus ejus author fuerit. Ubi? In Evangelio, quando dixit: Cum venerit Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem. Cur? Ut orthodoxos informaret, ac hæreticos id punctum negaturos pudore ſuffunderet: nam quisquis hoc non credit, in via interitus eſt. Hanc veritatem demonſtramus per Evangelium, per epiſtolas S. Pauli, per Patres veſtros, per noſtros, ſi eos recipitis, ut Auguſtinum, Gregorium, Hieronymum, Ambroſium, Hilarium, & plures alios.*

21. Januar. Ad hæc verba Græci muti, ac velut toti ſtupefacti hærebant; & Imperator Græce ajebat: Καλῶς, hoc eſt, *bene*. Poſt longam vero cum doctis ſuis conſultationem Nunciis, *Monſtrate nobis*, inquiebat, *ubinam in Evangelio Spiritus Sanctus dicatur a Filio procedere*. Legit itaque eorum quidam hunc S. Joannis locum:

Jo. XVI. 13 *Cum venerit Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem;* & addidit: *Dum dicitur Spiritus veritatis, dicitur Spiritus San-*

ctus

ctus a Veritate procedere: & hoc eſt, quod nos probare volumus. Philoſophum dein, qui reſponderet, a Græcis introductum rogabant Nuncii: *Quis eſt ille Spiritus in hoc Joannis loco?* Repoſuit: *Spiritus Sanctus. Et an non Veritas pro JEſu Chriſto hic accipitur? Veritas*, inquiebat, *duplicis eſt generis, propoſitionum complexarum altera, altera incomplexarum.* Cum autem urgeretur, aſſeruit, hoc loco veritatem creatam intelligi, non JEſum Chriſtum. Poſtea retexere dictum compulſus eſt ac fateri, quod Spiritus Sanctus ſit Spiritus JEſu Chriſti. Quærebant Nuncii, cur ille dicatur Spiritus Filii Dei? Græci, cum deliberaſſent, reſpondebant: *Quia eſt ejusdem cum Filio ſubſtantiæ. Ergo*, inferebant Nuncii, *cum Pater eandem cum Filio naturam habeat, etiam Spiritus Filii vocari debet, quod falſum eſt.* Tum abierunt: nam media pene nox erat. Sæcul. XIII. A.C. 1234.

§. XXXI.

Continuatio diſputationum.

Nuncii Dominica officio divino tradita, die Lunæ ſecundæ hebdomadis 23 Januarii mane palatium ingreſſi cum Græcis philoſophis diſceptare cæperant, cum Imperator objurganti ſimilis dixit: *Deberetis quæſtionis hujus veritatem ſimpliciter, ſine philoſophia, & ſine ſyllogismis* 23. Januar.

Sæcul. XIII. A.C. 1234.

mis ostendere: hæc disputandi ratio rixas tantum & contentiones excitat. Nunci reponebant: *Servum Domini*, ut S. Pau-

2. *Tim. II.* 24 lus inquit: *non oportet litigare: malumus etiam veritatem simpliciter declarare. Sed*

2. *Cor. XII.* 11. *cum eodem Apostolo possumus dicere: Factus sum insipiens: vos me coëgistis per responsa vestra a solita simplicitate deflectere. Quæsivimus heri e philosophis vestris, cur Spiritus Sanctus Spiritus Filii ab omni æternitate vocetur. Tres tantum hujus rei rationes dari posse videntur: vel quia est ejusdem substantiæ, ut Doctor vester respondit: vel quia Filius Spiritum Sanctum in res creatas mittit: vel quia Spiritus Sanctus ab illo procedit. Rationem*

23. *Januar.* *primam confutavimus: secundam destruimus dicendo, quod Spiritus Sanctus a tota æternitate sit Spiritus Filii, nec tamen Filius illum a tota æternitate in res creatas miserit. Supereſt proin tertia: quia Spiritus Sanctus a Filio procedit.*

Hanc rationem scriptam sibi dari volentibus Græcis latine primum, dein Græce rursus ita cupientibus tradidere. Postremo de ea deliberandi spatium poscentibus illum ipsum diem Lunæ ac posterum concesserunt. Sub hujus vesperum ad Patriarcham & congregatum ejus Clerum acciti, in longo ad opinionem suam responso, ut ille dicebat, sibi præ-lecto plura tum falsa, tum puerilia, ridi-

culaque

diculaque audiere. Nec niſi poſt conſultationem ſcriptum accipere ſtatuerunt, non ſolatii ſui cauſa ſed Græcis pudorem incuſſuri. At iſti Nuncios id parvi pendere videntes, *Recedite in nomine Domini*, ajebant, *& hoc ſcriptum vobis mox mittemus.* Cum abiiſſent, Græci plurima mutando, & multa addendo tantum temporis conſumpſerunt, ut illis ſcriptum novum jam cubitum euntibus mitterent, qui proin ejus translationem in craſtinum diſtulere. Sæcul. XIII. A.C. 1234.

Id laboris die Mercurii poſt ſacrificium precesque horarias ſibi ſumentibus ſupervenit nonnemo a Patriarcha miſſus, qui ejus abſentiam a proximo colloquio per invaletudinem excuſaret. Sed a prandio Imperatoris juſſu confeſſus apud Patriarcham factus. Ante omnia rogati a Græcis Nuncii, an ſcriptum legiſſent, nondum eſſe translatum, ut verum erat, dicebant: ſe tamen, ne tempus perderent, illud ſibi prælegi cupere, ac reſponſuros eſſe. Ergo ſcriptum longum, & contra Imperatoris inhibitionem vocibus Dialecticæ propriis, ac ſyllogiſmis plenum recitare quidam philoſophorum cæpit, rigide ad hujus artis regulas exigentium, quod Nuncii ſimpliciter nec in forma ratiocinando protulerant. 25. Jan.

Hos id ſcriptum ſtrenue impugnantes, ſuos idem ægre tuentes videns Imperator,

Sæcul. XIII. A. C. 1234.

perator, *Omittamus hoc ſcriptum*, ajebat, *quod diſſidia tantum parit! progrediamur, ac videamus in Patribus veritatem, quam aſſeritis.* Tum Nunciorum aliquis in libris Græcorum optime verſatus, aperto S. Cyrillo nonum hujus anathema legit, quo damnatur, quisquis dixerit, JEſum Chriſtum ad edenda miracula potentiam extraneam a Spiritu Sancto accepiſſe, cum dici deberet, illum per Spiritum ſibi proprium ea patraſſe. Et hoc anathema explicans S. Cyrillus aſſeverat, Spiritum Sanctum a Verbo & per ſubſtantiam in Verbo eſſe. *Jam vero*, addebant Nuncii, *una Perſona divina non poteſt ab alia eſſe niſi per generationem, aut proceſſionem: Spiritus Sanctus a Filio per generationem non venit: ergo per proceſſionem.* De hoc argumento Græci etiamnum parumper litigarunt: dimiſſus poſtea conventus.

Conc. Eph. p. 1. c. 26. Sup. Lib. XXV. §. 22.

25. *Jan.*

§. XXXII.

Quæſtio de Euchariſtia differtur.

26. *Jan.*

Die Jovis 26 Januarii Nuncii negarunt, ſe deinceps de puncto Spiritus Sancti diſputare velle. *Si enim*, inquiebant, *veritati manifeſtæ acquieſcere non vultis, quid poſſumus vobis proponere amplius? Cum Imperator cras ex hac urbe ſit abiturus, nunc eo præſente de ſecunda disjunctionis veſtræ cauſa loquamur!* Itaque Græci tandem

ægre

ægre consenserunt, ut colloquium de Sacramento Altaris institueretur, volebantque, ut Nuncii inciperent. Quibus se simplice differendi modo, nullaque argumentatione in forma usuros esse affirmantibus se contentissimos profitebantur. Nihilominus disputatione ad alias de azymo ac fermentato pane quæstiones conversa, tempus frivolis sermonibus usque ad prandii horam consumebant. Denique Patriarcha ad Nuncios, *Ostendite nobis*, ajebat, *quomodo & in quali materia consecretis: & vobis respondebimus.* Cum paruissent, inducias usque post sumptum cibum petiit. Sæcul. XIII. A C. 1234. 26. Jan.

Consessu post epulas iterum facto, Patriarcha dixit: *Habemus fratres nostros Patriarchas Hierosolymitanum, Alexandrinum & Antiochenum, quibus non consultis ad vestras propositiones nobis respondere haud licet. Ad medium Martium concilium convocabimus: cui ut adsitis, oramus, & ad ea, quæ protulistis, responsa nostra audietis.* Nunci subjungebant: *Nec ad concilium, nec ad alium quendam Patriarcham nos a Papa Domino nostro missos esse, satis declaravimus. Nec possumus injunctum nobis ministerium salva ejus ac Ecclesiæ Romanæ dignitate in ulla re excedere. Suademus tamen, ut convoces Fratres tuos, & cum illis promptum pacandæ, instaurandæque Ecclesiæ*

Sæcul. XIII. A.C. 1234.

consilium capias. Scribe igitur Constantinopolin, ubi nos usque ad medium Martium commoraturos credimus, ac responsum tuum expectabimus, ut de hoc negotio certum aliquid Papæ indicare possimus. Numen divinum velit, ut nuncium feramus in ejus gloriam, & in communem Ecclesiæ utriusque lætitiam cessurum. Ita locuti abiere.

27. Jan. Die Veneris 27 Januarii dicto Sacro Imperatorem discessurum supremo salutatum euntes Patriarcham apud eum viderunt. Ille cum eis deliberare cæpit, qua ratione Patriarcha & Ecclesia Græca Romanæ reconciliari posset. *Credendo,* inquiebant, *ac docendo, quod ipse credit; nec putamus fore, ut Græcis ad idem canendum obligandis multum insistat. Conveniret etiam, ut Ecclesia Græca Romanæ deinceps ut ante schisma obediret.* Imperator subdidit: *Quodsi Patriarcha Ecclesiæ Romanæ obtemperare velit, an jura suum a Papa recipiet?* nempe, ut est verisimile, possessionem Ecclesiæ Constantinopolitanæ, tunc a Latinis occupatæ. Ad ea Nuncii: *Si Patriarcha Matri suæ obedientiam & quidquid ei debet, præstiterit, majorem opinione sua gratiam a Summo Pontifice ac tota Ecclesia Romana initurum speramus.* Tum Imperatore ac Patriarcha valere jussis Nicæa profecti Constantinopolin redierunt.

§. XXXIII.

Sæcul.XIII.
A.C.1234.

§. XXXIII.

S. Edmundus Archiepiscopus Cantuariensis.

In Anglia Sedes Cantuariensis continenter vacabat: Rejectis a Papa Episcopi Ciceſtrienſis ac Prioris nomine Joannis electionibus, monachi Joannem Leblondum Theologum Oxonienſem cooptaverant: ſed nec hic Papæ placuit. Nam Romæ divulgatum erat, illum ab Epiſcopo Vinceſtrienſi mille argenti ſelibras dono, & alias mille mutuas accepiſſe ad emenda ſuffragia. Epiſcopus etiam Imperatori ſcripſerat, ut Joannem Leblondum Papæ commendaret: qui proinde dixit, armatas preces hominem de ambitu & ſacrorum nundinatione ſuſpectum reddere. Præterea Romæ præſens confeſſus erat, ſe absque ſolutione a legibus Concilii Lateranenſis duo beneficia cura animarum prædita poſſidere: quamvis ejus defenſores veritatem haud læderent, qui eundem ante concilium illa tenuiſſe dicebant. Reſciſſis igitur his tribus electionibus, Papa Sedis Cantuarienſis vacationem biennio amplius durantem finiturus, monachis cum Leblondo Romam profectis Doctorem Edmundum Sarisburienſem Canonicum ac theſauri cuſtodem in Archiepiſcopum eligendi copiam fecit,

Sup. §.9.15. *Goduin. Matth. Par. p.* 325.

Sæcul. XIII. A.C. 1234.

immo etiam pallium ei misit, tanto citius functionum suarum exercitium aggressuro. Verum monachi nec hunc nec alium nisi ex consensu communitatis suæ recipere statuerunt.

Vit. ap. Sur. 16. *Novemb.* c. 1. 2.

Edmundus Abindoniæ prope Oxonium in lucem editus Eduardum Richium mercatorem & Mabilam parentes habuit probissimos. Postquam Eduardus haud invita conjuge cœnobium Eveshamense ingressus fuerat, hæc liberos, e quibus natu major Edmundus erat, educandi cura in se susceptа, eum ab infantia diebus Veneris jejunio assuefecit, pane & aqua contentum esse jubens, atque Parisios ad litterarum studia eunti duo dedit cilicia, quavis hebdomade bis terve in usum adhibenda, commendans etiam psalterium Dominicis ac festis diebus ante sumptionem cibi totum recitandum.

c. 6.

Ille virginitatis votum suadente quodam Sacerdote coram icone Beatissimæ Virginis nuncupatum fideliter servavit. Sorores suas Religiosæ cuidam familiæ aggregaturus, cum eas non nisi pro certa pecuniæ summa recepturam audiret, recessit, sacrilegum mercatum veritus, ac rem committens Deo. Postea monasterium inops sed disciplinæ tenacissimum dari edoctus, Antistitam adiit; quæ præventum suo compellans nomine: *Mitte curas*, ajebat, *de sororibus tuis! quid cupias, divi-*

c. 7.

divino admonitu ſcio. Si eſſe nobiſcum velint, admittentur. Et conſtitit dicto fides. Edmundus domeſticis rebus compoſitis cum Roberto fratre ſuo Lutetiam rediit, cæpta ſtudia proſecuturus. Sæcul.XIII. A. C. 1234.

Magiſter artium, ſive ſecundum ætatis noſtræ ſtylum, humaniorum litterarum ac philoſophiæ Profeſſor factus, præter collegarum morem quotidie preces dixit horarias, & ut divino ſacrificio diſcipuli ſui ſecum adeſſent, perſuadendo effecit. c. 10. Cum artes liberales per ſexennium tradidiſſet, ac geometriam doceret, a matre per ſomnium Theologiæ operam dare juſſus, exinde non ſatis habuit, quod ſacro intereſſet, ſed ſingulis noctibus in Sancti Mederici templo, ad quod habitabat, Pſalmis matutinis aſtitit. c. 11. Paucos intra annos tantum in Theologia progreſſum fecit, ut inter Doctores habitus docere atque concionari cæperit, ac per ardorem ad utramque functionem adhibitum multos e diſcipulis ſuis ad monaſticam vitam amplectendam permoverit. c. 12. Sacerdotio inauguratus, auſteritates ac precationes ſuas auxit, quot diebus ſemel tantum comedens, ac præter divinum etiam Marianum & pro defunctis officium recitans. c. 14. Ex beneficiis pluribus ſibi oblatis non niſi unicum accipere unquam voluit, idque cum neceſſitate reſidendi conjunctum. Denique ut ſe docendi curis

Sæcul. XIII. A.C. 1234.

ris expediret, ſacrisque concionibus liberius ſe impenderet, Sarisburienſis Canonici dignitatem ac theſauri cuſtodiam ſuſcepit: ſed ut a cauſarum cognitione abeſſe ſibi liceret, a Papa obtinuit.

Is viri fama ad ſuas usque aures perlata motus, ſacræ militiæ claſſicum canere eum juſſit, addita facultate, ſuſtentationem ab Eccleſiis, in quibus munere ſuo fungeretur, recipiendi: qui vero hoc favore non utens impenſis ſuis vivebat.

c. 15. Talis erat Edmundus, cum e Legatis Cantuarienſibus cognovit, ſe in Archi-

c. 17. epiſcopum electum eſſe. Denegato conſenſu, ab Epiſcopo Sarisburienſi obedire ſerio juſſus, non prius ceſſit, quam ſe noxam gravem, niſi pareret, commiſſurum audiiſſet. Cantuariam delatus, & quarta verni jejunii Dominica 2 Aprilis an. 1234 in templo Chriſti Rege Henrico ac tredecim Epiſcopis præſentibus per manus Rogerii Epiſcopi Londinienſis conſecratus, eadem die cum pallio paſtorali, quod ei providus Papa miſerat, ſacrificium peregit.

Matth. Par. an. 1234. p. 335.

§. XXXIV.

Inſtauratio Cœnobiorum.

Matth. Par. p. 322.

Vacante Cantuarienſi Sede Papa ad Epiſcopos provinciæ litteras dedit monaſteriorum inſtaurationem tractantes, quales

quales per totum orbem Christianum mi- Sæcul.XIII.
sit. Scripserat vero in hanc sententiam. A. C. 1234.
Comperimus, provinciæ vestræ cœnobia deterrimum in statum prolapsa esse. Tam solutæ disciplinæ culpa in nos ne recidat, illis, quæ soli Ecclesiæ Romanæ subjecta sunt, inspectores assignavimus, & capita eorum & membra bonam ad frugem reducturos. Porro volumus, ut etiam vos aut ipsimet, aut per viros idoneos monasteria vobis obnoxia lustrantes, quæ ibi corrigenda videbuntur, omnia emendetis. Dabat Spoleti 9 Junii an. 1232. Cœnobia soli Romæ subjecta recognoscere non Episcopos jussit, sed Abbates, Cistercienses præcipue ac Præmonstratenses, qui tam duriter ac imprudenter agebant, ut multi Religiosi ad Romanam curiam provocare cogerentur: ubi magno labore ac sumptu Censores alios impetrarunt. Demum hæc lustratio in universum orbem Christianum plus confusionis, quam correctionis induxit, monachos ubique solam S. Benedicti regulam sequentes per novas constitutiones adeo inter se dissimiles reddendo, ut vix duo monasteria eandem agendi rationem tenerent. Ita loquitur Matthæus Paris *Id. p. 324.* S. Albani monachus; cujus Abbas suis 346. juribus seu privilegiis nitens, ut emendationem eluderet, dilationem bis petiit, &

Sæcul. XIII. A.C. 1234. durante hoc negotio mortem obiit an. 1235.

§. XXXV.

Præparationes ad Concilium Græcorum.

Acta Nuncior. MS. Vanding. 1233. n. 12. Quatuor Fratres Mendicantes ad Græcos reconciliandos a Papa missi hærebant Constantinopoli, ubi sub medium Martium a Patriarcha Germano cursorem receperunt cum litteris monentibus, ut Lescaram Imperatoris Vatacii villam peterent, quo ille se Præsules ac Patricios concilii habendi causa convocaturum spondebat, inter Nuncios id conveniisse, nec eos ibi defore pro certo sumens. Reponebant isti, mirari se, quod Patriarcha loco responsi certi solum indicaret se concilium esse celebraturum, eoque ipsos invitaret. Addebant, se, ne operam susceptam perderent, atque ut charitatis bonum commune privato anteferentis impulsum sequerentur, usque ad finem Martii expectaturos esse, orareque, ut ille, quantam posset, diligentiam adhiberet. Ad finem Martii Patriarcha eis hunc in modum respondit: *Accepi vestram epistolam, quæ non mediocri me dolore affecit. Solus Nicææ sum, neque certi quidquam vobis possum reponere, cum tractatio reconciliationis ac examen fidei generale sit negotium.*

tium. Quodsi abeatis, non ad pacem con- Sæcul.XIII.
ficiendam, sed nostros animos explorandi A.C.1234.
gratia vos venisse censebimus.

Scripsit etiam ad duos Fratres Minores tunc Constantinopoli commorantes, scilicet Benedictum Aretinum Ministrum Romaniæ, atque Jacobum Ruscianensem Georgiæ Missionarium, rogans, ut Nuncios ad ipsius vota flecterent, hosque, si concilio interessent, magno cum gaudio Romam redituros promittens. Imperator quoque Vatacius Nuncios per litteras oravit, ut sibi paratam, & rebus omnibus ad mare cum Legatis, quos Romam missurus esset, trajiciendum necessariis instructam navem conscenderent, ac Lescaram ad ipsum venirent.

Interea Latini Constantinopolitani auxilio pene omni carebant. Imperatori Joanni Briennio deerant opes: equites cuncti, sub ejus signis stipendia meriti discesserant: Venetæ, Pisanæ, Anconitanæ, cæterarumque nationum naves parabant abitum, immo aliquæ jam vela dederant. Latini ex omni parte hostibus cingebantur. Quare Nuncii ad Vatacium reverti, & unius anni inducias inter eum ac Joannem Briennium agitare statuerunt. Ne tamen suo tantum judicio insisterent, Collegium S. Sophiæ, regionis Præsules, atque ipsummet

Sæcul. XIII. A.C. 1234.

Joannem Briennium consuluere: qui omnes reditum eis suadebant.

Itaque verni jejunii tertia, Martii ultima Dominica profecti, transmisso pelago, die Lunæ locum quendam Chalongoram nomine attigere; unde Nicæam ad Patriarcham Germanum per diversos cursores duo apographa seu exempla ejusdem epistolæ miserunt, per quam orabant, ut quamprimum Lescaram veniret, ibi paratos reperturus. Scripserunt etiam Imperatori Vatacio, accessum indicantes suum, ac die Lunæ quartæ hebdomadis verni jejunii tertio Aprilis Lescaram advenerunt. Die Jovis accepta Imperatoris epistola, rogantis, ut Nymphæum, ubi eos opperiretur, peterent, expectatum Patriarchæ responsum nacti Nymphæum se contulere, quo iste die Jovis post Dominicam Passionis delatus est. Cum eum proximo die 14 Aprilis adiissent, orantibus, ut negotium matura conficeretur, respondit, se paratum esse, ac præsentes Præsules idem cupere, ut per solennes dies imminentes in Ecclesiis suis comparere possent. Quibus ejus verbis freti Nuncii suas in ædes cum gaudio redierunt.

Die Lunæ hebdomadis sanctæ duo illorum petita ratione, quod vocati non fuissent, Præsules nondum convenisse causantem, tempus ex tempore ducere vi-

dentes, vehementius, ut rem absolveret, urgebant. Tum vero iratus, *Næ vos miri estis homines*, inquiebat: *puncta triginta sunt, quæ vobis objicere cogitamus: & vos momento expediti esse vultis. Fratres vestri veniant, si velint, ut disputationis initium fiat.* Illi ad Imperatorem detulere omnia, eum Præsules ad liberandam promissi fidem adacturum sperantes. Verum cæpit hos excusare, quod congregati non essent, & quosdam procul venire, Patriarchamque Antiochenum nondum adesse dixit. *Nec miremini*, addebat, *eos his precationis ac pœnitentiæ diebus disputare nolle. Rogo, ut expectetis tantisper, dum Præsules ac Patriarchæ adveniant, qui secundo Paschatis die vobis respondebunt.* Hanc in moram consensere Nuncii. Sæcul. XIII. A C. 1234.

§. XXXVI.

Concilium Nymphæi habitum.

Vigesimo quarto Aprilis secundo Paschatis die Patriarcha convocatis Præsulibus ad Nuncios comparentes dixit: *Nicææ de Spiritu Sancto disseruimus; sed tunc solus eram: modo præsentes Præsules, qua ratione hæc quæstio tractata fuerit, avidi percipient.* Sic quæstionem de Spiritu Sancto quidem repetitam, de azymis autem vitatam sentientes Nuncii 24. *Aprilis.*

Sæcul. XIII. A.C. 1234.

24. *Aprilis.*

cii cæperunt cauſam itineris ſui, colloquium Nicænum, Patriarchæ promiſſionem ſub medium Martium de Sacramento Altaris reſponſum mittendi ſuum, & quoties initas cum ipſis conditiones mutarit, exponere. *Nihilominus vobis non ſiſtimus*, ajebant, *nulla pollicitatione noſtra, nullo Superiorum juſſu obſtricti, ſed ultro & amore pacis ac reconciliationis, innixi Patriarchæ promiſſo nos contentos ad Papam remittendi. Tanti ſpes boni, & fraterna charitas fecit, ut & maris pericula, & itineris diuturni moleſtias, & temporis jacturam vobis ſatisfaciendi gratia ſubiremus. Venimus itaque veſtrum audituri reſponſum.*

Ad quam quæſtionem? ſubjungebant Græci. *Ad illam*, inquiebant Nuncii, *de qua ſe vos conſulturum Patriarcha ſpopondit:* Tum Græci: *Non aderamus, non audivimus hanc quæſtionem.* Nuncii: *Audite igitur! rurſum quærimus, an non panem azymum in Chriſti corpus convertere poſſimus?* Græci: *Duæ inter nos quæſtiones erant, de Proceſſione Spiritus Sancti, & de corpore Domini Noſtri. Primum ergo quæſtio de Spiritu Sancto, quæ prior eſt, coram toto concilio tractanda venit.* Nuncii: *Quid & quo modo hanc ad quæſtionem reſponderitis, perbene ſcimus: ſed reſponſum de corpore Chriſti necdum abſtulimus; hinc modo a concilio poſtula-*

ſtulamus. Græci effugere conantes ſubjiciebant: *Non ordiri a materia ſublimiore eſſet Theologiæ ordinem invertere.* Cum de hac ratione ſæpius repetita, & a Nunciis rejecta aliquamdiu diſceptatum eſſet, Patriarcha dixit: *Quoniam nos cogitis, reſponſum noſtrum ad utramque quæſtionem ſcriptum vobis dabimus.* Nuncii eludi ſe videntes reponebant: *Scripti veſtri rationem non habebimus: viva voce præſentibus nobis reſpondete! abſentibus ſcribitur.* Patriarcha, *ſi ad concilium,* ajebat, *totam diſputationem Nicænam ex ordine retuleritis, ad quæſtionem veſtram reſpondebimus.* Nuncii: *Si ad quæſtionem de azymis panibus reſpondendo nobis ſatisfeceritis, diſputationem de Spiritu Sancto ex ordine referemus.* Sub hæc Patriarcha cæteris cum Præſulibus ſeceſſit, conſilii capiendi cauſa: reverſi autem dicebant: *Rem differri cupimus usque ad diem Mercurii: tunc, ut polliciti ſumus, vobis reſpondebimus.* Cum Nuncii, ne iterum deciperentur, veriti conditiones expoſitas iteraſſent, diſceſſum eſt. Sæcul. XIII. A. C. 1234.

Die Mercurii 26. Aprilis Nunciis mane apud Patriarcham in concilio comparentibus Archiepiſcopus Amaſtrenſis in Paphlagonia difficultatem propoſuit, quam dicebat eſſe obortam ſibi e litteris Papæ ad Patriarcham Germanum, de Evchariſtia Græcorum & Latinorum velut 26. *Apr.* *to. XI. Conc. p.* 326.

Sæcul. XIII. A. C. 1234.

lut de duplici Sacramento loquentis. Nuncii deprehensa Græcorum arte declinandi quæstionem de azymis, ac disputationem alio convertendi, *Papæ est*, inquiebant, *explicare suam epistolam, de qua vos ei scribere potestis.* At illis huic vanæ contentioni ad meridiem usque insistentibus, tandem exacerbati dicebant: *Quandoquidem cernimus, vos studio tempus ducere, responsum ad quæstionem nostram subterfugere, nec audere sententiam vestram edere, vobiscum candide loquemur. Mala opinio vestra de azymo pane in Sacramentum nostrum converti solito constat primo vestris e scriptis hac hæresi plenis, quam ne detegatis, ad quæstionem nostram respondere non audetis; dein e vestris actionibus. Lavatis aras vestras, in quibus Latini sacrificarunt. Quando Latini Sacramenta vestra receptum veniunt, eos Ecclesiæ Romanæ Sacramenta abjurare cogitis. Sustulistis Papam e vestris dipthychis, quod non nisi piorum cœtu excluſis ac hæreticis soletis facere. Denique quotannis semel illi anathema dicitis. Ita nobis ii, qui audierunt.*

ap. Rain. 1233. n. 10.

Tum Chartophylax Constantinopolitanus in medio se confessu erigens, *Postremum falsum est*, exclamabat: *quisquis hoc dicit, abeat! vel male illi vertet. Cætera ne miremini! Latini vestri capta Constantinopoli non dubitarunt templa effringere,*

Sup. Lib. LXXVI. §. 2.

re, aras deſtruere, auferre argentum & au- Sæcul.XIII.
rum, Sanctorum reliquias in mare projicere, A.C.1234.
eorum imagines calcare pedibus, Eccleſias 26. *Apr.*
in ſtabula vertere. Patriarcha addidit: *Si vobis mirum eſt, Papam in dipthychis noſtris deletum eſſe, quæro, cur ille me in ſuis extinxerit? Te non extinxit,* ajebant Nuncii, *quia te nunquam inſeruit. An vero Papa anteceſſores tuos prior deleverit, ſcies, cum legeris.* (Nihil ad hæc reſponſum eſt) *Violentiam, quam Eccleſiæ Romanæ perperam adſcribitis, laici a ſacrorum communione ſejuncti adhibuere. Illud autem, quod vobis exprobramus, vos ipſi verbis & factis teſtamini: veſtri Præſules ſunt, qui id faciunt ac docent. Cumque ſaniora vos cogitare neutiquam videamus, ad eum, qui nos miſit, revertimur.* Sic locuti a concilio abiere.

Eodem die poſt prandium Imperatori omnia fideliter enarrarunt, ut ad terrarum ſuarum fines usque præſidium ipſis adjungeret, orantes. Ille, prout erat ſagax, & cuivis ſcenæ habilis, excuſare Græcos, ac ſe correcturos promittere cæpit, addens, ſi colloquium coram ſe habitum eſſet, rem ad injurias non fuiſſe venturam. *Nolim vero,* pergebat, *ut mutuo ſic infenſi vos ſejungatis. Vos & illos pariter ſuper quæſtione veſtra audire cupio: controverſia amice dirempta redibitis. Adornatæ ſunt naves meæ, vos una*

cum

Sæcul. XIII. A.C. 1234. 26. Apr.

cum Legatis, quos ad Papam vobiscum mittam, in Apuliam vecturæ: nam debito illum honore ac muneribus afficere volo, ut in amicorum, filiorumque numero me ponat.

Nuncii reponebant: *Domine! veritatem te celare nolumus. Per dona tua te Papæ non acceptum reddes, sed cum per unitatem fidei te illi probaveris, etiam munera eidem placebunt tua. Sine illa in filium aut amicum te nunquam recipiet; nec Legatos ei tuos repræsentare audebimus: e contrario nos his opponere cogemur.* Imperator tristi facie dicebat: *Manuel, Theodorus, & plures alii Imperatores durante schismate amicitiæ fœdere cum Papa conjuncti erant.* Cum vero Nuncii sine spe pacis nihil negotii cum Legatis sibi fore assererent, *ergo nullum mittam,* ajebat: *nec Legatos, nec naves meas inimicis exponere cogito. Tam brevi tempore tolli haud potest schisma, quod trecentos fere annos tenuit. Expectate! cras Præsules alloquar, & ut ad quæstionem vestram respondeant, precabor.* Tum Nuncii recesserunt. Trecenti schismatis anni, quos hic numerat Imperator, ad dimidium sæculi decimi Photium inter ac Michaëlem Cerularium ascendunt.

§. XXXVII.

Sæcul.XIII.
A. C. 1234.

§. XXXVII.

Concilii continuatio.

Die Jovis 27 Aprilis vesperi Imperator & Patriarcha miserunt, qui Nuncios orarent, ut postridie adirent palatium. Hi proin die Veneris mane congregato concilio intererant. Patriarcha inita cum Imperatore ac Præsulibus consultatione ad Nuncios dixit: *Respondebimus ad quæstionem vestram.* Tum Archiepiscopus Amastrensis ita orsus: *Vos quæritis, an ad Sacramentum Altaris conficiendum panis azymus adhiberi possit? nos negamus.* Et rogantibus illis, an de jure, aut vero absolute id fieri nequeat? respondit: *Absolute. Scimus enim, Christum pane fermentato usum esse, ac uti jussisse Apostolos.* Quam in rem locum S. Pauli ad Corinthios adducebat, addens: *S. Petrus, cæterique Apostoli, sicut id a Christo didicerant, ita quatuor Ecclesias Patriarchales id docuerunt, S. Jacobus Hierosolymitanam, S. Joannes Asiaticas, S. Andreas Achaicas, S. Petrus Antiochenam, & Romæ S. Clementem: nec aliter in Ecclesia Romana primo factum credimus. Hinc solum panem fermentatum, quo Dominus noster usus est, adhiberi posse asseveramus.* Nuncii cum primo Germanum Nicænum Patriarcham, qui Constantinopolitanus vocabatur, dein

28. *Apr.*

1. *Cor. XI.*

Sæcul. XIII A.C. 1234.

Antiochenum, ac singulos Præsules, an id crederent interrogassent, singulis affirmantibus, idem scribi, & scriptum sibi dari volebant. Mox Patriarcha Nicænus, *Etiam vos scribite*, ajebat, *Spiritum Sanctum a Filio procedere, idque non credentem in via interitus esse; id scriptum nobis tradite!* Spondentibus hoc Nunciis, ut pars utraque scribendi spatium haberet, res in crastinum dilata, & confessus solutus est.

29. *Apr.*

Vading. 1233. *n.* 15. *to. XI. Conc. p.* 461.

Die Sabbathi 29 Aprilis post prandium vocatis ad concilium Nunciis utrumque scriptum exhibebatur. Græci ea solum, quæ pridie asseruerant, nempe locum S. Pauli, & putatam traditionem suam exaraverant; dicebantque: *Scripsimus hæc breviter sic volentibus Episcoporum Legatis, quibus plurium verborum patientia deest. Quodsi vero authoritas & argumenta petantur, fusius e veteri ac nova lege dabimus. Actum mense Aprili, indictione septima, subscribente me Chartophylace* (custode tabularii) *Sanctæ Ecclesiæ Constantinopolitanæ, jussu Patriarchæ Universalis, & Antiocheni, cæterorumque Præsulum præsentium.* Patriarcha Constantinopolitanus est, qui universalis dicitur. Hæc Græcorum fidei professio in concilio lecta, & Nunciis tradita fuit; qui vicissim suum de Processione Spiritus Sancti scriptum illis dederunt. Multo fusius hoc erat, & ita inchoatum: *Pater est Deus perfe-*

Vading. n. 6. *to. XI. conc. p.* 326.

perfectus in se ipso: Filius est Deus perfectus a Patre genitus: Spiritus Sanctus est Deus perfectus a Patre ac Filio procedens. Procedit autem a Filio proxime, & a Patre interventu Filii: nam Filius habet a Patre, quod Spiritus Sanctus ab illo procedat. Igitur quisquis Spiritum Sanctum a Filio procedere non credit, in via interitus est: Prima, quam adducunt, authoritas est Symboli S. Athanasio adscripti, quod eum in Occidente exulem latine composuisse dicunt. Sed suo loco notavi, hoc Symbolum Vigilio Thapsensi verisimilius attribui. Deinde Nuncii fidei expositionem S. Gregorio Thavmaturgo divinitus suggestam, insuper Sanctorum Gregorii Nysseni, Ambrosii, Augustini, Hieronymi, ac denique Cyrilli Alexandrini testimonia, sigillatim nonum ejus duodecim anathematum in Concilio Ephesino approbatorum afferunt. Huic fidei professioni sua nomina subscripsere quatuor Papæ Nuncii Rudolphus & Aimo Ordinis Fratrum Minorum, Hugo ac Petrus Ordinis Prædicatorum. Aimo se ibi Ammonium dicit, nomen suum sermoni Græco accommodans, in quo id scriptum concilio datum est. Nos idem in latina & græca habemus lingua.

Sæcul. XIII. A. C. 1234.

Sup. Lib. XXX. §. 8.

Sup. Lib. VI. §. 13.

Sup. Lib. XXV. §. 22.

App. to. XI. conc. p. 2336.

Sæcul. XIII. A.C. 1234.

§. XXXVIII.

Quæstio de azymis.

29. *Apr.* TUm Nuncii dixere: *Vestrum nobis scriptum tradidistis, quod hæresin continet. Sed quia erroris defensio est, quæ hæreticum facit, scire volumus, an illum per ignorantiam, aut vero ex malitia in medium attuleritis? Et cum Judices non habeamus, agite, consulamus veteris ac novæ legis libros & Patres!* Quæsitis libris, inter omnes assidentes Sacrum Codicem inventum non esse mirati Nuncii quærebant e Græcis, cur assererent, Dominum Nostrum panem fermentatum in corpus suum convertisse? Respondebant: *Quia in Evangelio legimus, eum sumpsisse* ἄρτον: *Matth. XXVI. 26.* ἄρτος *vero significat panem perfectum, panem fermentatum.* Nuncii rogabant, an ἄρτος panem fermentatum semper denotaret? *Semper*, reponebant Græci, *quando solum est: sed interdum vox AZYMUS ei jungitur, sicut MORTUUS voci homo, dum dicitur homo mortuus.* Nuncii urgebant: num ἄρτος solum positum semper panem fermentatum indicat? *Non*, subjungebant Græci: *sed tunc, cum proprie sumitur. Nam quandoque improprie pro azymo accipitur. Ergo* ἄρτος, inferebant Nuncii, *promiscue panem significat, & Evangelium nobis æque ac vobis favet.*

Sæcul.XIII. A.C.1234. 29. Apr.

favet. In Levitico, ubi de sacrificio pacifico agitur, ἄρτος pani fermentato & azymo applicatur: id nomen proin tanquam genus utrique speciei sine discrimine convenit: &, quod consequitur, vestra distinctio sensus proprii & improprii nulla est. Levit. VII. 12. 13.

Nos e contrario per Evangelium demonstramus, Dominum Nostrum panem azymum in suum convertisse corpus. Nam S. Matthæus dicit, primo die azymorum illum a discipulis fuisse interrogatum, ubinam Pascha sibi parari vellet? Jam edicite, quisnam fuerit hic primus azymorum dies? Erat primus dies ante azymos, reponebant Græci, explicationem S. Chrysostomi sequentes. At Nuncii pergebant: S. Chrysostomus hoc loco ita dicit: Discipuli venerunt ad JEsum pridie azymorum vesperi, quo agnus Paschatis immolabatur. Igitur illa vespera jam pertinebat ad Paschatis & azymorum tempus, quo durante Judæis nec fermentum, nec panem fermentatum in domibus suis habere licebat, ut in Exodo legitur. Christus proin Pascha suum in pane azymo celebravit: nam legem usque ad finem vitæ suæ observabat, ut SS. Chrysostomus ac Epiphanius loquuntur. Itaque panem azymum in corpus convertit suum. Jam vos affirmatis, in istud non nisi panem ab illo adhibitum converti posse: unde sequeretur, vos in idem convertere haud posse panem fermentatum, quod nos tamen

Matth. 26. 27.

S. Chrysost. homil. 81. in Matth. init.

Exod. XII. 15.

Chrys. ibid. hom. 81. & hom. 82. ad v. 26. Epiph. hær 30. n. 22. & hæres. 42. refut. 61.

Sæcul. XIII. A. C. 1234.

29. *Apr.* *Joann.* *XVIII.* 28.

tamen non asserimus. Verum quia Nuncii libros præ manibus non habebant, Græci hæc Patrum testimonia non agnoscentes, illis Evangelium S. Joannis opponebant, dicentis: Judæi *non introierunt in prætorium, ut non contaminarentur, sed ut manducarent Pascha.* Nuncii respondebant: *Non est credendum, S. Joannem Evangelistis reliquis contradixisse: Paschatis cibos Pascha vocavit, ut in prisca lege appellatos legimus: ac Hebræi decimo quinto Lunæ sic loquebantur.*

Jam adulta nocte Imperator consensit, ut colloquii finis fieret. Cum nullum tertia Aprilis Dominica & triduo sequente fuisset habitum, Nuncii, quid Græci expectarent, ignari sibi abeundi copiam ab Imperatore peti curabant. Sed iste misit, qui videret, an nulla pacis Romanam inter ac Græcam Ecclesiam reconciliandæ ratio inveniri posset? Illum ad hominem Nuncii, *Scimus*, inquiebant, *quid respondere nos Imperatori oporteat, dum ei præsentes erimus.* Itaque postero die in palatium vocatis dixit: *Quando Reges aut Principes de quadam urbe vel provincia controversiam habent, pacis conficiendæ gratia quivis de jure suo aliquid concedere solet. Idem vestræ nostræque Ecclesiæ agendum mihi videtur. Duo vos inter ac nos dissidia sunt, alterum de Processione Spiritus Sancti, de Eucharistia alterum.*

Si

Si pacem cupitis, in alterutro nobis ce- Sæcul XIII.
dite! Approbabimus & colemus Sanctum A.C. 1234.
Sacramentum veſtrum: Symbolum veſtrum arbitrio noſtro relinquite! hoc recitate, ut nos, reciſo additamento veſtro, quia offenſioni nobis eſt! Nuncii reponebant: *Scito, Papam & Romanam Eccleſiam ne unum quidem jota de fide ſua & de Symbolo noſtro dempturos eſſe! Quomodo igitur,* ſubjecit Imperator, *conſtituere pacem poterimus?* Ad quem illi: *Si pacis conſilium vultis, habete! Firmiter credere debetis ac docere populum, quod panis azymus ut fermentatus in corpus Domini Noſtri converti poſſit, & quod Spiritus Sanctus a Filio ſicut a Patre procedat: Sed Papa vos invitos non adiget, ut hoc in Symbolo veſtro canatis: omnes vero libri huic duplici vel alterutri doctrinæ contrarii damnandi vobis ſunt & comburendi.* Imperator hoc reſponſo graviſſime commotus, *nullam,* ajebat, *nullam pacis viam cerno.* Convocatis proin Præſulibus illorum dicta indicavit, quibus exaſperati eosdem arte aliqua in ruborem dare cogitabant.

Dies Mercurii tertiæ poſt Paſcha hebdomadis Maji decimus erat, quo Nuncii monebantur, ut poſtera luce ultimæ concilii ſeſſioni adeſſent, & amicus utrimque diſceſſus fieret. Cum in ædium Patriarchæ grandi quadam aula plebis agmine plena januis apertis conſeſſum celebrari

10. *Majt.* *Vading.* 1233. *n.* 21. *to. XI. conc. p.* 464.

Sæcul. XIII. A.C. 1234. 11. *Maji.*

cernerent, ac conſediſſent, ille dicebat: *Quamdiu pacem ſperabamus, omnia amoris officia vobis exhibuimus: nunc ſpe noſtra deſtitutis placidas præbete aures! & hæc ſola dies negotio finem imponet.* Addidit: *Eccleſiæ Romanæ fidem nobis ſcriptam tradidiſtis: legimus eam, & in provinciis noſtris promulgari curabimus. Sed quoniam nobis ignota eſt, volumus, ut omnes eam audiant: num contenti eſtis? Sumus*, ajebant Nuncii: *& optamus, ut vobiſcum omnis ad ortum regio Eccleſiæ Romanæ fidem cognoſcat & ſequatur.*

Tum Græcorum quidam medio in conſeſſu aſſurgens e grandi papyro Nunciorum fidei profeſſionem legit ſed cum mutatione aliqua, quam refutabant. Inerant enim expreſſiones, quas Græci non intellexerant. Finita lectione iſti pro opinione ſua quædam Patrum teſtimonia adducebant, & primum quidem S. Damaſi Papæ dicentis: *Quisquis non credit, Spiritum Sanctum proprie a Patre procedere, anathema ſit!* Nuncii repetito hoc anathemate, *Nos credimus etiam*, inquiebant, *ſecundum S. Cyrillum, quod Spiritus Sanctus a Filio proprie procedat, & hoc non credentem anathemate percutimus.* Deinde Græci hoc S. Baſilii dictum proferebant, quod Spiritus Sanctus a Patre, & non aliunde procedat: id quod Nuncii libenter concedebant, cum a nulla

alia

alia ſubſtantia procedat. Denique Græci plures alios Patrum locos afferebant: ſed hi contra eosdem maximopere pugnare Latinis videbantur. Cernens igitur Patriarcha, nihil effectum eſſe, edenti tumultum populo manu & voce ſilentium indixit. Nuncii hoc eum ad concitandam contra ipſos plebem uſurum rati, eundem prævenerunt, & populum videntes attentiſſimum dicebant: *An non creditis, Spiritum Sanctum a Filio procedere?* Patriarcha reſpondit: *Nos credimus, eum non procedere a Filio. At S. Cyrillus,* regerebant Nuncii, *dum tertio concilio præſidebat, omnes, qui hoc non credunt, anathemate perculit. Inſuper aſſeveratis, panem azymum in Chriſti corpus converti non poſſe: id quod hæreſis eſt. Vos itaque tanquam hæreticos, & a recte credentium communione ſecluſos relinquimus.* Poſt hæc verba a concilio abeuntibus Græci inclamabant: *Vos potius, vos eſtis hæretici.* Sæcul.XIII. A C.1234.

Nuncii ſtatuerunt eo die nihil cibi prius ſumere, quam ipſis Imperator demigrandi copiam feciſſet. Fecit, ſed mæſto vultu, quaſi afflictus acerbo partium diſceſſu.

§. XXXIX.

Nunciorum reditus.

Ergo die Sabbathi 13 Maji Nymphæa 13. *Maji.*

Sæcul. XIII. A.C. 1234. mane profecti continuatis itineribus Dominica quadam attigere Calamam pagum, ubi sero vespere Imperatoris & Patriarchæ cursores eis supervenerunt. Ille salvere jussis significabat, sibi dolere, quod tam subito migrassent insalutato concilio, nec fausta Patriarchæ precatione, seu benedictione petita. Nuncii reponebant: *Deus in bonum Ecclesiæ suæ Imperatorem servet sospitem! non est vero, cur de nobis queratur; nam cum ejus venia discessimus. Quod permissum ac benedictionem Patriarchæ aut concilii non poposcerimus, minime nos anxios habet: Imperatori rei causæ constant.* Cursor concilii eadem, quæ alter, dixit, addiditque: *En scriptum, quod concilio dedistis! Patriarcha id vobis remittit, orans, ut sibi illud de azymis, quod vobis tradidit, vicissim remittatis. Idem vobis epistolam Summo Pontifici inscriptam, & totum concilium suam professionem fidei de processione Spiritus Sancti mittit, illius manibus porrigendam.*

Nuncii respondebant: *Scriptum nostrum concilio dedimus pro speculo serviturum, in quo fidem Ecclesiæ Romanæ nemo non videat; ut, qui legerint, perfecte credant ea, quæ continet, doceantque, ac ut eadem loquamur omnes. Quare hoc scriptum nobis reddi nolumus. Sic etiam illud, quod nobis Græci tradidere, nostrum est, eorumque fidei speculum erit, Latinorum*

oculos

oculos offensurum. Hinc vobis non resti- Sæcul.XIII.
tuemus, sed Papæ ac Ecclesiæ monstrabimus A. C. 1234.
ut vestri erroris testimonium, nisi hunc ex consensu totius concilii retexueritis. Græci omisso tunc jurgio, quietem illa nocte Nunciis concesserunt: Sed mane iterata petitione, nisi obsequentes haberent, se eis exitum e regione intercluſuros esse minitabantur. Sic ad horam tertiam usque detenti Nuncii post longam denique contentionem dicebant: *Sumus in vestra regione: quod petitis, per vim nobis adimere potestis: sed ingratiis nostris habebitis.* Hæc locuti recesserunt; eratque hora prandii.

Cum utraque pars corpora curaret, Nuncii deliberatione, quid sibi agendum esset, inita, accitum Imperatoris ministrum rogabant, an impedire ipsorum iter fuisset jussus. *Ne Deus hoc fiverit,* ajebat ille: *hoc absit a Domino meo! & vero procul abest. Promoturus potius iter vestrum adveni.* Tum comites suos ab Imperatore acceptos vocarunt, ut ipsis profecturis equos sternerent: quod fecere. At Chartophylax id edoctus, Nunciis, ut scriptum redderent, monitis, eorum comitatum anathemate feriebat, si eis operam præstare pergeret. Mox ille Nunciorum libros deponere, suumque ipsis servitium renunciare. Qui impositis sibimet libris portatu facilioribus, cæterisque

Sæcul. XII. A. C. 1234.

que Imperatoris miniſtro in cuſtodiam traditis, ſoli ac pedites demigrarunt.

Deſerta erat regio, ac ſex circiter dierum iter usque ad mare Conſtantinopolitanum eis faciendum reſtabat. Sed in divino confidentes auxilio ſtrenue pergebant; cum Græci miſerunt, qui viarum difficultatem ac periculum vitæ ſubeundum illis exponerent, jurarentque, eos, ſi longius absque duce progrederentur, per vim ruſticorum in montibus & ſylvis inſidiantium necatum iri. Non tamen a cæpto abſterreri ſe paſſi ſunt Nuncii. Sex aut ſeptem millia paſſuum, ſeu duas circiter leucas emenſos aſſecutus Imperatoris miniſter ex equo ad eorum genua ſe ſubmiſit, obſecrans, ut priorem pagum repeterent, atque anathema, & quidquid contra eos dictum vel factum eſſet, retexi ſe curaturum ſpondens. Igitur ex communi conſenſu vicino in pago ſubſiſtebant alii, alii libros quæſitum ibant. Cum in pagum, ubi eos reliquerant, veniſſent, acceſſit Chartophylax, omnesque illorum libros & ſarcinas exploravit. Quin etiam reduces Nuncios manibus prehenſos in conclave duxit, ac ſolutas eorum ſarcinulas perſcrutatus, reperto denique Græcorum ſcripto dicebat: *Teneo, quod quæſivi.* Sed id latinam in linguam translatum Nuncii apud ſe ſervabant, Papæ allaturi. Græci, quod cupierant, nacti hoſpi-

Vading. 1233. n. 23.

hospitibus verborum comitate demulsis abeundi libertatem permisere, postquam eis epistolam dederant, ad Pontificem Maximum duorum Patriarcharum, & Concilii Nymphæni nomine scriptam, & quid de processione Spiritus Sancti crederent, fusissime explicantem. Unde constat, Græcos sibi visos esse de hoc puncto quam de azymis sentire sapientius. Apparet etiam, Imperatorem vehementius, quam Patriarchas & Clerum optasse reconciliationem: sed nempe hoc medio Papam a procurando Latinis Constantinopolitanis subsidio aversum iri sperabat.

Sæcul.XIII. A.C.1234.

to. XI. Conc. p. 466.

§. XL.

Res Albigensium.

Interea Gregorius Papa Regi Franciæ Ludovico de Prætoribus ab ipso in regionem Albigensium missis conquestus fuit. *Ut stupentes audivimus*, ait, *opprimunt Ecclesias, & Clericos, quos tueri deberent. Subjectis vectigalia, pensiones, laboresque serviles, ac errantibus pœnas arbitrarias sine Dominorum respectu imponunt. Occupant prædia beneficiaria, cæteraque bona, ut possessores jurisdictionem ipsorum agnoscere cogant. Insuper bona Ecclesiis per Albigenses adempta sibi tribuunt; nec decisiones, donationesve a Comite Montefortio factas*

VIII. ep. 360 *ap. Rain.* 1234. *n.* 13.

Sæcul. XIII. A.C. 1224.

factas observant; & pacem secundum statuta Concilii Tolosani (an. 1229. habiti) *jurejurando firmare renuunt. Ne primitiæ, decimæque offerantur, ne pia legata fiant, aliaque religionis exercitia publico edicto prohibent. Episcopos Biterrensem & Agathensem calumniis onerant: arces ac bona ad eorum Ecclesias pertinentia retinent: illos ad agendam in Regia curia causam suam contra juris ordinem, ac provinciæ Ecclesiarum morem compellunt.* Plures alias querelas adjungit Papa, finitque orando Regem, ut Curatorem mittat, qui ipsius nomine una cum Archiepiscopo Viennensi Sacræ Sedis Legato his malis remedia adhibeat. Dabat 2 Maji an. 1234.

Gall. Chr. to. I. p. 804. G. de Pod. Laur. c. 43. Greg. Libr. VIII. ep. 73. 69. 70. 71. 76. 77. ap. Rain. n. 14. VII. ep. 463 VII ep. 324. Catel. Comt. p. 316.

Archiepiscopus Viennensis erat Joannes Burninus, scientia & virtute excellens, qui eam sedem ad minimum triginta quinque annis tenuit. Gregorius Papa legationem contra Albigenses ab Episcopo Tornacensi in eum transtulit, petiitque, ut hoc munere fungentem adjuvarent Archiepiscopi Lugdunensis & Bituricensis, cæterique Galliæ Episcopi, Rex Arragoniæ Comesque Montefortius. Legatum etiam jussit in Episcopum Arausionensem de crimine non uno accusatum, & in obitum Raimundi Tolosæ Comitis inquirere, ut constaret, an pœnitentiæ signa ediderit, ac sepulturam Ecclesiasticam sit meritus. Verum hæc indagatio non

non nisi post annos tredecim facta est, nempe an. 1247. Sæcul. XIII. A.C. 1234.

Quamvis autem Archiepiscopus ampla mandata a Summo Pontifice accepisset, & quartana laboraret, illum tamen adiit de statu provinciæ distinctius edocturus. Tum multas sanctiones ut Inquisitor condidit; inter alias, ut ii, qui sincere ad bonam frugem redirent, atque tam de se quam de aliis vera dicerent, moderatas darent pœnas, neque vel sibi vel bonis suis metuerent, dummodo lapsum non iterarent. *G. Pod. Laur. c. 43. Catel. Comt. p. 358.*

Durante Episcopi Tornacensis legatione Papa inquisitionem Fratribus Prædicatoribus, scilicet Petro Cellano, & Guilielmo Arnoldo injunxerat: qui quosdam Tolosæ hæreticos capite damnantes tam exosos ibi se reddiderant, ut & ipsi, & sacra eorum familia tota, quin etiam Episcopus inde cedere cogerentur. Legationem obeunte Archiepiscopo Viennensi Fratribus Prædicatoribus tanquam nimium terrificis in negotio inquisitionis Collega dabatur quidam Fratrum Minorum, eorum severitatem temperaturus. Clementia quoque fuit, per quam Inquisitores jussi sunt eorum, quos audire vellent, loca petere, ne hi de illata sibi molestia conqueri possent, si procul inde avocarentur. Cœpta hac agendi ratione Castrum novum delati, multos e vicinia homi-

Sæcul. XIII. A.C. 1234.

homines utriusque sexus vocarunt: sed isti consilia inter se tam scite contulerant, ut Inquisitores ex ipsis vix quidquam luminis elicerent. Quare Puteum Laurentii subito adierunt, cujus incolæ nondum aliqua conspiratione facta satis candide loquebantur. Demum e curia Romana litteræ venerunt, per quas inquisitio diu suspensa mansit.

§. XLI.

Concilium Arelatense.

to. XI. Conc. app. p. 2339. Gall. Ch. to. I p. 57.

Eodem anno 1234. 8. Julii Joannes Bossanus Archiepiscopus Arelatensis concilium provinciale habuit. Fuerat Archidiaconus Massilienſis, dein Telonensis Episcopus, demum anno 1232. in Sedem Arelatensem evectus, quam quinque ac viginti annis tenuit. Hoc in concilio viginti quatuor canones, maximam partem contra hæreticos edidit, Concilio Lateranensi anni 1215. & Tolosano anni 1229 morem gerens. Episcopi catholicam fidem tum ipsimet, tum per alios populo frequenter exponere jubentur.

c. 2.

c. 9. Prohibentur sodalitates, nisi per authoritatem Episcopi instituantur, eo quod hoc nomine conspirationes contra tranquillitatem publicam fierent.

c. 13. Communione piorum ejectus, qui per mensem non satisfecerit, pro quolibet mense cunctationis

nis quinquaginta solidos pendendo, priusquam absolvatur, pœnas dabit. Episcopi corrigendis moribus præsertim Cleri solicite studebunt, & hoc fine inspectores in sua quisque Diœcesi constituent. Immunitate donatis, qui Præsulum sententias & castigationes abnuerint, jus suum pariter denegabitur. Cum hactenus hæreticis fautores sui aliqua legaverint, Concilium vetat, ne quis testamentum nisi præsente Parocho suo condat. En causam hujus statuti in conciliis illorum temporum tam frequentis!

Sæcul. XIII. A. C. 1234.

c. 14.

c. 17.

c. 21.

§. XLII.

S. Ludovici nuptiæ.

Anno præterito Ludovicus Franciæ Rex Margaritam Raimundi Berengarii Provinciæ, seu Saluviorum Comitis filiam natu majorem in conjugem petierat; & quoniam in quarto gradu consanguinei erant, legis gratiam ipsis faciendam a Summo Pontifice per legatum efflagitavit, connubii hujus utilitatem ad conservandam Provinciæ pacem & Religionem Catholicam exponens. Per Papæ litteras 2 Januarii an. 1234. datas voti compos factus, sub finem Maji anno ætatis vicesimo Senonibus nuptias celebravit. Archiepiscopus Gauterius fuit, qui Sponsos fausta precatione conjunxit, ac

VII. ep. 41. ap. Rain. n. 16.

Gesta S. Lud. Ducheſne p. 331.

Sæcul. XIII. A.C. 1234. ac novæ Reginæ ſolenni ritu coronam impoſuit. Aliquanto prius Religioſus vir quidam falſo edoctus, Regem concubinis uti non inſcia Regina Blancha matre ſua, rem ad iſtam Principem ſtupens ac exprobranti ſimilis detulerat. Illa & ſe & filium innocentem eſſe cum modeſtia affirmabat, hæc addens verba: *Regem filium meum præ cunctis hominibus amo: ſi tamen ex mortifero morbo decumberet, atque mihi promiſſum fieret, eum per unicum cum fœmina peccatum ſanitati reſtitutum iri, eundem mori mallem.* Rex Ludovicus jam inde a nuptiis ſuis conſentiente Regina uxore ſecundum veterem Eccleſiæ morem ab uſu conjugii ſe continebat per totum tempus Dominico adventui ſacrum, totumque jejunium vernum, certis hebdomadis diebus, in pervigiliis ac feriis majore religione ac ceremonia celebrari ſolitis, & biduo triduove ante ac poſt divinum convivium. Matrimonium ſane Cœlo gratum dignumque, ex quo ſex filii, & quinque filiæ prodirent.

Vita S. Lud. c. 4. Ibid. p. 446.

c. 11. p. 448.

§. XLIII.

Stadingorum clades.

In Germania Stadingis hæreticis ſtragem intulere ſacri pugiles, qui huncin finem anno priore teſſerariæ crucis militiam inierant, & Gerardi II. Archiepiſcopi

Sup. §. 27. Alb. Stad. an. 1234. Hiſt. Arch. Brem. p. 709

pi Bremenſis, Henrici Brabantiæ Ducis, ac Florentii Bataviæ Comitis imperium auſpiciumque ſequebantur. Procedebant in aciem die Sabbathi 24 Junii ad ſubigendos Eccleſiæ hoſtes, vel ad mortem pro ea ſubeundam inductis animis: contra Stadingi eorum multitudine non territi, ſed magis in furorem acti contra Eccleſiaſticam poteſtatem impias voces evomere non ceſſabant. Comes in eos fortiter invehebatur, Clero interim ſeorſum ſacrarum precum cantibus divinam bonitatem ad tribuendam ſuis victoriam commovente. Hæretici numero obruti, ac vulneribus confoſſi equorum pedibus obterebantur, ita ut intra breve temporis ſpatium ſex millia perirent: multos fugientes Viſurgis hauſit: cæteros victor inſequens diſperſit, qui ſuorum decem circiter amiſerat. Poſthæc Stadingi in Diœceſi Bremenſi reſidui a Papa, ut ipſos abſolvi juberet, ſuppliciter poſtularunt, quod Eccleſiæ ſe ſubmittere ac ſatisfacere parati eſſent, profitentes. Ille eos voti damnavit, ut ex ejusdem litteris ad Archiepiſcopum & Canonicos Bremenſes 21 Auguſti an. 1235. ſcriptis apparet.

Sæcul. XIII. A.C. 1234.

Privil. arch. Hammab. p. 197.

Sæcul. XIII. A.C. 1234.

§. XLIV.

Guilielmus Papæ Legatus in Livonia.

Interim ad confirmandas in fide novas ſeptentrionum Eccleſias Papa Guilielmo Epiſcopo Mutinenſi legationem detulit, ut docet illius epiſtola ad omnes Chriſtianos Livoniæ, Boruſſiæ, Gothiæ, Finniæ, Eſtoniæ, Semigalliæ, Curoniæ, aliarumque provinciarum adjacentium. Eſt autem ſcripta in hanc ſententiam: *Venerabilis Frater noſter Guilielmus Epiſcopus Mutinenſis a Sancta Sede pridem miſſus ad Evangelium veſtrarum regionum ethnicis promulgandum, magnum eorum numerum Chriſto adjunxit: ſed amplam meſſem reſtare videns, & copioſiores colligere fruges fervide deſiderans Diœceſeos Mutinenſis onere a nobis expediri vehementer cupiit, ut ſe vobis totum daret, ſique foret opus, ſanguinem ſuum pro veſtra ſalute profunderet. Quare legationem a nobis Epiſcopo Semigalliæ impoſitam in Mutinenſem deoneramus, ita ut pleno jure præditus veſtris in provinciis Epiſcopos conſtituere & conſecrare, aut in alias transferre ſedes, Diœceſes conjungere aut dividere, & facere omnia poſſit, quæ Deus ipſi inſpiraverit.* Dabat 21 Februarii an. 1234.

VII. ep. 558. ap. Rain. n. 43.

Ut

Ut vidimus, novem abhinc annis, exeunte anno 1224. Honorius Papa Episcopum Guilielmum in easdem provincias legaverat. Hoc autem anno 1234. is Præsul Episcopatum Mutinensem reapse abdicavit. Unius e spectatissimis Mutinæ civibus, Gerardi scilicet Bosquetii filius Albertus, Ordinis Fratrum Prædicatorum, magna sanctitatis fama clarus, in Guilielmi locum concordibus suffragiis consentiente Clero ac populo 3. Aprilis substitutus, & Papa electionem ratam habente die S. Barnabæ sacra 11. Junii eodem anno 1234. communi urbis gaudio inauguratus, sedem Mutinensem annis triginta tenuit. Sæcul. XIII. A. C. 1234. *Sup. Lib. LXXIX. §. 5.* *Ital. Sac. to. 2. p. 156.*

§. XLV.

Ecclesia Hispaniæ.

Religio etiam in Hispania progressum faciebat per arma victricia Ferdinandi Castellæ Regis, qui in Andalusia multa Mauris loca ademerat, postquam Gregorius IX. Pontifex Maximus Cardinalem Joannem Abbavillium Episcopum Sabinensem anno 1229. in Hispaniam miserat, qui sacræ militiæ classicum ibi caneret. Inter alia loca Ferdinandus occupavit Quesadam, Biatiam, Anduxariam & Martum arcem, qua Equites Calatravenses donavit. Hoc autem anno 1234. *Boll. 30. Maj. to. 18. p. 317. 319.* *Ughel. to. 1. p. 193.* *Sup. Lib. LXXIX. §. 58.* *Roder. XI. c. 15.*

Sæcul. XIII. A. C. 1234.

Ubeda civitate, ac per Principem Alphonsum fratrem suum prope Xeram & veteris Astæ Regiæ monumenta ingenti victoria potitus, usque ad Cordubæ mœnia viam apertam habuit. Interim Gregorius Papa compertis tam prosperis belli successibus Roderico Toletano Archiepiscopo scripsit, ut ex authoritate Sanctæ Sedis Episcopos, prout expedire viderit, constitueret in urbibus, quæ id honoris olim habuissent, ac tunc mererentur. Dabat Reate 26. Junii an. 1234. Post quatuor aut quinque annos Ferdinandus Scholam Palentiæ a suo Patre Alphonso Legionis Rege erectam, ut suo loco dixi, Salamanticam transtulit, in eodem Legionensi Regno, sed amæniore simul & commodiore loco sitam, quæ progressu temporis celeberrima Hispaniæ Universitas evasit.

VIII. ep. 137 ap. Rain. n. 50.

Sup. Lib. LXXVI. §. 28.

Mariana XIII. hist. c. 1. Boll. to. 18. p. 308.

§. XLVI.

Sanctiones Gregorii IX. Decretales dictæ.

Annus 1234. fuit, quo Gregorius Pontifex Maximus Sanctionum seu Decretalium collectionem in publicum edidit, quæ nomen ejus præ se fert, & maximam postea authoritatem habuit. Quinque jam numerabantur decretalium, quas Summi Pontifices dederant, epistolarum

larum collectiones; singulæ post Gratiani congestionem factæ fuerant; prima per Bernardum Balbum Ecclesiæ Ticinensis Præpositum, dein Episcopum Faventinum, postremo Ticinensem, postquam S. Lanfranco suo Magistro successerat. Juris Canonici, cujus erat peritissimus, libros quinque composuit, ac decretales, canonesque quorundam conciliorum usque ad annum 1190. collegit. Alteram collectionem inchoarunt Gilbertus & Alanus, absolvit Gallus Volaterrensis, a quibus nomen gerit. Tertiam e tabulis actorum Innocentii III deprompsit Bernardus Magnus Archidiaconus Compostellanus; recognovit Petrus Beneventanus Papæ scriba seu Notarius sub annum 1210. Post quinquennium Innocentius Papa quartam fieri curavit e suis rescriptis seu responsis, ac ex decretis Concilii Lateranensis, cui eodem anno 1215. præsederat, compositam. Quinta constabat e constitutionibus Honorii III, qui eas a Tancredo Archidiacono Bononiensi congeri, & a tribunalibus scholisque observari jussit.

Sæcul. XIII. A.C. 1234.

Petri Pith. Synops. hist. Edit. An. Aug. init. Ital. Sac. to. 1. p. 31. to. 2. p. 521.

Edit. Innoc. Giron. 1645. tit. I. c. 1.

Ex omnibus his collectionibus Papa Gregorius IX. suam confici voluit per S. Raymundum Pegnafortium Ordinis Fratrum Prædicatorum, qui ei tunc a sacello & a confessionibus erat. Decretales ibi quinque in libros distributæ sunt,

Sæcul. XIII. A C. 1234.

& quilibet multos continet titulos, in quibus illæ ex ordine temporis sunt collocatæ: id quod prioribus in collectionibus factum non fuerat. Hæc ultima principium inde duxit, ubi Decretum Gratiani finem habebat: hæc, inquam, initium capit ab Alexandro III; ac decretales non nisi per compendia allatæ cujusque tituli materiam hic sequuntur; sed primas conservant voces, per quas jam erant cognitæ. Hanc Papa collectionem Bononiensis Academiæ Doctoribus simul & auditoribus destinavit per epistolam, in qua dicit, se in unicum volumen redigi curasse antecessorum suorum constitutiones, eo quod prius in plura dispersæ, cum fusæ nimium aut similes aut contrariæ essent, confusionem peperissent, & quarundam extra codices illos inventarum authoritas a Judicibus in dubium esset revocata. Addit, suo jussu inutilia de priscis sanctionibus recisa, suasque quibusdam quæstionibus dubiis adjunctas fuisse: se velle, ut curiæ scholæque hac sola collectione uterentur, nec alia fieret sine Apostolicæ Sedis authoritate. Similes litteras ad Doctores Parisienses dedit Spoleti 5 Septembris an. 1234. Impleta ejus intentio, & collectio tam bene recepta fuit, ut ab illo tempore simplex Decretalium nomen haberet.

Sup. Lib. LXX. §. 28.

VIII. ep. 218 apud. Rain. n. 26.

Alber. an. 1234. in fi.

§. XLVII.

Sæcul.XIII. A. C. 1224.

§. XLVII.

Conventus Spoletanus.

Postquam Gregorius Papa, Fridericus Imperator, Latini Patriarchæ Constantinopolitanus, Antiochenus, & Hierosolymitanus, multi Archiepiscopi, ac Episcopi, aliique Præsules Spoletum convenerant, post maturam deliberationem decreta fuit apparatio belli contra ethnicos, quia induciæ ab Imperatore cum iis factæ post quadriennium finem habituræ erant. Anno 1232. Papa revocaverat Geroldum Patriarcham Hierosolymitanum de concitata vel nutrita saltem inter Latinos terræ sanctæ Christianos discordia accusatum. Revera Joannes Beryti Dominus Friderici odio flagrans redacta in potestatem Ptolemaide Imperatorium belliducem prælio fregerat mense Majo an. 1232, & Patriarcha Geroldus pactionibus a Cæsare cum Ægypti Sultano confectis libere reclamaverat. Igitur Papa veritus, ne ipsemet per hunc Præsulem (quem suum Legatum creaverat) dissidium alere diceretur, litteris 26 Julii an. 1232 datis eum primo maris trajectu venire, vel saltem a functionibus legationis suæ se abstinere jusserat. Eodem die per epistolam Latino Patriarchæ Antiocheno legationem deferens, illius

Ric. S. Ger. an. 1232. Sup. Lib. LXXIX. §. 48.

VI. ep. 65. ap. Rain. 1232. n. 44.

Sæcul. XIII. A. C. 1234.

discordiæ incommodis ob oculos positis præceperat, ut cum Magnis Equitum Templariorum ac Hospitalariorum Magistris conaretur Regni Nobilium ordinem, ac Ptolemaidis incolas ad obedientiam Imperatori præstandam reducere. Hic Antiochenus Patriarcha erat Albertus, antea Episcopus Brixianus, post Rainerium anno 1229. Antiochenæ Sedi impositus.

Alberic. p. 548. Ughell. to. 4. p. 743. 744.

Nunc in conventu Spoletano Papa ex condicto cum Cæsare novum in terram sanctam Legatum misit, qui dissidentes Latinos reconciliaret. Is erat Theodoricus Archiepiscopus Ravennas, cujus causa ad Episcopos, Abbates aliosque Regni Hierosolymitani Præsules scripsit, ut eum hac in dignitate exceptum in procuranda regionis pace adjuvarent. Dabat Spoleti 8. Augusti an. 1234, ac eodem tempore Imperator ad Barones, Equites, ac populum Ptolemaidis litteras misit in gratiam Archiepiscopi Ravennatis, ei tanquam suo pariter Legato, ut Papa faciebat, potestatem tribuens concordiam a Patriarcha Antiocheno jam redintegratam confirmandi.

Rub. hist. Raven. lib. 6. p. 407. Rain. 1234. n. 32.

Interim Papa bello sacro edici jusso daturus initium, Spoleti populum magno in foro, quo catervatim confluxerat, ipsemet ad piam militiam animavit tam fortiter, ut mox ingens numerus in lachry-

Vita Greg. ap. Rain. n. 27.

mas

mas solutus e manibus ejus crucem ac- Sæcul.XIII.
ciperet. Litteras hac super re quaqua- A.C.1234.
versus misit ad Principes, Præsulesque:
quas S. Ludovico inscripsit, dabat sexto
Novembris, exhortans eum, ut pararet
ipsemet aut per suos terræ sanctæ auxi-
lio venire in communi maris trajectione,
quæ per sanctam Sedem constituta fue-
rit: orabat simul, ut interea cum Anglo-
rum Rege (huic eodem fine scripsit) pa-
cem jungeret, aut saltem inducias pro-
rogaret. Circummisit etiam ad univer- *Matth. Par.*
sos Christianos epistolam hac de materia 1234. *p.* 337.
Spoleti 4 Sept. datam, cujus exemplum *to. XI. conc.*
in Angliam missum præ manibus habe- *p.* 331.
mus. Extollit ibi bonitatem Dei pro
ratione temporum noxarum reis diversa
justitiæ suæ satisfaciendi media offeren-
tis: ita terram, ajebat, in qua vitam du-
xit, ethnicorum armis subigi passus est,
ut hac occasione multi homines delicati,
qui satisfactionem cum peccatis suis con-
gruentem præstare vel nequirent, vel nol-
lent, ideoque in desperationem incidis-
sent, intra modicum tempus longam com-
plerent pœnitentiam, vitam pro Christo
dantes. Deinde Papa sacris militibus *Sun. Lib.*
pœnas pro peccatis debitas condonat *LXXVII.*
iisdem conditionibus, iisdemque omnino *§.* 17. 56.
verbis, quibus id Papa Innocentius III.
in epistola anno 1213 circum missa fece-
rat. Renovat etiam anathema ultimi *to. XI. conc.*
Conci- *p.* 232.

Sæcul. XIII. A.C. 1234. Concilii Lateranenſis contra illos, qui ethnicis arma vel naves ſubminiſtrarent.

§. XLVIII.

Seditio Romanorum contra Papam.

Matth. Par. an. 1234. *p.* 344. Eodem tempore Summus Pontifex Roma pulſus adverſus Rebelles incolas undique auxilium poſtulabat. Præcipua tumultus cauſa erat, quod affirmarent, ſe habere immunitatem veterem, per quam Papæ non liceret ipſos anathemate ferire, nec urbem interdicto afficere: ad quæ ille reſpondit, ſe Chriſtianorum omnium, etiam Regum ac Imperatorum caput eſſe; multo magis eorum, quorum paſtorem peculiarem ageret. Profana inſuper momenta materiam huic diſſidio præbebant in bellum apertum verſo ſpernentibus pœnas ſacras Romanis. Sic Papa ad Archiepiſcopum Rothomagenſem ſcribebat 5 Decembris an. 1234, addebatque: *Quandoquidem hic non commodum privatum, ſed Eccleſiæ cauſa communis agitur; expreſſe tibi præcipimus, ut idoneam militum manum nobis mittas, adverſarios ita repreſſuris, ut alii deinceps contra Eccleſiam nolint inſurgere.* Miſit etiam litteras ad cæteros Galliæ Hiſpaniæque Archiepiſcopos; ad Reges Caſtellæ,

VII. ep. 394. *ap. Rain. n.* 7

Ibid. n. 9.

ſtellæ, Arragoniæ, Navarræ, ac Luſitaniæ, ad Comites Barcinonis, & Ruſcinonenſem, atque in Germaniam ad Ducem Auſtriæ. Ita Grandes pecuniæ ſummas a Præſulibus cismontanis obtinuit, ſed non ante rei exitum: hinc eas integras reſtituit. Fateor me non videre, quid univerſalis Eccleſiæ interfuerit Summis Pontificibus profanum Romæ dominatum, quo per tot ſæcula caruerant, conſervare. Sæcul. XIII. A.C. 1235.

Menſe Majo ſequentis anni 1235 Romani pacem cum Papa junxere per pactiones, quibus ſpondebant, ſe illi ſatisfacturos eſſe pluribus pro rebus; inter alias pro palatio Laterano, & quorundam Cardinalium domibus direptis, ac pro ſuſcepto conſilio, Papam in urbem non admittendi, nec ponendi arma, niſi certas pecuniæ ſummas ipſis redderet. Decreverunt etiam, ut omnes Eccleſiaſtici, & domeſtici Papæ ac Cardinalium, item extranei Clerici laicique, qui ſanctam Sedem aut Apoſtolorum templa adeundi gratia venirent, a poteſtate profanorum Judicum liberi eſſent, atque a Senatu protegerentur. *Ric. S. Ger. an. eod. ap. Rainald. n.4*

In hoc contra Romanos bello Imperator Papæ, & hic illi viciſſim copias ſuas commodavit, Regem Henricum filium ſuum natu maximum in Germania ſeditionem ciere auſum ad officium reductu-

ro,

Sæcul. XIII. A.C. 1235.

ro. Ad Cæsaris preces Papa 13 Martii an. 1235. Episcopis, cæterisque Imperii Principibus scripsit, orans, ut ne Henricum rebellem ullo subsidio, consiliove aut favore juvarent, ac juramenta omnia eidem dicta esse nulla declarans. Rex juvenis se submisit, & Cæsaris patris sui jussu in Apuliam advectus inclususque arci post annos septem ibi mortem oppetiit.

Alb. Stad. 1235. Vita Greg. lib. VIII. epist. 461. ap. Rain. n. 8. 9.

Sic Papa Cæsaris benevolentiam fovebat, eum ad bellum sacrum animaturus: & insuper hujus obstacula tollendi causa curas eo convertit, ut urbes Italiæ & inter se & cum illo Principe reconciliarentur. Eo fine Legatos misit in Hetruriam quidem Cardinalem Jacobum Pecorarium Episcopum Prænestinum, qui Florentiam, Senas & Urbem veterem per consilia hominum pravæ mentis distractas pristinam in concordiam reduceret; in Lombardiam vero Patriarcham Antiochenum, ut patet ex litteris Pontificiis 21 Maji an. 1235 ad regionis Præsules scriptis.

ap. Rain. n. 12

§. XLIX.

Cædes Episcopi Mantuani.

Mon. Paduan. p. 387. epist. Greg. Ughell. to. I. p. 934. & ap. Rain. n. 16. an. 1235.

Tunc Papa Gregorius cædem Guidonis Episcopi Mantuani comperit, qui annis quatuor Ecclesiam gubernans suam per

per maximum in obeundis muniis ſuis ſervorem in odium hominum malorum ac hæreticis faventium incurrit. Quidam eorum Advocati dicti ſecunda die Rogationum 14 Maji an. 1235 illum in Mantuano S. Andreæ cœnobio invaſerunt. Id ſuo orbatum capite e ſolutiore diſciplina ad veterem ſanctimoniam revocaturus, ſacrum ſenaculum intraverat, cum ſicarii eum adorti mox gladiis percuſſum in facie, atque manibus in crucis formam compoſitis truncatum pluribus quam quadraginta plagis confecerunt. Cædis rumor graviter urbem totam, non ita Prætorem commovit; id quod virum ſuſpectum reddidit, creditumque eſt, eum fugæ ſontium faviſſe. At populus effervescens, cum ſicarios non reperiſſet, eorum domos deſtruxit. Qui Veronam prope Ecelinum reorum omnium commune refugium ſe contulere. Sæcul. XIII. A. C. 1235.

Igitur Papa accepto tam triſti nuncio, cum Cardinales cæterosque Præſules Peruſiæ tunc præſentes convocaſſet, ex eorum ſententia criminis authores & participes ab Eccleſiæ corpore ſegregatos, & loca, quæ adirent, interdicta declaravit, adjungens, non poſſe eos niſi a ſumma Sede abſolvi, in pœnam ipſis injunctura, ut ultra mare pedites ac pœnitentium baculos portantes, dum vixerint, loca ſacra obeant. Sic loquitur in epiſtola

v. Gemma animæ lib. 3. c. 77.

Sæcul. XIII. A.C. 1235.

ſtola 5 Junii an. 1235 hac de re ad Prætorem, Senatum, & populum Mantuanum data, ſubjiciens: Præcipimus, ut reos ab urbe, Diœceſi, ac territorio veſtro excludatis, eorum bona publicetis, ac Magiſtratus veſtros ad obſervanda hæc juſſa noſtra adſtringatis: alioqui veſtræ urbi metuendum eſſet, ne Sedem Epiſcopalem amitteret. Atque iſti erant funeſti effectus diſſidii populorum Lombardiæ.

§. L.

Præparationes ad bellum ſacrum.

Eodem tempore Papa turbas Palæſtinæ ſedare, ibique Imperatoris Friderici authoritatem extollere conabatur. Itaque Teutonicos, Hoſpitalarios, Templariosque Equites animabat, ut ſe opponerent Joanni Ibelino Beryti Domino & cum eo conjunctis civibus Ptolemaidis, ſi Tyrum vel alium Regni Hieroſolymitani locum obſiderent: ſcripſit etiam Joanni Ibelino ipſimet, ab hoc conſilio eum abducturus; *quia Imperatoris Friderici commoda*, inquiebat, *noſtra ſunt, ſi ſpectemus inſignem, quam Eccleſiæ haud ſemel præſtitit, operam.* Dabat epiſtolam 28 Julii. Theodoricus Archiepiſcopus Ravennas, Legati munere in Palæſtina fungens, Imperatoris & Conradi ſecundi ejus

Ibid. n. 41.

IX. ep. 171. ibid.

ep. 230. ibid. 43.

ejus filii, per matrem suam Regni Hierosolymitani hæredis jura fortiter defenderat; & Ptolemaidis civibus ipsius judicio se submittere renuentibus, urbem interdicto affecerat: sed ne incolentes eam diversorum rituum Christiani hujus pœnæ occasione Ecclesiæ Romanæ denegarent obedientiam, & locum hæresi darent, Papa interdictum sustulit, sibi parendi sponsionem a Ptolemaidis populo nactus, ejusque cum Cæsare conciliatorem egit. Præterea huic Principi author fuit cum Rege Cypri pacem, vel saltem inducias ineundi. Sæcul. XIII. A.C. 1235. n. 44.

Eodem bellum sacrum expeditius reddendi fine Papa humaniter excepit, quem Aladinus Iconii Sultanus miserat, Legatum. Erat ille caput stirpis Turcarum Seljucidarum in Anatolia regnantis, ac proprie Alaëddin Caïcobad appellabatur. Cæterum cum Syriæ ac Ægypti Sultanis ex genere Saladinio bellum gerens, contra eos volebat Christianos Francos concitare, & Papam horum Calipham censebat. Igitur ad eum legavit Christianum quendam sibi subjectum Joannem Gabram nomine, qui Papæ dixit, Sultanum ipsius amicitiam cupere, sicut amicum jam haberet Fridericum Cæsarem, illum esse paratum ad suppetias eis ferendas, ut Hierosolymam recuperarent: orareque, ut ad se Nuncius mitteretur. *Bibl. Orient.* p. 240. 807. *Epist. ap. Rain.* 1235. n. 37. 38. &c.

Sæcul. XIII. A.C. 1235.

Papa quamprimum se illi gratificaturum promisit per litteras 20 Martii an. 1235 datas. Verum Aladinus e vita discessit anno proximo 1236, Epochæ Arabicæ 634. regiminis sui 18.

Abulfar. p. 312.

IX. ep. 735. ap. Rain. n. 46.

Papa præter epistolas anno præterito excitandis ad bellum sacrum populis missas, etiam hoc anno urgentissimas dedit: ut liquet ex illa, quam Archiepiscopo Remensi, ac ejus Suffraganeis scripsit, ubi illa Christi verba: *Qui vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me!* ad sacram militiam applicat, dicens: *Illi, qui non pro viribus suis conantur ex ethnicorum potestate hæreditatem Christi eripere, sontes erunt, veluti si eum prodidissent.* Finit asserendo, se ex consilio Cardinalium curasse conquiri militem bello saltem ad decem annos prorogando parem, & Christianorum largitionibus sustentandum, quas comparat collectis a S. Paulo pro turba pauperum Hierosolymitanorum factis. Hinc mandat, ut singuli utriusque sexus & cujuslibet conditionis Christiani in singulas hebdomades saltem obolum contribuant ad hujus belli sumptus per manus illorum, quibus id munus commissum fuerit, impendendum. Sic totus sermo tam patheticus ad obolorum collectam dirigitur. Hæ litteræ dabantur Perusiæ 28 Junii 1235.

E sug-

E ſuggeſtu ad ſacram militiam animabant præcipue Fratres Prædicatores ac Fratres Minores: eſtque veroſimile, quod ſermones ſuos eadem incitamenta, eosdem Scripturæ locos, quos Papa in litteris ſuis, adhibuerint. Habebant poteſtatem non ſolum crucem dandi, ſed etiam mutandi votum in ſtipem, & auditoribus ſuis plurium dierum indulgentias concedendi. Nec illis ſtatus ſui humilitas obſtabat, quin ſolenniter in cœnobiis & urbibus excipi ſe paterentur, ut tanquam Papæ Miſſionarii dignitatem ſuam ſuſtinerent. Oportebat eis obviam inſtructo agmine procedere cum vexillis, luminibus, & ornamentis pulcherrimis. Brevi tempore Papæ Procuratores ex occaſione belli ſacri magnas pecuniarum ſummas congeſſerant, quarum uſus non cernebatur: id quod populi hac in re ardorem haud parum minuit. Sic teſtatur Matthæus Paris de Anglia; ex qua de aliis regionibus conjectura fieri poteſt. Sæcul. XIII. A. C. 1235. *ann.* 1234. *p.* 339.

§. LI.

Concilium Narbonenſe. Inquiſitio.

Fratres Prædicatores eodem tempore in hæreticos per Occitaniam vicinasque provincias inquirere, Epiſcopi vero juſſi erant eos conſiliis ſuis juvare, quod fecerunt. Nam tres Archiepiſcopi Petrus *to. XI. p. 407 Spond. continuat.* 1243. *n.* 2

Sæcul. XIII. A. C. 1235.

trus Narbonis, Joannes Arelati, & Raimundus Aquarum Sextiarum Archiepiscopi inter multos alios Præsules in Concilio Narbonensi an. 1235 præsentes, ab illis Religiosis de diversis dubiis consulti, fusissimum eis responsum dabant viginti novem capitulis comprehensum,

Cap. 1. quorum synopsin trado. Hæreticis, eorumque fautoribus, quos, præfixo tempore ultro cum venerint, vobisque tam contra se, quam adversus alios vera dixerint, a carcere immunes pronuncia-veritis, has ut injungatis pœnas, vobis suademus. Quavis die Dominica adibunt Ecclesiam super vestes suas portantes crucem, atque inter Epistolam & Evangelium se Parocho sistent cum virgis in manu, quibus cædentur; idemque fiet in singulis supplicationibus publicis. Prima cujusque mensis Dominica obibunt cum virgis domos civitatis omnes, in quibus aliquando hæreticos viderunt. Qualibet item Dominica Sacrificio, Concioni ac vespertinis in templo precibus cantari solitis intererunt. Pro fide ac Ecclesia contra Saracenos, hæreticos, aut alios rebelles suis sumptibus certo tempore, prout Papa jusserit, militabunt: sed

c. 2. iter transmarinum non eis imponetur amplius, ne rursum congregati Catholi-

c. 5. 7. cos a fide abducant. Inquisitores pro culparum, reorum, locorum ac temporum

rationa

ratione has pœnas augere vel diminuere poterunt, & Parochi videbunt, an pœnitentes eas persolvant. Sæcul.XIII. A.C.1235.

Hæretici, qui se intra tempus gratiæ non denunciaverint, vel alio modo se indulgentia indignos reddiderint, Ecclesiæ tamen se submiserint, carceri debent perpetuo includi: sed quia pro tanto eorum numero construi carceres nequeunt, inclusionem differre poteritis, dum Papa melius hac de re edoctus fuerit. Quantum ad rebelles attinet, qui obedientiam detrectant, sive carcerem ingredi, sive ibi manere, sive aliam subire pœnam recusaverint, eos Judici profano relinquetis, nec audietis amplius; eademque ratione agetis cum illis, qui in hæresin ejuratam relapsi fuerint: satis est Ecclesiam semel deceptam fuisse. c. 4. 9. c. 10. 11. 12.

Pro fautoribus habentur ii, qui hæreticos tum abscondunt, tum non denunciant, tum pœnis, captivitati, examini subducunt, tum iisdem insequendis, pellendisque authoritatem suam non adhibent. Quamvis autem illi, qui ad Ecclesiam redeunt, omni cautionum genere, immo pœnarum etiam temporalium metu coërceri debeant, non tamen mulctam eis pecuniariam irrogabitis, ut honori Ordinis vestri consulatis, cum aliunde vestrum vos negotium satis oneret. c. 14. 15. 16. c. 17. c. 18.

Sæcul. XIII. A.C. 1235.

Hujusmodi reis non licebit ulli familiæ sacræ nomen dare, ne Religiosos simplices depravent. A carcere neminem excipietis: non vir uxorem, non uxor virum, non parentes liberi sui, nec alios senectus & infirmitas immunes facient. Inquisitorum jurisdictionem definiet sontis domicilium, aut locus commissi criminis: & alter alteri scribet, quæ de reis sciverit. Neminem nisi convictum vel confessum condemnabitis: præstat enim facinus impunitum relinquere, quam innocentem damnare. Qui autem juridico ex more convictus pertinaciter negarit, hæreticus censebitur, quidquid cæteroquin fecerit, ut hæresin excussisse videretur. Denique recensentur signa, per quæ cognoscantur illi, qui ab hæreticis *Credentes* vocabantur.

c. 19.
c. 20.
c. 21.
c. 23.
c. 26.

§. LII.

Res Remenses ac Bellovacenses.

Interea Gregorio Papæ Archiepiscopus Remensis Henricus Bronienſis conquestus est de civibus ipsius jurisdictionem profanam impugnantibus. Cum Rex ab Episcopo Bellovacensi, & quod conquebatur, ab Episcopis provinciæ Remensis dissideret, populi hac occasione ad excutiendum profani Ecclesiasticorum principatus jugum utebantur. Cives Remen-

Sup. §. 17.

Marlot. to. 2. lib. III. c. 31.

Remenſes Regias partes ſecuti, primum ex urbe Thomam Bellomeſium * Eccleſiæ Metropolitanæ Præpoſitum ſub obtentu libertatis Clericorum tuendæ turbas concitantem pepulerunt: deinde Archiepiſcopo de profanis quibusdam juribus controverſiam moverunt. At Canonici Præſulis ſui cauſam amplexi, jure communitatis, quod cives ſibi arrogabant, in contentionem adducto, a Papa Quæſitores obtinuere, qui rejectis Conſulum ſententiis eos in curiam Romanam vocarunt. Re Remis pervulgata a civibus in furorem actis Canonicorum quorundam domus deſtructæ, ipſi injuriis onerati, & omnes ex urbe una cum ipſomet Archiepiſcopo fugati, occupati ejus annui fructus, illius caſtrum ad portam Martis vi captum, ejusdem domeſtici aliquot perempti fuere. Archiepiſcopus illos anathemate mulctatos magis contra ſe exaſperavit. Sæcul.XIII. A.C.1235.

* deBeaumez

Ita querimonias ſuas ad Papam deferre coactus, ab eo litteras obtinuit ad Decañum & Archidiaconum Barenſes, atque ad Doctorem Ferrium Canonicum Lingonienſem miſſas, quibus eis præcipitur, ut anathema ab Archiepiſcopo pronunciatum, ubicunque idoneum cenſuerint, promulgari, & civium, ni ſe ſubmittant, proventus, æs alienum, cæteraque bona tam in nundinis, quam alibi, ubi-

Sæcul. XIII. A. C. 1235.

cunque inventa fuerint, occupari curent, ac denique ad subigendam eorum pertinaciam profanæ potestatis opem, si necesse sit, implorent. Dabatur epistola 3. Octobris anno 1235. sed effectus ejus nescitur.

to. XI. conc. p. 501.

Episcopi provinciæ Metropolitani sui rationibus consulebant, ut apparet ex decreto concilii, quot Quintinopoli eodem anno postridie Festi S. Magdalenæ 23 Julii habebatur. Ibi præsidenti Archiepiscopo Remensi assidebant sex Episcopi, Suessionensis nimirum, Laudunensis, Catalaunensis, Noviodunensis, Sylvanectensis, & Tarvannensis: cæteri quatuor, Ambianensis, Atrebatensis, Tornacensis, Cameracensis, omniumque provinciæ Ecclesiarum Cathedralium Collegia Legatos illuc miserant. Id concilium declaravit Ecclesiam violatam esse in punctis pluribus. Erant vero sequentia.

Proscriptio Thomæ Bellomesii Canonici Remensis. Occupatio bonorum Cathedralis Collegii Suessionensis, Regis nomine facta. Repulsa ab eo data petenti jura, quæ vocant Regalia, novæ ad Dominam nostram Suessionensem Abbatissæ, cujus electionem Episcopus ratam habuerat; inhibitio, ne hic illi solenni ritu bene precaretur; ac direptio reliquiarum vasorumque sacrorum hujus cœnobii a Prætore Regio perpetrata. *Rex*, inquiebant,

bant, *nos jubet in curia profana litigare cum hominibus ab Ecclesia proscriptis. Vult, ut Ecclesiastici singulari duorum certamine demonstrent se mancipiorum dominos esse. Ad causam Ecclesiæ Remensis quod attinet, Rex illam judiciis ab Archiepiscopo ex Summi Pontificis authoritate contra cives latis relinquere sine inquisitione rationum anathematis debet, atque nulla earum cognitione inita Archiepiscopo auxilium, si invocetur, ad compensandas injurias a civibus ei illatas subministrare. Sed Archiepiscopi non est suis civibus & clientibus beneficiariis, jurisdictioni suæ obnoxiis de homicidio vel alio crimine sibi adscripto in Regia curia respondere.* Denique Concilium Quintinopolitanum voluit, ut Episcopi ei assistentes ipsimet una cum Legatis Collegiorum Cathedralium proximo Sabbatho Regem adirent, Concilii nomine ei rem exposituri, ac deinde die Dominico post Festum S. Petri ad vincula Compendii idem argumentum tractarent. Sæcul.XIII. A.C.1235.

Congruenter huic decreto Archiepiscopus ac sex Episcopi Melodunum ad Regem S. Ludovicum profecti die octava S. Magdalenæ 29 Julii an. 1235. de omnibus punctis memoratis apud eum disseruere. Reposuit ille, se consilium de his initurum, eosque decimo quinto die post Assumptionem Beatissimæ Virginis rursum Meloduni comparere jussit. Con-

Sæcul. XIII. A. C. 1235.

sentiebant Episcopi; sed jam tum de duobus punctis nempe de causa Ecclesiæ Remensis ac de proscriptione Thomæ Bellomesii Regem monuere. Concilium die Dominica 5 Augusti Compendii denuo sociatum tribus Abbatibus injunxit, ut die lunæ post Exaltationem S. Crucis 17 Septembris tertia Regem admonitione perurgerent. Et interea Sabbatho ante Nativitatem B. Virginis 1. Septembris ipsimet Episcopi ad S. Dionysium delati secunda Regi commonitione institerunt.

Marlot. p. 521.

§. LII.

Querelæ Gallorum contra Ecclesiasticos.

Preuv. lib. Gall. c. 7. n. 7.

Tum Franciæ Optimates apud Pontificem Maximum de Præsulibus ac Ecclesiasticis querebantur. Epistola continet nomina plurium quam triginta, quorum primi sunt Hugo Dux Burgundiæ, Petrus Britanniæ Comes, Hugo Comes Marchiæ, & Amaurius Comes Montfortius, supremus militaris rei Gallicæ Præfectus. Hi dicunt Papæ: *Quamvis Rex, & Majores ejus nostrique semper Ecclesiæ jura fideliter conservaverint, qua in re solicite eos imitamur: nunc tamen Præsules, cæterique Ecclesiastici contra Regem per nova molimina insurgentes, obsequia longo tempore ei & antecessoribus ejus præstita recusant,*

Sæcul.XIII. A.C.1235.

cuſant, novaque jura ei ac ditioni ejus ſubjectis extorquere conantur. Archiepiſcopus Remenſis, ac Bellovacenſis Epiſcopus Regis clientes beneficiarii ac dediticii terras ſuas tanquam Franciæ Pares & Barones ab illo habent: eo tamen audaciæ progrediuntur, ut de bonis ſuis in curia Regis ac Procerum non reſpondeant, nec patiantur Archiepiſcopum Turonenſem ac ejus provinciæ Abbates ibi reſpondere, ſicut ſub Regibus prioribus fecerunt. Hi Præſules, ac cæteri Eccleſiaſtici nos & clientes noſtros fiduciarios onerare volunt novis conſuetudinibus, quas ferendo non ſumus. Quare tibi ſupplicamus, ut jura Regni & noſtra, prout anteceſſorum noſtrorum tempore obſervata ſunt, integra conſerves, gnarus, nec Regem, nec nos ejusmodi molitiones toleraturos amplius eſſe. Actum ad S. Dionyſium an. 1235. menſe Septembri: litteris 28 ſigilla ſunt impreſſa.

Idem fuiſſe conventus videtur, in quo Rex ſanxit, ut ne ſui & Optimatum clientes beneficiarii cogerentur Eccleſiaſticis vel aliis pro tribunali Eccleſiaſtico reſpondere: id quod de materia profana intelligendum. Ut Judex Eccleſiaſticus ſi eam ob cauſam illos proſcriberet, per occupationem bonorum ſuorum anathema tollere compelleretur. Ut Præſules, cæterique Eccleſiaſtici ac eorum clientes fiduciarii adſtringerentur ad ſubeunda Regis

Greg. ap. Rain. 1236. *n.* 34.

Sæcul. XIII. A C. 1236.

gis ac Procerum judicia in omnibus causis civilibus. Tale fuit S. Ludovici decretum.

Provinciæ Remensis Præsules a sua agendi ratione non desistebant. Sylvanecti die Mercurii post Festum S. Martini 14 Novembris an. 1235. iterum sociati erant, cum Remensis Archiepiscopus ex consilio Suffraganeorum suorum hæc pronunciavit: *Quandoquidem Rex monitis sibi datis non paruit, omnes ejus possessiones in provincia Remensi sitas interdicto afficimus; ita tamen, ut sacrum viaticum & baptisma ibi conferantur: & proscribimus omnes Episcopos, qui hanc censuram non observaverint, vel in Diœcesibus suis observari, aut postridie Festum S. Andreæ promulgari non curaverint.*

Gall. Chr. to. I. p. 524

Rex hanc rem longius provehi haud passus, ejus cognitione inita, causam Archiepiscopo adjudicavit, & propugnacula a civibus exstructa everti, castrum ad portam Martis reparari, atque aliis in punctis illi satisfieri voluit. Tulit hanc sententiam Parisiis mense Januario an. 1235. hoc est an. 1236 ante Pascha: & ampliorem rei disquisitionem commisit Odoni Abbati ad S. Dionysium, ac Petro Colmiæo tunc ad S. Audomarum Præposito, qui Remos delati, ordinem judiciarium tenere volebant: sed Archiepiscopus & Cives eorum arbitrio relinquentes

tes omnia, quidquid constituissent, observaturos se promittebant. Illi, civibus absolutionem a censuris efflagitare, & Archiepiscopo magnam pecuniæ summam pendere jussis, summa solertia caverunt, nequa discordiæ materia restaret. Actum Remis 8. Febr. an. 1236. Sæcul.XIII. A.C.1236.

§. LIV.

Papa Ecclesiasticorum postulationes fovet.

Gregorius Papa de sanctionibus Regis ac Franciæ Procerum in conventu ad S. Dionysium factis edoctus, longam illi epistolam scripsit, in qua asserit, Deum Papæ omnia simul, cœlestis ac terreni jura imperii tribuisse: insistit dein existimatæ legi Theodosii, per Carolum Magnum renovatæ, & ad sanctiones, de quibus sermo est, veniens, dicit, Regem ac Optimates Ecclesiam, a qua regenerati fuissent, velle in servitutem redigere, velut si ancillæ, non liberæ filii esse cuperent. Ubi Papa manifesto alienum in sensum verba S. Pauli derivat, qui sub nomine Ecclesiæ non solum corpus Cleri, sed universam Christianorum multitudinem intelligit, liberamque appellat Synagogæ comparatam. Sed hæ voces, Ecclesia & libertas per Christum acquisita sæculo XIII sic exponi solebant. Papa

IX. ep. 384. ap. Rain. 1236. n. 31.

Sup. Lib. XLVI. §. 8.

Gal. IV. 24.

Sæcul. XIII. A.C. 1236.

pa concludit exhortando Regem ad retexendas sanctiones illas, quas ei per mala consilia suggestas credit: & adjungit, timendum eidem esse anathema a Papa Honorio III pronunciatum adversus illos, qui contra libertatem Ecclesiæ constitutiones facerent. Dabat 15 Febr. an. 1236. Neque tamen retexuit sanctiones suas Rex sanctus, sed reprimendis in Regno suo Cleri molitionibus assidue intentus fuit.

Jo. de Thurocz. c. 73. 74

Modico abhinc tempore Papa scripserat Belæ post Andream patrem suum an. 1235 mortuum Hungariæ Regi, qui die Dominica 14 Octobris coronatus 25 annos regnavit. Cum bona Ecclesiarum, sigillatim Ordinis Cistercienſium, Hospitalariorum ac Templariorum, Religiosorum S. Lazari & S. Samsonis occupasset, Papa rem tanquam in se plurimum criminosam, per malum vero exemplum nocentiorem vehementer ei exprobrans nisi restitueret ablata, se pro muneris sui ratione cum eo acturum minitatus est. Dabat 16. Jan. an. 1236.

IX. ep. 346. ap. Rain. n. 66.

IX. ep. 398. ap. Rain. 1236. n. 14. 15

Eodem tempore similes Friderico Cæsari litteras misit, de oppressis Siciliæ Ecclesiis conquerens. *Hæ per Prætores tuos*, inquit, *libertate ac bonis exutæ sunt, Pastores ac ministros suos proscriptos, captos, exactionibus oneratos, ad tribunalia profana traductos dolent. Quando Præsules*

Sæcul.XIII. A.C.1236.

ſules illæ ſuos amiſere, non eis permittitur aliorum electio, ſed contra ſacros Canones obtruduntur novi. Interim hæreſis invaleſcit, cum deſint, qui ſanam doctrinam tradant. Immo e templorum ruinis delubra conſtruere Saracenos pateris (de Saracenis Nuceriæ loquitur) *quibus ſuum in medio Regni domicilium hac arte ſtabilitum majorem Chriſtianos a fide abducendi facilitatem præbet. Denique contra pacem a te nobiſcum initam quidam Nobiles aliique ſuis ſpoliati bonis mutare ſolum coguntur, ac certe hoc uno ex capite tam acerbe habentur, quia Eccleſiæ partibus ſe adjunxerunt.* Dabat ultimo Februarii an. 1236. Imperator ad has querelas ſic reſpondit, ut tum earum cauſas imminueret, tum culpam in Prætores ſuos transferret, & quantum ad electionem Præſulum attinebat, ſe jus anteceſſorum ſuorum tueri aſſereret. Sed his reſponſis immixti erant verborum aculei non niſi exulcerandis animis idonei.

Sup. Lib. LXXIX. §. 65.

§. LV.

Res Lombardicæ.

Papa tamen Imperatorem ad bellum ſacrum adducere, & a ſuſcepto Lombardiæ arma inferendi conſilio avertere modis omnibus conabatur. Vide, qua ratione ei eodem anno 20 Martii ſcripſerit!

Sæcul. XIII. A.C. 1236.

rit! *Oramus, ut Excellentia tua consideret, nos negotium de Terra sancta te urgente ac ex sententia trium Patriarcharum omniumque Præsulum nobis præsentium contraxisse; idem post sanctam Sedem præcipue ad te pertinere; atque nos curasse, ut dissidentes pacem, vel saltem inducias ineant, ubivis gentium compellantur. Et vero Principes aliqui jam eo adacti sunt, ac nonnulli Reges, multique Optimates tesseraria crucis militiam secuturos se spoponderunt: Igitur efflictim rogamus, ut mox Hermannum Teutonici Ordinis Magistrum mittas cum plena potestate nostras inter manus simpliciter & absque ulla conditione de tua cum Lombardis controversia compromittendi, qui se hac in re nostro permisere arbitrio. Scias enim, si contra eos moveas, hoc præsertim tempore, pessimi rem exempli fore, ac te multis daturum ansam credendi, se ab Ecclesia deceptos esse: id quod hæc tolerare haud posset.*

X. ep. 1. ap. Rain. 1236. n. 2.

Verum Imperator Papæ declaravit, se Lombardorum insolentiam diutius ferendo non esse, oravitque, ut ipsi honorificam cum eis pacem procuraret, vel ad eosdem edomandos suppetias mitteret, prout affirmaret, Cæsarem ipsi succurrere debere. De Mediolano præcipue querebatur tanquam hæreticorum ac rebellium receptaculo. Belli sacri dilationem excusaturus, Papæ his verbis scripsit:

Matth. Par. an. 1236. p. 362.

Matth. Par. p. 366.

ap. Sigon. lib. 18. p. 48.

Italia

Italia est hæreditas mea: ambitio rationi contraria foret, si desererem, quod meum est, ut armis extranea quærerem. Indignus Christi servus sum, ut ejus hostes impugnem, sacræ militiæ crucem ampl-xus. Verum Italia plena hæreticis est, præsertim Mediolanum: ut contra Saracenos moveam, illos impunitos permittere esset ferrum in plaga relinquere, ac exteriora ei remedia applicare. Præterea sine numerosis copiis & magnis sumptibus bellum ethnicis inferre haud possum: huc opes ac vires Italiæ destino. Sæcul. XIII. A.C. 1236.

Imperator in Germania commorabatur, proximamque æstatem in Lombardia transacturus, ad Germaniæ Principes longam scripsit epistolam, in qua sic loquitur: *Quandoquidem populi nobis subjecti in Regno Hierosolymitano ad dilectum filium nostrum Conradum matris suæ successorem pertinente, in Sicilia, materna hæreditate nostra, & in Germania communi fruuntur pace, Italiam ad officium suum reducere, ac Imperio nostro restituere cogitamus; parumque nobis superest agendum, ut illud eveniat. Qua in re non nostrum modo emolumentum, sed sacræ militiæ progressum quærimus. Nam Italiæ rebelles subigendo discordias inter Nobiles multos tollemus, quorum vota durante hoc inter Christianos bello suspensa manent. Tanta bona procuraturi, hac æstate cum Principibus* Petr. de Vin. III. ep. 1. & ap. Sigon. ibid.

Sæcul. XIII. A. C. 1236.

Imperii Lombardiam adire ſtatuimus, ut hæreſin inde extirpemus, inſtauremus ibi jura Imperii, eo reducamus pacem, ibidemque ſuum cuique jus tribuamus, ac poſtea omnes conjunctis viribus Religionis hoſtes aggrediamur. Igitur Parmæ ſolemnem indicimus curiam, quo cunctos Italiæ cis Romam urbium Nuncios invitamus, ac præter Imperii Principes omnium Occidentis Regum, quorum major pars fœdere nobis conjuncta eſt, Legatos ibi affore ſperamus. Edicit dein Auguſtam Vindelicorum ad conventum militum die Feſto S. Joannis faciendum, & ad conſeſſum Parmenſem diem Feſtum S. Jacobi 25tum Julii.

Interim ad Cæſaris preces Papa in Lombardiam Legatum miſit de pace acturum. Is erat Epiſcopus Prænestinus Jacobus Pecorarius Placentiæ nobili & opulenta ortus familia. A prima juventute ſua Clericus ad S. Domninum, dein Archidiaconus Ravennas, ut ſe totum Deo conſecraret, Franciam petiit, & Ordinem Ciſtercienſium ingreſſus an. 1215. talia virtutum ſpecimina edidit, ut in Abbatem Trifontanum Romæ ſub Pontificatu Honorii tertii eligeretur, qui ſingulari eum affectu proſequens a ſacello & confeſſionibus ſibi eſſe juſſit. Ex illo tempore Eccleſiæ negotiis, quæ maximi momenti erant, adhibitum ac optime perfunctum Papa Gregorius Nonus Cardi-

Ital. Sac. to. I. p. 236.

nalem

nalem Episcopum Prænestinum mense Septembri an. 1231 creavit, & anno sequente eum simul ac Ottonem Cardinalem sub titulo S.Nicolai ad Imperatorem Fridericum pacis procurandæ causa legavit. Tum in Lombardiam pacandam missus Jacobus hoc anno tertiam legationem obiit. Papa de eo ad Cæsarem 10 Junii ita scripsit: *Edocti, te Lombardiam petiturum, Episcopum Prænestinum eo mittere decrevimus, qui cum olim pro Deo omnia reliquerit, certe solam concordiam & honorem Ecclesiæ ac Imperii nullo hominum respectu quærit.* Sæcul.XIII. A.C.1236. *X. ep. 103. ap. Rain. 1236. n. 6.*

§. LVI.

Beata Agnes Bohema.

Interim Agnes Regis Bohemiæ soror egregium orbi exemplum dedit in religiosam servitutem sub S.Franciſci regula se Deo dicans. Primislaum Ottocarum Bohemorum Regem, atque Constantiam Belæ tertii Hungariæ Regis filiam parentes nacta Pragæ anno 1205 primam aspexit lucem. Trimula Boleslao Henrici Silesiæ Ducis filio in matrimonium promissa, Trebnicium ejus regionis monasterium prope Uratislaviam delata fuit, ut ibi sub cura sacrarum Deo Virginum adolesceret. Sed post triennium extincto, cui destinata erat, Principe, in Bo- *Vit. ap. Boll. 6. Mart. to. 6 p. 513.*

Sæcul. XIII. A.C. 1236.

hemiam revecta, Doxanense cœnobium usque ad ætatem novem annorum incoluit. Tunc ab Imperatore Friderico secundo pro Henrico filio natu maximo petita, sponsaliis per Procuratorem celebratis, in Austriam missa fuit, linguam & mores Germanicos ibi docenda: nam Bohemi e natione Sclavorum erant. Jam tum per hebdomades Dominico Adventui sacras, & per vernum jejunium rigidam colens abstinentiam modico tantum pane ac vino victitabat, quamvis Austriæ Ducibus gratia legis, & cibos lacte confectos edendi copia præter illius temporis morem facta fuisset. In pervigilio Annunciationis, etsi desponsa esset, virginitatis servandæ & desiderium ingens sensit, & consilium suscepit, hunc in finem se sanctissimæ Virginis præsidio commendans. Et vero conjugium dilatum, illa in Bohemiam remissa, Henrico Leopoldi Austriæ Ducis filia nuptiis juncta est.

Post hæc Imperator Fridericus ipsemet, amissa secunda conjuge Yolanda Regis Hierosolymitani Joannis Briennii filia, Agnetem Bohemam sponsam postulavit, eandemque eodem tempore poposcit Henricus tertius Rex Anglorum. Antepositit Imperatorem, eique invitam filiam addixit pater Primislaus Rex: sed sub annum 1230, vitam cum morte commutavit; cui filius suus Wenceslaus quartus

quartus succeſſit. Interim Agnes ſe præ- Sæcul.XIII.
parabat ad vitam, quam in votis habe- A.C.1236.
bat. Sub veſte auro ac gemmis ornata cilicium & cingulum ferreum geſtabat. Ejus lectus extra magnificus intus ſilicibus acutis conſitus, abſtinentia mira, jejunium frequens erat inſcio Rege fratre. Horas matutinas tranſigebat ſacrificiis aſſiſtendo diverſis in templis, quæ ſæpe ante lucem adierat, amictu, ne noſceretur, aliquam civem præ ſe ferens: per horas integras poſitis humi genibus calidas ad ſuperos preces fundebat.

Annum ſæculi XIII trigeſimum tertium, ætatis ſuæ viceſimum octavum agebat, cum Fridericus Cæſar eam ad ſe deferendi, & in matrimonium ducendi gratia Legatos Pragam ad Regem ejusdem fratrem miſit cum gaudio conſentientem. Interim vero, dum Legati ſplendidius avehendæ Principi ingentes apparatus faciunt, illa ſecreto per nuncium Papam Gregorium orat, ut authoritatem ac opem ſuam interponat contra conjugium ipſi obtrudendum. Hujus diſplicentiam augebat notitia liberioris vitæ, quam Fridericus durante viduitate ſua ducebat. Papa piæ Principis votis annuens, extraordinarium in Bohemiam Nuncium miſit, qui connubium impediret, ac Cæſaris animum, cui res dolere poſſet, quam ſolertiſſime tractaret. Agnes

Sæcul. XIII. A.C. 1236.

Regi fratri suo Pontificias monstrans litteras, ut ipsius propositum suffulciret, orabat. Ille Legatis, hi Cæsari rem indicarunt; qui offensus primum, dein mitigatus decretum edidit, quo eam a promisso matrimonii sibi facto liberabat. Dicebat ibi: *Si mortali me homini posthabuisset, vindictam per arma sumpsissem: sed quod cœlestem mihi Sponsum præferat, improbare nequeo.*

Ita sui juris facta Princeps, pium propositum exequi statuit; ac de instituto S. Francisci, & de S. Claræ ejusque filiarum vivendi ratione satis edocta, ad eam amplectendam adjecit animum ex consilio Fratrum Minorum, qui regnante Primislao ipsius patre Moguntia Pragam venerant, ut domicilium ibi collocarent. Eorum cœnobio colophonem imposuit, & condidit novum sub nomine S. Salvatoris pro filiabus S. Claræ, quæ ipsi quinque misit. Anno 1234 absolutum erat, ut patet ex litteris Papæ Gregorii, opus ratum habentis & confirmantis. Agnes Pragæ jam nosocomium sub nomine S. Francisci erexerat, ubi Religiosi serviebant S. Augustini regulam amplexi, & super amictum portantes crucem cum stella rubra. Demum die Pentecostes 18 Maji an. 1236. solenni ritu sacram induit vestem una cum septem aliis Virginibus illustri

Boll. p. 502. p. 520.

Alber. Stad. eod. an.

illustri genere ortis. Numerabat annos triginta & unum; insuper alios 45 vixit. Sæcul. XIII. A.C. 1236.

Per epistolas, quas Papa duobus annis sequentibus ei scripsit, apparet, eam fuisse Abbatissam hujus monasterii, idque jam tum S. Francisci nomen tulisse. Habemus etiam quatuor S. Claræ ad B. Agnetem epistolas, quibus ei de vitæ gradu divinitus assignato gratulans, eandem ad perseverantiam, ac præcipue ad amorem paupertatis exhortatur. Et vero paruit monenti Agnes tam fideliter, ut cœnobio suo bona immobilia vel certos proventus esse nunquam voluerit, quantumvis illam Rex frater suus eo urgeret. S. Clara eam edocuit, suum Ordinem servare jejunium in cibis esurialibus per totum annum solere exceptis diebus Dominicis, ac præcipuis Festis. *Boll. p. 506.*

§. LVII.

Ferdinandus Corduba potitur.

In Hispania Christianorum arma prospere continenter successus habebant. Mense Januario anni præteriti 1235 Ferdinandi Castellæ Regis copiæ noctu Cordubæ suburbium muris ac turribus munitum occupaverant; quo comperto Rex ipse quanquam modica instructus manu urbem oppugnare cœpit. Abenhutum Maurorum Regem Astige habitantem a *Chr. S. Ferd. c. 8. ap. Boll. to. 18. p. 325.*

Sæcul. XIII. A.C. 1236.

ferendo Cordubæ auxilio avertit quidam Eques Christianus, in quo confidebat, & qui eum fefellit a Rege Ferdinando subornatus. Cum dein Abenhutus Valentiæ a Jacobo Arragoniæ Rege obsessæ suppetias iret, eum unus suorum per proditionem e medio sustulit. Tum horum locorum Mauri in diversa abiere, uni soli Domino obedire deinceps nolentes.

Interea Ferdinandus crescente in dies suorum numero obsidionem Cordubæ urgebat, cujus incolæ subsidio destituti premente fame certis conditionibus se dedere volebant. Ille solum permisit, ut incolumes, sed nihil asportantes discederent. Sic tradita est Corduba in pervigilio S. Petri 28 Junii an. 1236, postquam 523 annis in Musulmannorum potestate fuerat, nempe ab anno 713, quo illam sibi Metropolin in Hispania constituerant. Ferdinandus mox in fastigio turris, e qua Musulmanni ad preces vocati fuerant, crucem erigi jussit; & quinque Episcopi eum comitantes præcipuum delubrum ex Arabicis omnibus maximum & ornatissimum intrarunt. Illi Episcopi erant Joannes Uxanensis Curiæ Regiæ Præses, Consalvus Conchensis, Dominicus Biatiensis, Adamus Placentinus, & Sanctius Caurensis: Rodericus Archiepiscopus Toletanus Romæ commorabatur. Episcopus Toletanus Romæ commorabatur.

Ric. S. Ger.

Sup. Lib. XLI. §. 25.

Epis-

Episcopus Uxanensis in delubro purgato erectam aram sanctissimæ Virginis honori dicavit, ibique Festo die SS. Apostolorum celebrato solenni ritu sacrificio de rebus divinis cum magno audientium fructu verba fecit. Rex Almansor quondam æra campana Ecclesiæ S. Jacobi Compostella Cordubam in grande delubrum deferri curaverat, ubi resupina erant suspensa, & pro lampadibus serviebant, quod ignominiæ sibi ducebant Christiani. At Ferdinandi jussu ad S. Jacobi Maurorum humeris reportabantur. Quoniam Corduba in agro fertilissimo amœnissimoque sita erat, ejus expugnatione per Hispaniam divulgata, accurrentes undique homines natalibus eam locis anteferebant, ita ut potius domus incolis, quam incolæ domibus deessent. Recepit illa Sedem Episcopalem Toletanæ obnoxiam, & inter amplissimas urbes post Romam, Constantinopolin atque Hispalim numerabatur. Sæcul.XIII. A.C.1236.

Papa Gregorius accepto tam fausto nuncio ad Hispaniæ Præsules scribens, eos Regem Ferdinandum, ut ethnicis plura eriperet loca, & omnes Diœcesium suarum populos, ut seu militari opera, seu bonis suis illum juvarent, animare jussit, haud minorem ipsis, quam pro itinere in terram sanctam promittens indulgentiam. Has litteras dabat 4 Septembris an. 1236. *X. ep. 214. ap. Rain. n. 58.*

Sæcul. XIII. A.C. 1236.

Eodem tempore ad Regis preces Archiepiscopo Toletano, ac Episcopis Burgensi & Uxanensi præcepit, ut ei per tres annos subsidium annuum mille aurearum regionis monetarum e proventibus Ecclesiarum ac cœnobiorum pro hujus belli sumptibus penderent. Sub idem tempus Rex detectos Palentiæ hæreticos in vultibus candente ferro notari jussit: quo factum est, ut resipiscentes in Ecclesiæ sinum recipi cuperent, & mandante Papa ab Episcopo loci absolverentur.

ep. 215. n. 60.

X. ep. 182. ibid.

§. LVIII.

Judæi male habiti.

Eodem anno Judæi pluribus locis acerbe excipiebantur, præsertim in Hispania, ubi magna eorum strages est edita. In Francia cruce signati Aquitani, Pictones, Andegavenses, & Britanni ingentem illorum numerum peremerunt, nec infantibus, nec fœminis gravidis parcentes. Multis mortiferæ plagæ inflictæ, alii equorum ungulis obtriti, cadavera bestiis exposita, illorum libri combusti, bona direpta sunt, & pejora iisdem intentabantur: omnia sub obtentu recusati baptismatis. Cum Judæi querimonias suas ad Papam detuliffent, scripsit ea super re Archiepiscopo Burdigalensi, ac Episcopis Santonensi, Inculismensi, & Picta-

Matth. Par. 1236. p. 364.

Lobineau hist. p. 235.

X. ep. 212. ap. Rain. 1236. n. 46.

Pictavienſi litteras, in quibus dicit, cruce ſignatos debere ſe ad bellum contra ethnicos præparare per timorem Dei, puritatem cordis, & charitatem: & JEſum Chriſtum, quamvis a baptiſmi gratia neminem excludat, miſericordiam tamen impertiri, cui velit; ac neminem ad ſuſcipiendum hoc Sacramentum cogi decere, cum homo ex libero arbitrio ſuo & ceciderit, & ſurgere debeat per gratiam vocatus. Dabat 9 Septembris an. 1236. Scripſit etiam S. Ludovico, ut cruce ſignatorum furorem coërceret. Judæi in Anglia datis Regi Henrico pecuniis obtinuerunt edictum, nequis ipſos male acciperet.

Sæcul. XIII. A. C. 1236.

ep. 213.

M. Paris. ibid.

§. LIX.

Concilium Turonenſe.

Similem inhibitionem, ne cum Judæis aſpere ageretur, ſigillatim ad cruce ſignatos directam videmus in Concilio Turonenſi, quod Archiepiſcopus Juhel habuit die Martis ante Feſtum S. Barnabæ, nimirum 10 Junii eodem anno 1236. Edebatur ibi præſcriptum quatuordecim continens articulos, quorum primus præcipit, ut ſacros milites ob crimen a Judice profano comprehenſos Judex Eccleſiaſticus foro ſuo vendicet, ac nulla immunitatis eorum ratione habita, etiam crucem iisdem adimat, ſi homicidii vel alius gravis

to. XI. conc. p. 504. *c.* 1.

Sæcul. XIII. A. C. 1236.

vis delicti reos invenerit. Additur: *Severe prohibemus, ne cruce signati, cæterique Christiani Judæos occidant, vel percutiant, expilent aut alia injuria afficiant, cum eos Ecclesia toleret, non mortem sed salutem errantium volens. Episcopis curæ erit sustentatio neophytorum, ne per causam inopiæ ad errores suos redeant.*

c. 13.

c. 2. 4. Advocati triennio, Judices quinquennio juri addiscendo operam dederint, oportet. Judices a sancta Sede delegati in provinciam Turonensem necessarias adhibebunt cautiones contra fraudes partium, qui rescripta in Romana curia obtinuerint. Hæ delegationes satis frequentes fuerint, necesse est. Testamenta Episcopo vel ejus jurisdictionem exercenti intra decem dies post mortem testatoris exhibebuntur; & ille ea fideliter executioni dari curabit. Falsi testes fustuario excipientur, nisi hoc in mulctam mutandum Judici visum fuerit. Qui duas simul uxores habent, palam infames denunciabuntur, & in scalas publicas agentur, dein vapulabunt, nisi per mulctam se redemerint. Sic etiam punientur, qui sortilegii convicti fuerint.

c. 5.

c. 7.

c. 12.

c. 18.

Metropolitana sedes Bituricensis hoc anno dignum possessorem accepit in Philippo * Berruerio. Simon Sullius quatuor abhinc annis 8 Augusti 1232 vitam amiserat; & sedes per hoc intervallum vacasse

* Berrnier Gall. Chr. to. 1. p. 176.

vacasse censetur: post suffragia tamen aliquoties inita cooptatus est Doctor quidam nomine Petrus * Castrorubeus, cui post biennium munus abrogatum fuit; & Papa provisione ad se devoluta Bituricas transtulit Philippum Aurelianensem per quatuordecim annos Episcopum. Evasit Archiepiscopus exeunte Augusto anni 1236. & viginti quatuor annos permansit, per quos plus, quam adhuc fecerat, omnes virtutes Christianas ac Episcopales coluit. Eodem anno duo Archidiaconi Parisienses, celebres ambo Doctores, in Archiepiscopos electi sunt, Godefridus Vesuntii, Emericus Lugduni.

Sæcul. XIII. A. C. 1236.

Patr. Bitur. c. 70. p. 110.

* Châteauroux

Alberic. p. 541. 554. *Patr.* c. 71. p. 112. *Sup. Lib. LXXVIII.* §. 61. *Gall. Chr.* to. 2. p. 252. *Alberic.* p. 560.

§. LX.

Robertus Capito Episcopus Lincolnienſis.

Angliæ Rex Henricus hoc anno Regiminis sui vigesimo Ranulphum Abbatem Rameseyensem justitiæ præfecit, ut cum tribus aliis Quæsitoribus in Comitatibus Bedefortiensi, & Buquincamensi jus diceret. Episcopus Lincolniensis, in cujus Diœcesi hic Abbas erat, ea de re ad S. Edmundum Archiepiscopum Cantuariensem scribens ait: *Si Abbas hoc munus accipit, etiam causas sanguinis dijudicandas suscipit; nec ab hoc purus erit surgendo, dum damnationis pronunciandæ tempus instabit, quoniam illa*

Monast. Ang. to. 1. p. 241. ap. *Rain.* n. 52.

Sæcul. XIII. A. C. 1236.

illa ipsa actio indicabit judicium, quod sequi debet. Præterea jurisdictionem profanam exercere nulli Clerico per canones licet, sed id agentes, si Clerici sint, a functionibus Ecclesiasticis removeri, si sint Religiosi, severius puniri jubent. Igitur exhortare Regem (si pedibus tuis advolutus enixe supplico) ut mandatum tollat, ne ipsemet indignæ rei culpam contrahas, animarum perniciem trahentis. Quodsi Rex renuat, & Abbas neglecta salute sua, quæ mihi esse curæ debet, munus illud exercere velit, consilium suppliciter peto. Nam si rei tam parum æquæ non obsisto, Abbati censuras Ecclesiasticas minitando, accieo mihi illam Ezechielis objurgationem:

Ezech. 13. 5. *Non ascendistis ex adverso, neque opposuistis murum pro domo Israël. Si vero resistam, Regis Ministri bona mea occupabunt ac diripient; & quia ejusmodi oppositio his in locis nondum conspecta fuit, multorum, quos hoc sæculum sapientes credit, fabula fiam. Nihilominus cum nullum periculum temporale vel cum minimo æternæ vitæ discrimine in comparationem veniat, erubesco, quod in causa tam clara te consuluerim. Oro itaque, hac in re libertatem Ecclesiæ animarumque salutem pro viribus tueri me jubeas. Nam authoritate tua nixus juvante Deo contra improborum conatus stare potero.*

Episcopus Lincolnienſis, qui has scripsit litteras, erat Robertus Capito, in Anglica lingua Grouthead. Stodebrocii in Comita-

Comitatu Suffolcino plebejis egenisque parentibus natus, procedente tempore doctrina & virtute enituit. Litteris Oxonii primum, dein Parisiis operam navavit, ubi Doctoris gradum, & magnam obtinuit existimationem. Reversus in Angliam Leceſtriæ Archidiaconus, tum Lincolniæ Episcopus evasit post Hugonis * Devellii obitum, qui 7. Febr. an. 1235 contigit. Robertum S. Edmundus Archiepiscopus Cantuarienſis Radingæ 3. Jun. eodem anno consecravit. Reclamantes huic inaugurationi monachi Cantuarienſes eam in Eccleſia ſua fieri debere asserebant: ne tamen congregatorum Præsulum iter ac sumptus irriti essent, consentiebant, ita, ut nullum inde exemplum caperetur. Robertus sedem Lincolnienſem 18 annis tenuit.

Sæcul. XIII. A.C. 1236.

Goduin. de Præsul. p. 348. Angl. Sac. to. 2. p. 325.

* de Velles

Matth. Par. 1235. p. 345.

§. LXI.

Cæsaris querelæ. Papæ purgatio.

Imperator Fridericus Augustam Vindelicorum tempore indicato venit, & in pervigilio S. Jacobi 24 Julii an. 1236 reliquit, Italiam cum mille equitum comitatu petiturus. Cum alpes superasset, collectis infra Veronam copiis suis, Cremonensium subsidio auctus Mantuam rebellem invasit, & circumjecto agro vastitatem intulit. Neque hanc avertere Lega-

Godef. Mon. 1236.

Sæcul. XIII. A. C. 1236.

Legatus Papæ Jacobus Episcopus Præneſtinus potuit, fruſtraque geſſit negotium ſuum, Friderico perſuaſum ſibi habente, Papam bona fide non agere, ſuumque Mediolanenſibus ac cæteris Lombardis ſeditioſis auxilium promiſiſſe. Præterea Legatus Placentiæ patriæ ſuæ cives in priſtinam concordiam reducendo, quamvis hac in re tantum munere ſuo functus eſſet, Imperatori ſuſpectum ſe reddidit. Qui ejus aures injuriis ac minis oneravit, & ſuas eidem non præbuit. Quin etiam Pontifici Maximo Legati rationem agendi & auxilium ab illo Lombardis miſſum conqueſtus fuit. Papa vero ſe purgaturus ei ſcripſit in hanc ſententiam.

Matth. Par. p. 376. Vita Greg. ap. Rain. 1236. n. 8.

X. ep. 253. ibid.

Salvatoris noſtri exemplo ad procurandam pacem adſtricti, Legatum in Lombardiam miſimus, qui hujus provinciæ populos tecum & inter ſe ipſos reconciliaret. Nec eo veniendi propoſitum, quod habebas, ab illius miſſione avertere nos debuit: ut enim dixeras, illuc te hoc fine conferebas, ut hæreſin extirpares, Terræ ſanctæ ſuccurreres, Eccleſiæ ac Imperii jura pacemque inſtaurares: & addebas, te nihil præterquam ex conſilio noſtro facturum. Miſimus autem virum, qui eo minus debebat eſſe ſuſpectus, quia divini amoris perfectionem aſſecuturus omnia reliquit: nec eſt, cur ejus patria & familia ſuſpicionem moveant, quia eis nuncium remiſit religioſam amplectens vitam. Vera ratio

tio est, quod Placentia Imperatori obstiterit. Denium, adjungit Papa, *si habes, quod illi exprobres, tibi satisfacere parati sumus.* Dabat 23 Oct. an. 1236. Sæcul. XIII. A.C. 1236.

In eadem epistola confutat ea, quæ Cæsar de vexatis Siciliæ Ecclesiis pro se dixerat, aitque: *Etsi Ecclesiis bona sua permutare liceat, non tamen cogi debent, ut id damno suo vel sine Superioris consensu in fraudem jurati promissi bona sacra non alienandi faciant. Ponamus te quædam beneficia vacua conferre: annexam iis curam animarum nemini committere potes, quia est jus spirituale nulli laico conveniens: nec pro viventibus, & juridico ritu munere suo non privatis alios nominales substituere potes. Ponamus, te Episcopis mortuis in conferendis beneficiis succedere: non hic plus potestatis habes, quam illi; & nos haud amittimus hoc in casu jus conferendi etiam vivente Episcopo beneficia, de quibus ille nihil statuit.* Jus, de quo Papa Gregorius hic loquitur, videtur esse illud, quo collatores ordinarii præveniuntur.

Tum Papa de Tunetani Regis nepote, quem Imperator in custodiam tradiderat, mentionem facit. Ille Princeps Musulmannus Regem Cognatum suum sibi mortem minitatum reliquerat, se ad Christianam Religionem transiturum, & salutis fonte a Papa tingendum Romam petere perhibens. At Fridericus hujus *ap. M. Paris. 1239. p. 419.*

Sæcul. XIII A. C. 1236

propoſiti ſpeciem fugæ ſolum prætendi ratus, eum orante probabiliter Rege Tunetano comprehendi juſſerat. Hoc Papa magno in crimine ponit, tanquam ſi Cæſar ſuſcepto a Principe conſilio obſtare cogitaſſet: & addit: *Non tibi licet neſcire, favorem baptiſmatis extendi usque ad adimenda Dominis ſuis mancipia, æternam ipſorum ſalutem impedire volentibus.* Id effatum ita generatim acceptum Catholicam Religionem odioſam redderet, falſumque ac Scripturæ contrarium foret, ſecundum quam baptiſmus in conditione hominum nihil mutat, & ſervi jubentur obedire dominis ſuis, qualescunque hi ſint. Verum eſt, quod in Decretalibus Gregorii IX. duo dentur capitula, quæ inhibent, ne Judæi Chriſtiana habeant mancipia: quid autem, quod primum præcipiat, ut eorum pretium dominis ſolvatur?

1. *Tim. VI.* 2. 2.

1 *Cor. VII.* 20.

1. *Pet. II.* 18.

c. 1. & 2. de Jud. & Sar.

Porro Gregorius Friderico anteceſſorum ipſius exempla ob oculos ponit, adjungens: *Conſtantinus, ut neminem latet, univerſæ terræ imperans, conſentiente Senatu & omni populo ornamenta Imperii Urbem ac provinciam Romanam, quas profuſis pecuniis concitare adverſum nos conaris, Papæ donavit, & Italiam ejus arbitrio relinquens, in Græcia novam ſibi ſedem elegit. Unde in Carolum Magnum & in Germanos Imperium poſtea Papa tranſtulit, neutiquam diminuens ſubſtantiam ſuæ jurisdictionis ac poteſtatis*

estatis in Imperatores, quibus, dum coronantur, gladium Ecclesia tradit. Hæc te convincunt, quod Summi Pontificis juri, fideique ac honori tuo deroges, non agnoscendo illum, cui dignitatem tuam debes. Quæ ratiocinatio concluderet, si facta, quibus innititur, a veritate non abluderent. Sæcul. XIII. A. C. 1236.

Interea Imperator factis in Lombardia progressibus Veronam adortus, Vicentiam mense Novembri ejusdem anni 1236 captam ex parte succendit. Sed comperta Ducis Austriæ seditione, in Germaniam redire cogebatur. Ante abitum suum Papam, ut Lombardiæ res componeret, orari curavit. Qui duos illuc Legatos novos misit Raynaldum Episcopum Ostiensem, ac Thomam Cardinalem Presbyterum, ad S. Sabinam, ut patet ex illius epistola Legatorum commendatitia ad Lombardiæ Præsules 29 Novembris data. Imperator in Germaniam reversus Austriæ Duce devicto, & propriis terris exuto, hyemem Viennæ transegit. *Godefr. Mon. an. 1236. Riccard. S. Germ. cod. p. 1026. Vita Greg. ap. Rain. 1236. n. 13. Matth. Par. p. 366.*

§. LXII.

B. Jordani mors.

Hoc anno 1236. die Pentecostes 18 Maji B. Jordanus Parisiis FF. Prædicatorum comitia habuit, quæ secunda erant admodum generalia. Tum Palæstinam petiit, loca sancta, & sui Ordinis *Bern. Guid. ap. Boll. 13. Febr. to. 4. p. 723.*

Sæcul. XIII. A.C. 1237.

hac in provincia monasteria obiturus. Sed in navi ad maritimas oras Galilææ furentis pelagi æstu obrutus una cum duobus Ordinis sui fratribus multisque hominibus aliis interiit. Qui hoc e naufragio salvi evaserant, affirmarunt postea, priusquam mortuorum corpora terræ mandata essent, super ea singulis noctibus e cœlo lumina descendisse, ac odorem suavissimum fuisse perceptum. Jordanum & duos ejus socios eodem primum loco humatos dein Fratres Prædicatorum Ptolemaide per lembum advecti suam in Ecclesiam transtulerunt. Sic vitam B. Jordanus finiit 13 Febr. an. 1236, scilicet an. 1237 ante Pascha.

Ibid. p. 730. ex vitis PP. Præd. p. 50.

Multa miracula per ejus intercessionem facta, multa ejusdem dicta insignia referuntur. Quodam die Imperatorem Fridericum adiit; & postquam diu in silentio una sederant, *Domine*, ajebat, *ex officio meo varias peragro provincias: hinc miror, te abs me non quærere, quid fama ferat? Habeo*, reposuit ille, *habeo nuncios meos in omnibus aulis, cunctisque provinciis, & quid rerum in orbe agatur, scio.* At Jordanus: *Christus tanquam DEus noverat omnia; discipulos tamen suos, quid de se diceretur, interrogavit. Tu non nisi homo es, ac multos de te rumores nescis, quos noviſſe tua plurimum referret. Diceris autem Ecclesias opprimere, censuras Ecclesiasti-*

Boll. p. 732. Vitæ PP. p. 54.

siasticas spernere, divinationibus habere fidem, Judæis & Saracenis nimium favere, Papam JESU Christi Vicarium non honorare. Profecto hæc omnia te digna non sunt. Talis erat correctio, quam Imperatori adhibuit. Sæcul. XIII. A.C. 1237.

Aliquando homo profanus sic eum alloquebatur: *Magister! unde sit, ut nonnunquam inter nos dicamus, ab origine Fratrum tuorum Minorumque aërem non tam clementem, ac terram non tam fertilem, ut prius, esse?* Ad ea Jordanus: *Negare id possem, & contrarium tibi ostendere. At esto, quod ais! demonstro æquum esse. Nam ex quo in orbem venimus, informavimus eum, ac multa ei peccata detexímus, quæ ignorabat, nec tamen vitare vult. Hæc vero peccata post sui cognitionem admissa graviora sunt: hinc Deus majores illi plagas, ut sterilitatem, immittit. Et nisi vos emendetis modo, dum, quid faciendum vobis fugiendumque sit, noscitis, etiam pejora experiemini.*

Cum in quodam Cistercienſis Ordinis monasterio esset, monachi eum circumstantes, *Magister*, inquiebant, *quomodo persistere poterit Ordo tuus sola stipe victitans? Nunc quidem magna est hominum erga tuos beneficentia: sed, ut scriptum esse scis, refrigescet charitas.* Respondit suaviſſime: *Vestris ex verbis planum faciam, vestrum Ordinem prius quam nostrum* *Matth. 24. 12.*

Sæcul. XIII. A.C. 1237.

ſtrum eſſe deſiturum. Ut Evangelium prædicit, charitas refrigeſcet eodem tempore, quo iniquitas abundabit, & intolerandæ vexationes orientur. Prævidetis autem facile, vexatores vobis bona temporalia adempturos eſſe; cumque non ſoleatis petendæ ſtipis gratia diverſa adire loca, fame pereundum vobis erit. E contrario noſtri Fratres tunc diſperſi fructus majores colligent, ut Apoſtoli per inſectationem ſeparati. Ibunt bini ex more ſuo, & victum quærent. Plus dico: Qui vos expilaverint, illis ultro largientur: prout crebram per experientiam ſcimus, graſſatores cum gaudio nobis partem prædæ ſuæ daturos eſſe, ſi accipere vellemus.

Act. 8. 4.

Interrogatus, cur artifices potius, quam Theologi ac Jurisperiti Prædicatorum Ordinem ingrederentur, ita reſpondit: *Ruſtici bibere aquam ſoliti, ſiquando generoſum potant vinum, facilius ebrii fiunt, quam nobiles & cives huic aſſueti. Opifices per totam hebdomadem aquam Ariſtotelis cæterorumque philoſophorum hauriunt: itaque dum Dominico aut Feſto die Oratori ſacro aures præbent, ac verba Chriſti ejusque ſervorum excipiunt, haud ægre capiuntur: Theologi vero, qui ejusmodi ſermones ſæpe audierunt, ſimiles ædituo ſunt, aræ prætereundæ ſic aſſueto, ut eam non ſalutet amplius.*

Cum

Cum Congregationi Episcoporum interesset, quærebant, qua ratione fieret, ut Episcopi e duobus tam perfectis Prædicatorum & Minorum Ordinibus evocati hoc munus haud bene gererent? *Debetis*, ajebat, *hujus rei causam e vobis ipsis exquirere, quia hæc pietatis remissio in illis non accidit, nisi postquam vestrum ad ordinem transierunt: nam quamdiu in nostro erant, eos probe correximus. Præterea diu in Ordine sum; nec tamen, quantum memini, Papa, vel Præsul, aut Collegium Cathedrale a me vel ab alio Superiore unquam virum egregium in Episcopum petiit. Elegerunt ipsi, quos volebant, aut propensione in eorum cognatos, aut alia parum spirituali ratione ducti.* Alias dicebat: *Nil mirum, quod Fratres nostri in Episcopatu minus bene quam alii Religiosi se gerant: recedunt longius a professione sua, quæ vetat, nequid vel communiter possideant.* Aliquando illo præsente sermo erat de insigni Ordinis viro, isque debere fieri Episcopus dicebatur. At ille, *mallem*, inquiebat, *eum in feretro, quam sacro in solio videre.* Sæcul. XIII. A.C. 1237.

Jordanus brevem initiorum Ordinis sui relationem nobis reliquit, quæ est optimum, quod habemus, archetypum de S. Dominico & primis ejus discipulis agens. Ad finem hujus scripti memorat, qua occasione in Ordine post Completorium cantari jussa fuerit antiphona *Salve* MS.

Sæcul. XIII. A. C. 1237.

Regina. In cœnobio Bononiensi erat frater, Bernardus nomine, qui peccata sua præterita expiandi causa quandam singularem a Deo pœnam poposcit, cumque de hac multum deliberasset, consensit denique, ut a dæmone obsideretur; id quod reapse factum. Hæc autem fratris Bernardi afflictio prima occasio fuit *Salve Regina* in Bononiensi Monasterio canendi; unde hic mos in totam provinciam Lombardicam, & procedente tempore in universum Ordinem dimanavit. Scriptor Vitæ Gregorii IX. dicit, hunc Papam præcepisse, ut die Veneris post absolutum totum Officium antiphona illa cantaretur; & hoc refert inter ea, quæ Papa an. 1238 egit: hinc inferri potest, eum Fratrum Prædicatorum exemplo hunc sanctissimæ Virginis cultum instituisse.

c. 59. 60.

c. 61.

ap. Rain. an. 1238. n. 73.

Beatus Jordanus Ordini suo pene sedecim annos præfuit. Ut successor eligeretur, Bononiæ Comitia celebrabantur. Cum suffragia dispersa essent, indictæ sunt preces ad sepulchrum S. Dominici, quibus peractis ad negotium suum reversi Patres una omnes voce Raymundum Pegnafortium quanquam absentem coptarunt. Vehementer is primum restitit: sed Deum sic velle per præcipuos Ordinis Patres Bononia Barcinonem delatos edoctus paruit; neque tamen ultra biennium munus obiit.

Vita S. Raym. 7. Jan. Boll. to. I. p. 411.

§. LXIII.

§. LXII.

Sæcul. XIII. A.C. 1237.

Episcopatus Majoricæ ac Maroci.

Sub id tempus, quo Raymundus Generalis Fratrum Prædicatorum Magister electus est, a Papa mandatum accepit, ut conjuncta cum Episcopis Vicensi ac Ilerdensi opera Majoricæ Episcopum constitueret. Anno 1230, ut vidimus, Jacobus Arragoniæ Rex adempta Mauris insula Balearium majore Papam oraverat, ut inibi Ecclesiam Cathedralem erigeret; & tunc quidem ille voti damnatus non fuerat. Sed tandem Papa consensit per litteras an. 1237. 9. Julii datas, quibus duos Præsules ac Raymundum jubet huic Ecclesiæ dignum Pastorem dare, quem soli sanctæ Sedi obnoxium fore dicit. Præcipit quoque Episcopis, ut eum consecrent, vocato simul legitimo Episcoporum numero, sed non e provincia Tarraconensi. Progressu temporis Episcopus Majoricæ Archiepiscopo Valentino subjectus fuit, velut etiamnum est. Primus erat Bernardus Abbas ad S. Felicem Guixalæ.

Sup. §. 1.

lib. XI. ep. 159. ap. Rain. 1237. n. 27.

Joan. Damet. hist. Balear. lib. 2

Etiam Maroco Africæ urbi, medios inter ethnicos grandem Christianorum numerum continenti Episcopum Papa dedit, & quidem fratrem Agnellum Ordinis Minorum, sapientem hominem ac litteratum, quem sua consecravit manu, ut testatur in litteris 12 Jun. an. 1237. datis.

Marca Hisp. p. 525.

XI. ep. 173. Rain. n. 28. v. Vading. 1246. n. 9.

Sæcul. XIII. A.C. 1237.

§. XLIV.

Alexander Papæ Legatus in Sardinia.

Anno præterito Alexander, qui Papæ a ſacello fuerat, tanquam ejus Legatus Sardiniam & Corſicam petierat, utibi diſciplinam Eccleſiaſticam, & profana Eccleſiæ Romanæ jura tueretur. Aſſervantur Romæ acta publica, e quibus apparet, Ubaldum Galluræ ac Turrium in Sardinia Principem (Judex vocabatur) impulſu conjugis ſuæ Adelaſiæ has terras & alias quasdam ſibi ab Eccleſia Romana jure fiduciario collatas agnoviſſe. Reperitur ſimilis declaratio Petri Arboreæ Domini 28 Apr. 1237 data; & per aliam Eccleſiæ Romanæ promittit annuam mille centum aureorum Byzantinorum penſionem. In Corſica magna Clericorum corruptio erat, & ipſimet Epiſcopi pernicioſa illis exempla præbebant: quibus malis remedia adhibere Alexander eſt juſſus.

Rain. 1237. *n.* 16. 17. *&c.*

HISTORIA ECCLESIASTICA.

LIBER LXXXI.

GREGORIUS IX. PAPA.
FRIDERICUS II. IMP. OCCID.
JOANNES BRIENNIUS IMP. ORIENTIS.

§. I.

Otto Pontificius in Anglia Legatus.

Sæcul. XIII. A. C. 1237.

Anno 1236 Henricus tertius Anglorum Rex Papam Gregorium oraverat, ut sibi Legatum a latere mitteret. Sed Papa id tunc haud opportunum censuit, ut docet ejus epistola 21 Aug.

Sæcul. XII. A. C. 1237.

Aug. ſcripta. Miſit vero aliquem ineunte anno 1237, ac ejus legationem in Valliam & Hiberniam extendit per litteras ad Præſules Angliæ dictarumque provinciarum 12 Febr. datas. Hic Legatus erat Otto Cardinalis Diaconus ad S. Nicolaum; cumque profectus eſſet, Papa ejus muneri Scotiam quoque addidit, & Regi Alexandro hac ſuper re 10 Maji ſcripſit. Sed quia Rex Henricus Legatum inſciis Angliæ Proceribus vocaverat, plures irati ajebant: *Rex diſturbat omnia, nec promiſſis ſtat ſuis: hunc Legatum clam accivit, qui totam Regni faciem mutat.* Dicebatur etiam Edmundus Archiepiſcopus Cantuarienſis Regi ſuam agendi rationem, ac ſingulariter accitum Legatum objeciſſe, præter bonum commune etiam dignitatem Regiam detrimentum inde accepturam prævidens. Rex autem non audito Præſulis, vel alius cujusquam conſilio, deſiſtere a propoſito ſuo noluit. Otto Legatus in Angliam advenit circiter Feſtum S. Petri, nimirum ſub finem Junii, multoque cum comitatu & pompa intravit, Epiſcopis & Clericorum præcipuis usque ad mare, nonnullis etiam per lembos obviam profectis, & munera omni æſtimatione majora offerentibus. Plures Epiſcopi per Legatos ei pannos coccineos & vaſa pretioſa Pariſios usque miſerant: ſed tam donatio, quam munerum qualitas

lib. X. ep. 201 ap. Rain. 1236. n. 49.

Matth. Par. an. 1237. p. 371.

to. XI. conc. p. 525.

tas carpebatur; nam eum per coccinum videbantur Legatum agnoscere. Otto haud omnia suo in adventu sibi oblata accipiens, hac animi moderatione Romanorum mori contraria conceptam adversum se iram temperabat. Quod ad fructus beneficiorum vacantium attinet, eos largiter comitibus suis distribuit. Rex in littore maris exceptum, cum se usque ad ejus genua inclinasset, honorifice in interiora Regni ducebat. Episcopi, Abbates, cæterique Præsules interea, dum æra campana sonabant, instructo procedentes ordine illum omni officiorum genere coluerunt. Sæcul.XIII. A.C.1237.

Legatus primum multos Optimatum diu inter se dissidentes in gratiam reduxit, ut Petrum Episcopum Vincestriæ, Hubertum Comitem Cantii, & plures alios. Deinde scripsit ad omnes Angliæ Præsules, ut die octavo S.Martini in Londinensi S.Pauli Templo comparerent, ubi expositurus potestatem sibi a Pontifice Maximo delatam, & concilium de instauranda Ecclesia Anglica habiturus esset. At Rex audiendo extraneos, ac Regni Procerum, ut Richardi fratris sui Cornubiæ Comitis, consilia spernendo in eorum odium incurrerat. Perhibebant, eum Romanis, ac præcipue Legato se totum addixisse, ita, ut sine Papæ vel Legati consensu in Regno suo nihil statuere *Matth. Par.* *p.* 374. *p.* 376.

se

Sæcul. XIII. A.C. 1237.

se posse privatim & palam diceret, nec Rex sed Papæ cliens beneficiarius esse videretur. Interim Legato eximia indies dona mittebantur, equi phalerati, vasa, vestimenta, pelles, pecuniæ, cibaria. Solus Episcopus Vincestrienſis Londinum ituro misit quinquaginta boves pingues, centum tritici puri farcinas, octo excellentis vini dolia; cæteri pro suis quisque opibus.

p. 377.

Rex Henricus die Festo Exaltationis S. Crucis nimirum in medio Septembris Eboraci conventum Optimatum celebrari jusserat, cui etiam Legatus intererat, & Alexander Scotorum Rex ab Henrico & Legato invitatus, duoque Reges controversiis suis finem imposuere. Legatus deinde Papæ jussu adire Scotiam volebat, ibi res Ecclesiasticas, ut in Anglia, compositurus. Sed Alexander ad eum, quantum memini, ajebat, *non vidi Legatum in Regno meo, nec opus est aliquis, sed ibi omnia bene procedunt; Deo sint gratis! Immo ne antecessorum quidem meorum temporibus ullum eo venisse audii, nullumque admittam, quamdiu mentis compos ero. Quia tamen vir sanctus diceris, te moneo, ut, Regnum si meum intres, cautus sis, ac providus, nequid adversi tibi contingat. Nam incolæ feroces sunt ac indomiti, humani sitientes sanguinis, quos ipsimet nec subigere possum, nec coërcere, si in-*

ſi inſultent tibi. Nuper admodum voluerunt e Regno me pellere, ut forſitan audiiſti. Ad hæc verba Legatus Scotiam ingrediendi deſiderio moderationem adhibens, apud Angliæ Regem ſibi prorſus ſubmiſſum permanſit. Italum tamen cognatum ſuum Scotiæ Regi reliquit, qui eum creavit Equitem, ac fundo donavit, ne Papæ omnino reſiſtere videretur. Sæcul. XIII. A. C. 1237.

§. II.

Conjunctio Equitum Chriſti cum Teutonicis.

In Livonia Equites Chriſti & Cruce ſignati magnam ab ethnicis ſtragem paſſi ſunt circiter Feſtum S. Mauritii, ſcilicet 22 Septembris 1236 Volquino ſecundo Ordinis Magiſtro cum 50 ſuorum Equitum ibi cæſo. Is vero jam ante ſexennium ad Hermannum Salſium generalem Ordinis Teutonici Magiſtrum ſolennem miſerat legationem, quæ duorum Ordinum conjunctionem procuraret: & Hermannus cum fratre Joanne Magdeburgenſi Volquini Legato Papam adierat, hanc ei rem commendaturus. Interim frater Gerlacus Rufus e Livonia veniens cladem Chriſtianorum, & Volquini mortem nunciavit. Tum vero permotus Papa fratres Joannem & Gerlacum Equitum Teutonicorum veſte induit, *Alb. Stud.* 1236. *Petr. de Dusburg. Chr. Pruſſ. c.* 28.

Sæcul. XIII. A.C. 1237.

duit, album cuique pallium cum cruce nigra præbens: eosque juſſit idem facere omnibus cæteris in Livonia Chriſti Equitibus, quibus alias duo gladii tanquam ſua in vexillis inſignia nomen dederant.

IX. ep. 64. ap. Rain. 1237. n. 64.

Hanc conjunctionem Summus Pontifex authoritate ſua firmavit per litteras tribus Epiſcopis Rigenſi, Oſidicenſi (cujus ſedes incognita mihi eſt) atque Derpatenſi ſcriptas. Earum ſumma eſt hæc: *Fratres Ordinis Chriſti cum Fratribus Teutonicis S. Mariæ unum in corpus redigi non ſemel cupierunt, ſperantes, hac ratione ethnicos facilius ſubactum iri. Quam ob rem illos & omnia eorum bona merito conjungimus, ita ut Epiſcopis, cæterisque Superioribus ſuis obnoxii maneant.*

ep. 66. ibid.

Dabat 13. Maji an. 1237. Eodem tempore Guilielmo, ſuo in Livonia Legato, priori Epiſcopo Mutinenſi ſcripſit, ut Daniæ Regem Teutonicis Equitibus propitium redderet, in ejus terris ſedem ponere ſi vellent.

ap. Rain. 1240. n. 35.

Verum poſt annos paucos hi Equites vehementium contra ſe queſtuum cauſam Epiſcopo Boruſſiæ dederunt. Homines illis in locis natos ab amplectenda Religione Chriſtiana avertebant, duriorem in eos dominatum exercituri: ac neophytos habebant tam crudeliter, ut multi ad veterem ſuperſtitionem ſuam redirent. Quamvis Equites ampliſſimos fundos ab Epiſco-

Episcopo, aliaque beneficia accepissent, juravissentque, se ejus jura tuituros esse, annuos tamen ejusdem fructus in contentionem vocatos sibi vendicabant, & nobilem Borussum, quem ille obsidem nactus erat, interfecerant, quia certam pecuniæ summam ipsis pendere recusabat. Atque hoc liquet ex epistola Papæ an. 1240 ad Episcopum Mindensem scripta, qua hunc jubet Religiosos illos adigere, ut Episcopo Borussiæ satisfaciant. Sæcul.XIII. A. C. 1273.

§. III.

Papa S. Francisci stigmata affirmat.

In Bohemia Fridericus Episcopus Olomucensis litteras patentes edidit, quæ perhibebant, nec S. Franciscum, nec alium Sanctum in Ecclesia cum stigmatibus exhibendum esse; contrarium defendentes peccare, nec mereri fidem, tanquam fidei inimicos. Evechardus Ordinis FF. Prædicatorum longius est progressus. Nam Oppaviam tunc Moraviæ, nunc Silesiæ urbem delatus, palam e sacro suggestu dixit, S. Franciscum in corpore suo stigmata non habuisse; FF. Minores populo in templis imponere, & falsa proferre; nec nisi stipis copiosius accipiendæ gratia illud asserere; ex authoritate Summi Pontificis se in illos ana- *Vading. an. 1237. n. 1. 2. 3. Rain. n. 60.*

Sæcul. XIII. A.C. 1237. thema contorquere posse. His compertis Papa per epistolam Ordinis Superiores Evechardum sacri Oratoris munere privatum Romam mittere jussit, meritas daturum pœnas: eodemque tempore ad Episcopum Olomucensem singulariter, ac generatim ad omnes Germaniæ Christianos scripsit, S. Francisci stigmatum veritati fidem facturus, tanquam causæ præcipuæ, ob quam cœlestes ei publicique honores decreti fuerint. Litteras dabat mense Aprili an. 1237.

§. IV.

Eremitæ S. Augustini.

Currente eodem mense Imperator Fridericus in Germania commorans Hermannum Ordinis Teutonici Magistrum, ac Doctorem Petrum de Vineis fori Cæsarei Præsidem ad Papam Gregorium misit, oraturos, ut Lombardiam pacaret, & ad conservanda Imperii jura adigeret. Papa iis in præsentia Cardinalium auditis, 22. Junii an. 1237 Imperatori scripsit, suo jussu hunc in finem Raynaldum Episcopum Ostiensem, & Thomam Presbyterum ad S. Sabinam Cardinales Legatos adiisse Lombardiam. Fridericus mense Septembri Italiam cum exercitu suo & Mantuam ingressus captis quibusdam locis agrum Brixianum vastavit,

Ric. S. Ger. an. 1237.

XI. ep. 88. ap. Rain. n. 5.
Mon. Pad. Chr. 1237.
Ric. S. Ger.
Vita Greg. ap. Rain. n. 6

vit, & hoc ſucceſſu elatus denegato Papæ Legatis ſui alloquio, eos Romam reverti coëgit. Sæcul.XIII. A.C.1237.

Cum in Lombardia eſſent, Fratrum Minorum querimonias contra Eremitas diſcipulos Joannis Boni Ordinis S. Auguſtini audierunt. Ille Mantuæ an. 1168 natus ex nomine Patris ſui Joannes, ac ex nomine Bonnæ matris ſuæ Bonus eſt dictus. Amiſſo patre varias percurrit provincias nugatorem agens: ita tunc vocabantur ii, qui recreandis aliis cantabant, & fidibus tibiisve ludebant. Interea matris pro filio precibus, multisque lachrymis ceſſit Deus: nam Joannes gravi correptus morbo, expenſis ſerio profanæ vitæ periculis votum vovit ſe penitus tradendi Deo, ſi convaleſceret. Sanatus Epiſcopo Mantuano ſacram Confeſſionem accurate fecit, & mortua poſtmodo matre annos quadraginta numerans in Romaniolæ locum deſertum mille paſſibus Ceſena diſtantem ſeceſſit, ubi peccata ſua pœnis tam rigidis vindicavit, ut earum circumſtantiæ, quæ perhibentur, fidem excedere videantur. Fama ei ſua multos adſcivit diſcipulos, eratque tanta viri authoritas, ut an. 1225 cives Ravennæ ac Cerviæ eum litium ſuarum arbitrum cooptarent.

S. Anton. tit. 24. c. 13. Vading. Apologet. §. 2. n. 6.

Rub. lib. 6. p. 393.

Ejus diſcipuli ſe dicebant Eremitas Ordinis S. Auguſtini, cingebantque togas cor-

Vading. 1237. n. 11. & Apol. §. 4. n. 3.

Sæcul. XIII. A.C. 1237.

corrigiis, baculis modo instructi, modo carentes; victum conquirentes precario pecuniam quoque accipiebant: denique externam speciem variabant, ita, ut interdum pro Fratribus Minoribus haberentur, id quod Christianorum erga hos charitatem diminuebat. Atque hoc est, quod Legatis conquerebantur, quorum alter, Episcopus scilicet Ostiensis, eorum fautor ac patronus erat. Papa a Legatis ea de re rogatus rescripsit: *Eremita sibi eligant togam nigram vel albam cum manicis laxis, quales monachorum sunt: gestent latum e corio cingulum, & manu baculum quinque palmis altum: vestis non sit tam longa, ut calceos tegat: colligentes stipem, expresse, cujus sint Ordinis, memorent!* Hæc tunc constituit Papa, & post triennium per litteras 24 Martii an. 1240 datas confirmavit.

§. V.

Jacobitarum ac Nestorianorum cum Ecclesia Romana conjunctio.

Matth. Par. 1237. *p.* 372. *Raynald. eod. n.* 87.

Interim Papa accepit litteras Philippi Prioris Fratrum Prædicatorum in Terra sancta. Erant vero hunc in modum scriptæ. *Patriarcha Jacobitarum Orientis, vir ætate, scientia & virtute venerabilis, hoc anno pietatis causa Hierosolymas venit numeroso cum comitatu Episcoporum, mona-*

monachorumque ſuæ nationis. Explicavimus illi fidem Catholicam, ac Deo juvante perſuaſimus, ut Dominica Palmarum in ſolenni ſupplicatione, dum a monte Olivarum ad urbem proceditur, omni hæreſis genere ejurato, Eccleſiæ Romanæ obedientiam pollicitus, ſuam fidei confeſſionem Chaldaico & Arabico ſermone ſcriptam nobis daret; quin etiam amictum noſtrum abiens gereret. Huic Antiſtiti parent Chaldæi, Medi, Perſæ, & Armeni, quorum terras magna ex parte Tartari jam devaſtarunt; parent ſeptuaginta provinciæ, innumerabili Chriſtianorum multitudine frequentes, qui tamen Saracenis ſubjecti ſunt ac tributa ferunt, exceptis monachis a penſione immunibus. Romæ ſe pariter ſubmiſere duo Archiepiſcopi, Jacobita Ægyptius alter, alter Neſtorianus Orientis, in Syria Phæniciaque agniti Superiores. Armeniæ Regis Procerumque ſummis precibus facturi ſatis, jam quatuor e noſtro gremio Fratres illud in Regnum miſimus, linguam docendos. Sæcul.XIII. A. C. 1237.

Plures ad nos epiſtolas dedit Neſtorianorum Patriarcha, qui Indiam Magnam, Presbyteri Joannis Regnum, & Orientis terras propiores ſibi obnoxias habet, & ad Catholica caſtra ſe tranſiturum fratri Guilielmo Monteferratenſi per aliquantum tempus hoſpiti ſuo promiſit. Miſimus etiam fratres in Ægyptum ad Patriarcham Jacobitarum ejus regionis; qui majoribus,

Sæcul. XIII. A.C. 1237.

quam illi ad ortum, erroribus impliciti circumciſionem quoque, ut Saraceni, adhibent: is Patriarcha pariter Eccleſiæ jungi ſe velle nobis indicavit. Plures jam errores ſuſtulit, vetuitque, ne ſibi ſubjecti circumciderentur. Obtemperant ei India minor, Æthiopia, & Libya præter Ægyptum: ſed in Æthiopia & Libya Saraceni non dominantur. Maronitæ montis Libani pridem ad Eccleſiæ ſinum redierunt, & ſibi conſtant. Omnes hæ gentes in myſterio SS. Trinitatis, & in doctrinis noſtris acquieſcunt: ſoli Græci ſua in malitia pertinaces ubivis Eccleſiæ Romanæ clam vel palam ſe opponunt. Noſtra Sacramenta omnia verbis ſceleſtis violant, & quamvis ſectam a ſua diverſam eſſe malam & hæreticam perhibent. Igitur tam grandi porta Evangelio patefacta, diſcendis linguis intenti, ſcholam quolibet in cœnobio inſtituimus, & aliqui fratres variis jam linguis concionantur præſertim Arabica his locis communiore. Finitur epiſtola per mortem B. Jordani generalis Ordinis Magiſtri, quod demonſtrat illam eſſe ſcriptam an. 1237.

Sun. Lib. LXXIII. §. 46.

Philippus ſimul ſcripſit fratri Godefrido, qui Papæ a confeſſionibus erat, & hunc nuncium cum Prioribus Ordinis in Francia & Anglia communicavit. Cæterum Papa ad Patriarcham Jacobitarum 28 Jul. litteras dedit, quibus maximum

XI. ep. 172 apud. Rain. n. 83.

de

de ejus conjunctione gaudium significat. At Patriarcha solo Tartarorum metu hoc ceperat consilium. Conversus ad Musulmannos cæterosque, a quibus sperabat auxilium, cum nullum obtinuisset ad Christianos confugit, qui reapse promptam ei opem tulere. Periculo defunctum suæ sectæ potentissimi permoverunt, ut ab Ecclesia Romana deficeret. Sæcul. XIII. A. C. 1237. *Matth. Par.* p. 372.

§. VI.

Petrus Malclericus Britanniæ Dux.

Sub hoc tempus Papa Gregorius Petrum * Drocensem, priorem Britanniæ Ducem, ut sibi a consiliis esset, ad se vocavit, multis magnopere mirantibus, illum negotia sua difficillima Principi plurium proditionum infamia notato credere. Petrus Drocensis Brenius ** a Rege Franciæ Ludovico Crasso genus ducens, in juventute sua diuturnam litteris operam Parisiis dederat, ad statum Ecclesiasticum destinatus: sed hoc omisso militiam secutus, cum sago Malclerici *** cognomen induit. Hæredem Britanniæ conjugem nactus, ejus Dux evasit an. 1214, eamque annis tribus & viginti rexit: at sæpe contra Francorum Regem, Dominum suum arma cepit, ac fœdera cum Angliæ Rege juncta rupit. Præterea

* de Dreux

** de Braine *Matth. Par.* p. 369.

*** Mauclerc *Lobineau hist. Brit.* lib. 6. n. 100. n. 96.

Sæcul. XIII. A. C. 1237.

terea continuas fere cum Episcopis & Clero provinciæ suæ controversias habuit. Anno 1217 Episcopus & Canonici Nannetenses ejus vexationes ac violentas injurias Papæ Honorio conquesti sunt; & anathema contra eundem ab Episcopo pronunciatum Archiepiscopus Turonensis ratum habuit. Nullo censuras fructu sequente, cum Episcopus querelas suas ad Regem Philippum Augustum anno 1220 detulisset, Dux cum illo pactiones fecit, sed non præstitit.

Lib. 7. n. 12.

n. 26.

Etiam Episcopus Rhedonensis eum a piorum communione sejunxit, & illius sententiam Papa Gregorius IX approbavit an. 1228. Denique postquam ii, quos Papa delegaverat, Ducis cum Episcopis controversias examinaverant, eum absolverunt certis conditionibus, quas vero non observavit. Itaque post quatuor annos ob querimonias Episcoporum Baronumque Rex inquisitiones in eum instituí jussit, per quas patuit, eum haud semel illorum jura violasse. Sed anno 1237 Joanni filio suo justam legitimamque ætatem ingresso Britanniam cessit, Petrum Brenium Equitem se dicere contentus. Hoc in statu erat, cum Summus Pontifex suos inter consiliarios eum retulit, viri nobilitatem, fortitudinem, dexteritatem ac experientiam militarem terra marique acquisitam considerans. Hunc proin

n. 52.

n. 84.

n. 119.

n. 129.

n. 137.

proin dignum censuit, cui Christianum exercitum contra ethnicos ducendum, ac ærarii alendis sacris militibus destinati dispensationem committeret. Sæcul.XIII. A.C.1237.

§. VII.

Concilium Londinense.

In Anglia concilium ab Ottone Legato convocatum Londini celebrabatur designato tempore, nimirum postridie octavam S. Martini, seu 19 Novembris. Hoc primo die Legatus non comparuit, quia Præsules, quæ facienda proposuerat, decreta expensuri, oraverant, ut de his inter se consultare sibi liceret, timentibus, ne quid ipsis noxium statueret. Hic apparet, quæ fuerit libertas horum conciliorum, quibus Legati præsidebant, afferebantque decreta jam prorsus composita, quæ in eorum præsentia nemo examinare audebat. Altero die, 20 Nov. in Cathedrale S. Pauli templum multo mane venit Legatus, cujus ad preces ibi Rex variis locis ducentos fere armatos abdiderat. Nam Legatus sibi haud parum metuebat, quia contra possessores plurium beneficiorum, ac præsertim contra spurios extremo rigore usurus dicebatur. Illic multitudo hominum erat tanta, ut ille per eam ægre pervaderet. Ad summam primum aram progressus, lineo *Id. p.377. to.XI. Conc. p.528.* *20. Nov.*

Sæcul. XIII. A.C. 1237.

ibi amiculo, & super hoc trabea sacra murium Ponticorum pellibus instructa, mitraque ornabatur. Ducente dein Cleri ordine, duobusque Archiepiscopis Cantuariensi ac Eboracensi proxime præeuntibus sedem suam adiit. Hæc multum elata erat, & tapetibus velisque magnificis decorata: Legatus eo ascendit, & duo Archiepiscopi ad ejus latera consederunt, Cantuariensis ad dextrum, ad siniſtrum Eboracensis.

Quæ res materia litis inter eos fuit, ac Eboracensis provocationem interposuit, jus suum conservaturus. Lecto ex more Evangelio de Pastore bono, Legatus suas dixit preces, cantatum est *Veni Creator*, & Archiepiscopi, prout memoravi, consederunt. Tum Legatus eorum controversiam ipsorum juribus nihil derogando sublaturus, ita loquebatur: In litteris Pontificiis S. Paulus est ad dextram crucis per sigillum exhibitæ, & S. Petrus ad lævam: nulla tamen hos inter Sanctos contentio est, qui pari gaudent gloria, quamvis uterque suas rationes prærogativæ habeat. Sic Archiepiscopus Cantuariensis Angliæ Primas, qui Ecclesiæ omnium antiquissimæ, ipsique Londinensi S. Paulo dedicatæ præest, ad dextram sedere debet. Hunc ergo sessionis ordinem diebus etiam sequentibus observarunt.

Facto

Facto silentio Legatus sedens clara voce sermoni suo initium fecit his ex Apocalypsi verbis: Erant *in medio sedis, & in circuitu sedis quatuor animalia plena oculis ante & retro;* dixitque hæc mystica animalia esse Præsules, qui negotia spiritualia & temporalia prudenter agere debeant, ita ut sequentia præcedentibus respondeant. Sermone finito elata & distincta voce legi jussit concilii decreta, inter quæ aliquod tangebat illos, qui contra inhibitionem Concilii Lateranensis plura possidebant beneficia. Cum ad lectionem hujus articuli ventum esset, Gauterius Chantelupius Episcopus Vigornensis in medio consessu se erigens, deducta e capite suo mitra ad Legatum, *Sancte Pater!* inquiebat, *multi nobiles cognati nostri plura possident beneficia sine Romana possidendi copia. Quidam provectæ sunt ætatis, & honorificam huc usque vitam duxerunt, hospitales pro viribus suis, ac erga pauperes liberalissimi. Perquam durum esset hos suis privare beneficiis, & ad ignominiosam inopiam adigere. Præterea dantur feroces & animosi juvenes, qui maximis se periculis prius exponerent, quam ad unicum se beneficium redigi paterentur: id quod per me ipsum sentio. Nam antequam hanc ad dignitatem vocatus essem, statueram relinquere omnia, si sub obtentu hujus decreti unicum beneficium amitte-*

Sæcul.XIII. A.C.1237.

Apoc. 4.6.

Sup. Lib. LXXVII. §. 51.

Sæcul. XIII. A. C. 1237.

amitterem: & metuendum est, ne multi sint ita comparati. Igitur ob multitudinem eorum, quos eadem res tangit, oramus, ut Papam de hoc decreto consulas. Gauterius erat filius Guilielmi Baronis Chantelupii, eodemque anno 1237 Episcopus Vigornensis evaserat. Legatus repositi; *Si cuncti Præsules præsentes tecum hac de re ad Papam scribent, libenter consentiam.* Credibile est, hoc eos feciſſe: nihilominus per aliquod ex iis decretis, quæ promulgata fuere, & quibus Concilii Londinensis nomina subscripta sunt, vetabatur, nequis plura habeat beneficia. Et postquam Legatus comperit, quorundam opinione hæc decreta non nisi tempore legationis suæ observatum iri, Ottonem Clericum suum in libro autographo decretalem legere jussit, expresse docentem, constitutiones suas post abitum suum accurate observari debere.

Cap. 13.

21. *Nov.*

Altero die 21 Novembris inchoata sessione veniebant ab Aula missi Joannes Comes Lincolnienſis, Joannes Godefridi filius, & Guilielmus Relæus Londini ad S. Paulum Canonicus, qui Legato Regis ac Regni nomine dicebant, nequid contra Regiam dignitatem statueret. Guilielmus reliquis recedentibus persistebat, quid ageretur, visurus. Eodem die Simon Archidiaconus Cantuarienſis palam petiit, ut Legatus legationis suæ diplo-

ma

ma recitari curaret; id quod factum. Legebantur etiam ad Regis preces litteræ Pontificiæ, per quas toti Angliæ S. Eduardi festum celebrare licebat. Erant autem Regi Henrico missæ anno priore 26 Sept. Prælecta insuper sunt jussu Papæ diplomata solennis in divorum numerum adscriptionis SS. Francisci & Dominici. Sæcul.XIII. A.C.1237. *X. ep. 225. ap. Rain. 1236. n. 50.*

Concilium triduo duravit, & ultimo die 22 Nov. lectione decretorum finita Legatus solenniter incepit *Te Deum:* cunctis surgentibus cantatum est *Benedictus* cum antiphona: *In viam Pacis,* cum precationibus propriis in simili casu: Legatus benedixit populo, ac nemo non magno cum gaudio discessit.

§. VIII.

Decreta Concilii Londinensis.

Hujus concilii decreta sunt triginta & unum; atque in præfatione Legatus solus loquitur, dicitque, eorum observationem se præcepisse pro potestate sibi per suffragia & consensum concilii commissa. In primo capitulo vult omnia templa jam prorsus constructa intra biennium consecrari, & interim nullum ibi sacrificium peragi. Putabant aliqui, periculosum esse, infantes solennibus Paschatis & Pentecostes Sabbathis sacro fonte *c. 3.*

Sæcul. XIII. A. C. 1237.

te abluere. Legatus id pro errore contra fidem habet, additque, Papam ipsum illis diebus baptisma solenniter conferre, ac Ecclesiam in cæteris terræ partibus id solere. Condemnat ut rem indignissimam quorundam Sacerdotum avaritiam, audire sacras confessiones, ac reliqua Sacramenta administrare recusantium, dum mercedem acceperint. In quolibet Decanatu Episcopus constituet conscientiæ arbitros pro Parochis cæterisque Clericis, quibus grave accidit confiteri Decanis. Hi proin Clero a sacris confessionibus esse solebant.

c. 4.

c. 5.

v. Thomass. disc. p. 4. lib. 1. c. 29. & 30.

Ad conjungenda duo beneficia cura animarum prædita inventa erant duo fraudum genera, nempe munia vicaria & redemptiones. Qui habebat parœciam ut Parochus, aliam insuper ut vicarius, ejusque fructus omnes accipiebat ex pactione cum Parocho designato facta, cui modicam dabat remunerationem. Vel in perpetuum conducebat parœciæ proventus, sed tantillo pretio, ut Parochus designatus pene nihil eorum reciperet. Vel fructus annuos aucturus Simoniacas populo pensiones extorquebat. Hi beneficiorum abusus adeo tunc erant in more positi, ut eos præcise condemnare non auderet; sed contentus esset vetare, ne locarentur Decanorum & Archidiaconorum munera, similesque dignitates, aut proven-

c. 10.

c. 9.

c. 7.

proventus jurisdictionis spiritualis, & administrationis Sacramentorum. Voluit quoque, ut Ecclesiæ laicis nunquam, Clericis non ultra quinquennium nec nisi coram Episcopis vel Archidiaconis elocarentur. Ad munia vicaria quod spectat, prohibuit, nequis ad ea admitteretur, qui non esset Sacerdos, aut dignus, ut proxime fieret. Voluit præterea, ut, quisquis jam vicarius, sed nondum Presbyter esset, intra anni spatium se sacerdotio curaret inaugurari, & quodvis aliud beneficium cum animarum cura conjunctum abdicans, ad assiduam in parœcia sua præsentiam jurejurando se adstringeret. Sæcul. XIII. A.C. 1237. c. 8.

Prohibet, ne beneficium conferatur, dum ejus possessor absens de vita vel de munere suo decessisse incerto rumore dicitur: collator expectet, dum in clara res luce sit. Alioqui possessor novus hoc sub obtentu intrusus ad restituendos fructus absentis, & ad ejus damna, incommodaque compensanda condemnabitur, ac præterea ipso facto protinus ab omni officio & beneficio ad tempus excluſus erit. Pares subibit pœnas, qui propria authoritate occupaverit beneficium, quod alius possidet; vel qui armata manu se defenderit in possessione, de qua juridico ritu depulsus fuerit. c. 11.

Inter-

Sæcul. XIII. A.C. 1237.

Interdum eadem Eccleſia pluribus dabatur Clericis ſub obtentu plurium Patronorum. Sæpe accidit, ut alicui Eccleſiæ ſuus deeſſet adminiſtrator, quia nec Parochus aderat, nec vicarius, ſed ſimplex tantum Sacerdos, ſine ullo jure ad beneficium; & quando Parochus deſignatus ibi commorabatur, non erat par ulli fructui percipiendo, cum nec ſcientiam, nec mores, nec ſacerdotium, ac ne veſtitum quidem Clericalem haberet. Interdum etiam Patroni ſeu collatores non repræſentabant, vel inſtituebant aliquem, niſi partem fructuum pro ſe vel pro alio acciperent. Hæc omnia damnat
c. 12. Concilium. De aſſidua in loco præſentia, & de conjunctis beneficiis animarum cura præditis non facit decretum novum, ſed executioni dari jubet vetera præſertim ultimi Concilii Lateranenſis.
c. 13.

Multi Clerici contracto matrimonio clandeſtino beneficia & ſacros Ordines accipiebant. Liberi dein ex iis nati conabantur, quando ſibi utile judicabant, per tabulas aut teſtes demonſtrare, quod parentes ſui nuptiis juncti fuerint. Concilium præcipit, ut illi, de quorum connubio ſic inito conſtat, & generatim omnes Clerici conjuges ipſo facto ſua amittant beneficia. Bona, quæ in tali matrimonio acquiſiverint, ad ipſorum Eccleſias pertinebant; & filii a ſacris Ordinibus
c. 15.

bus ac beneficiis excludentur. Renovantur etiam ſtatuta contra Clericos concubinis aſſuetos, & prohibetur, ne filiis, etiam legitimis, patrum ſuorum beneficia conferantur. Præcipitur, ut publicorum prædonum defenſores (quibus Anglia plena erat) ab Eccleſia proſcribantur. Sæcul. XIII. A. C. 1237. c. 16. 17. c. 18.

Cum gaudio comperimus, inquit Legatus, *Ordinis S. Benedicti Abbates in Anglia nuper in comitiis generalibus congregatos ſanxiſſe, ut carnium abſtinentia ſecundum regulam deinceps obſervaretur. Approbamus hanc conſtitutionem, ac nunquam violari jubemus. Volumus præterea, ut novitii finito tirocinii anno ſecundum decretalem Papæ Honorii mox vota nuncupent: id quod ad Canonicos Regulares & ad Religioſas extendimus. Nemo recipietur in Abbatem vel Priorem, qui Ordinem profeſſus non fuerit.* Promittit dein Legatus, ſe inſtaurandæ Regularium diſciplinæ ampliorem daturum operam. Epiſcopus Vigornenſis etiam hoc punctum ſua ſupplicatione complectitur, conſentiente Legato, ut ad Papam ſcriberetur. c. 19. c. Ex parte 22. de Regular. to. XI. conc. p. 529.

Is Archidiaconos commonet, ut Eccleſias inſpiciant, nec tamen ipſis oneri ſint, vetatque, ne extraneos ſecum ducant, vel jus procurationis exigant, niſi dum re ipſa eas luſtrant. Nihil accipient, ut inſpectionem, correctionemve omit-

Sæcul. XIII. A.C. 1237. tant, nec ſententiis ſuis injuſte involvent quempiam, ei pecuniam extorturi. Aſſiſtent ſæpe conſultationibus Decanatuum, ibique Presbyteros informabunt, ut Canonis in ſacrificio, & baptiſmatis verba ad horum Sacramentorum ſubſtantiam pertinentia recte intelligant. Archidiaconi, & generatim cuncti Judices Eccleſiaſtici admonentur, ne partes abamica litium compoſitione impediant. Quoniam jurisdictio Eccleſiaſtica tunc ampliſſima erat, reliqua decreta hanc tractant materiam, ſcilicet electionem Judicum, jusjurandum Advocatorum, Procuratorum conſtitutiones, formam vadimoniorum, ſeu in jus vocandi, ſigilla fide digna. Quæ in plerisque hujus ac ſequentis ſæculi conciliis videbimus. Iſtius decreta accurate obſervata non fuerunt, ut poſthac patebit.

c. 21.

c. 23. &c.

§. IX.

Status Latinorum in Romania.

Petr. de Vin. II. ep. 1. Interea Imperator Fridericus bellicos in Lombardia progreſſus ſuos urgebat; ubi cum magnam a Mediolanenſibus victoriam 27 Novembris hoc anno 1237 retuliſſet, de ea tanquam de gaudio Eccleſiæ & cunctis terræ Principibus communi notitiam Papæ dedit, ut cum Cardinalibus Deo gratias ageret, orans. Menſe

Mense Decembri Laude Mediolanensium urbe potitus, ibi Natales Christi ferias inter omnia oblectationum genera egit. Verum tam prosperi successus Imperatorem in Lombardia detinentes haud promovebant bellum sacrum, quod etiam turbatæ in Romania res retardabant. Joannis Briennii Imperatoris Constantinopolitani hoc anno 1237. 23 Martii vita functi hæres Balduinus Curtinacensis ætate florens in Belgio recuperandis patrimonii sui terris, ac mendicando ad iabans Imperium suum fulciendum auxilio occupatus erat. Multi spectatissimorum Franciæ Procerum vehementibus Papæ exhortationibus permoti, hunc in finem tesserariam induerant crucem, totidemque sacro pro recipienda Palæstina bello deerant.

Sæcul.XIII. A.C.1237.

Ibid. ep.35.

Ric. S. Ger. p. 1028.

Necrolog. S. Cathar. Paris. MS.

Du Cange hist. C P. lib.III.n.26.

Petrus Drocensis Britanniæ Dux Papæ significavit, se cum bis mille equitibus, & cum decem millium peditatu sacram militiam amplexum esse, Imperio Constantinopolitano subventurum, & ad transitum Festo S. Joannis anno 1238 instituendum omnia præparare. Sed Papa edoctus, Constantinopoli jam numerosas dari copias conductas, Petro rescripsit, ut tantum mille quingentos equites, ac sexies mille pedites eo duceret. Dabat litteras 13 Jan. an. 1238. Vera hujus diminutionis ratio est, quod Constan-

XI. ep. 351. ap. Rain. 1238. n. 2.

Duchesne to.4. p.409.

Sæc. XIII. A. C. 1237. tinopolin a Græcis arctiſſime circumdatam alimenta deficerent, ita ut incluſi in dies aufugerent. Interim Papa in Romaniam Philippum Clericum ſuum miſit, qui in provinciis Patrarum, Corinthi, Thebarum, Athenarumque Eccleſiaſticos impelleret, ut ſuorum proventuum ac ſupellectilis tertiam partem in hujus belli ſibi tam propinqui ſumptus impenderent: & Cephaloniæ Zacynthique Comitem exhortatus eſt, ut annonam & copias ſubmitteret. Epiſtolam dabat 18 Jan. & 24 Novembris Regi Galliæ Sancto Ludovico per litteras author fuit adducendi Præſules Regni ſui ad conſenſum, ut Clerus triceſimam proventuum ſuorum partem per triennium in ſuppetias Conſtantinopoli ferendas inſumere juberetur. Tantundem ſcripſit ad Regem Angliæ.

XI. ep. 379. ap. Rain. n. 4.

XII. ep. 311. Rain. n. 23.

Aſano Bulgarorum Rege a fœdere Latinorum ad Græcos transeunte, Papa Gregorius Belæ quarto Hungariæ Regi ſcripſit in hanc ſententiam: *Perfidus Aſanus ab Eccleſiæ unitate digreſſus, recipit in Regnum ſuum, ac protegit hæreticos, quibus eſſe refertum dicitur.* Manichæi præcipue totam per Europam e Bulgaria ſe diffuderant, ita ut hæc velut patria eorum eſſet. *Hæc eſt cauſa*, pergit Papa, *ob quam Archiepiſcopis Strigonienſi & Colocienſi, Epiſcopo Peruſino Legato noſtro, & cunctis Hungariæ Epiſcopis mandavi,*

IX. ep. 373. Rain. n. 7.

davimus, ut adversus Asanum & Regnum ejus sacram militiam populo suadeant, ac terræ sanctæ indulgentias promittant. Et quia Regum pietas præsertim per zelum contra inimicos fidei effulgere debet, obtestamur te, ut huic perversæ nationi arma inferas: pollicemur Dei nomine tibi, & omnibus, qui hac in expeditione te sequentur, plenam noxarum pœnarumque condonationem, & Bulgariam tibi cæterisque catholicis bello acquirendam exponimus, ut in concilio generali sancitum fuit. Datum 27 Jan.

Sæcul. XIII. A C. 1237.

Conc. Lat. IV. c. 3.

Sup. Lib. 77. n. 47.

§. X.

Epistola Regis Hungariæ ad Papam.

Bela Hungarorum Rex post quatuor menses Papæ Gregorio respondit hunc in modum: *Secundum tua monita Imperatorem Græcum Vatacium, ut sanctæ Sedi se submitteret, vehementer adhortatus, effectum sperabam, cum per Episcopum Perusinum Legatum tuum accepi litteras, quibus urges, ut Asanum tanquam schismaticum aggrediar, quamvis & amicus & affinis sit meus; habet enim ex sorore mea filium, ac hæredem, mihique velut subjectus paret. Vatacius quoque filio suo neptem meam uxorem dedit; est Reginæ conjugis meæ frater, ac mihi conjunctissimus; se vero*

ap. Rain. 1238. n. 12.

Sæcul. XIII. A.C. 1238.

in Asano impugnatum credet. Nihilominus meam erga sanctam Sedem reverentiam demonstraturus, Bulgariam eidem in spiritualibus, & mihi in temporalibus subjiciendam suscipiam, si consenseris in puncta sequentia.

Postulo, ut legationis officium in Bulgaria nemini, præterquam mihi committatur, ita ut Diœceses ac Paræcias limitandi, & in hac prima institutione Episcopos ex consilio Præsulum & hominum religiosorum constituendi potestatem habeam, cum omnes hæ prærogativæ S. Stephano antecessori meo concessæ fuerint. Præcipua mea eas petendi ratio est, *quia, si cum Legato sanctæ Sedis Bulgariam intrarem, omnibus incolis eam non mihi, sed Ecclesiæ Romanæ etiam in temporalibus subjicere velle viderer; id quod adeo horrent, ut quam plurimi, qui sine pugna se mihi dederent, usque ad vitæ periculum se opponerent; nam sæpe Christianis, quod Ecclesiæ Romanæ mancipia sint, exprobrant.*

Sup. Lib. LVIII. §. 8.

Præterea, cum circa Bulgariam terra detur Zemram nomine, quæ, postquam diu deserta fuerat, incolis frequentata, sed nulli adhuc Episcopo subjecta est, eam Diœcesi, quæ mihi placuerit, attribuendi copiam posco. Hæc terra videtur esse Szreim, seu vetus Sirmium. *Peto etiam,* pergit Bela, *ut mihi liceat crucem hoc in bello copiis meis præferendam curare; ut in Hungaria*

garia vicinisque terris anathema promulgetur contra illos, qui durante hac expeditione Regnum meum invaserint, aut suam erga me fidem læserint; & ut nemini aggressio Hungariæ me invito permittatur. Oro denique, ut abroges cunctas Episcopi Præneſtini Legati tui constitutiones, quatenus pertinent ad anathema tam longe lateque extensum, ut in tota pene Hungaria summi, medii, & infimi, ipsique Præsules in illud incurrerint, atque incurrant quotidie, nec idem evitare possint. Legati virtutem haud voco in dubium; sed Regni mei statum ignorabat. Dabat has litteras 17 Jun. an. 1238. Sæcul.XIII. A.C.1238.

Papa 9 Augusti rescribens Regi Hungariæ solum permisit, ut ex Episcopis Regni sui, quem vellet, Legatum eligeret. Simul Fratrum Prædicatorum Minorumque Primoribus fecit copiam in provincia Strigonienſi commutandi vota omnium cruceſignatorum Hungariæ militum, contra Bulgaros classicum canendi, & anathema promulgandi contra illos, qui intra sacræ hujus expeditionis tempus Hungariam adorti fuerint. *XII. ep.211. 212. &c. ap. Rain. n. 12. & ap. Vading. n. 3. 4.*

§. XI.

Papæ litteræ in Terram ſanctam.

Hieroſolymis Equites Hoſpitalarii S. Joannis Græco Imperatori Vatacio *Rain.1238. n. 31.*

Sæcul. XIII. A.C. 1238.

suam contra Latinos operam addixerant, donatis sibi terris ac proventibus impulsi, & insuper omnis generis crimina committebant. His compertis Papa Gregorius ad illorum Magistrum ita scripsit:

XI. ep. 449. *Ut dolentes audivimus, in terris vestris profligati pudoris mulierculas certis conditionibus detinetis, quibuscum incontinenter vivitis: possidetis bona tanquam propria: illos, qui sodalitatem vestram amplectuntur, defendendos per annua remuneratione suscipitis; & circulatores, hæreticos, prædones, latronesque in vestras ædes abditis. Vos non pudet Vatacio Dei ac Ecclesiæ hosti contra Latinos arma & equos subministrare. Stipem ordinariam minuitis. In hospitali domo vestra morientium testamenta mutatis non sine falsitatis suspicione; ac prohibetis, ne ibi decumbentes ægri sine permissu vestro aliis Sacerdotibus, quam illis, qui sunt vestri Ordinis, aut mercede vestra victitant, sacras confessiones faciant. Quin etiam aliqui vestrum de hæresi suspecti dicuntur.* Papa eos exhortatur, ut se intra tres menses corrigant: sin minus, Archiepiscopum Tyrium eos ad disciplinam revocare jubet. Dat. 13. Mart. an. 1238.

XI. ep. 441. *R. n.* 33. Aliquot abhinc diebus Papa Hierosolymitanum Patriarcham & Suffraganeos ejus jusserat impedire, ne homicidæ voluntarii Ecclesiastica immunitate gau-

gauderent in loca ad Religioſos pertinentia profugi, niſi hæc cœnobiorum vel clauſtra vel templa eſſent. Quæ res præcipue tangebat domos, quas Equites Hoſpitalarii, Templariique ac Teutonici poſſidebant. Præcepit ſimul Patriarchæ, ut prohiberet, ne Canonici ad ſacrum Sepulchrum populo imponerent, dicendo, illuc ignem e cœlo in pervigilio Paſchatis deſcendere, ac pro pecunia monſtrando locum, ubi Chriſtum in vincula conjectum ſuiſſe perhiberent. Græci ſchismatici hanc de mirifico ad S. Sepulchrum igne fabulam etiamnum repetunt, ut ex peregrinantium narrationibus conſtat. Papa ſcripſit etiam Patriarchis Hieroſolymitano & Antiocheno, ut nemo Saracenos captivos ab auditu concionum, & ab amplexu Chriſtianæ fidei arceret. Sæcul. XIII. A. C. 1238. *Pietro della Valle to. 3. lett. 13. n. 12. ep. 440.*

Hic Antiochiæ Patriarcha Latinus apud Papam querebatur, quod ejusdem urbis Princeps Buamundus quintus anteceſſorum ſuorum exempla ſequi, & ab ipſo inaugurationem in principatum ſuum per vexillum & jusjurandum accipere recuſaret: e contrario in Eccleſiam inſurgens, ejus jura minuere conaretur. Itaque Papa ultimo Julii Archiepiſcopo Tyrio, ac Epiſcopis Acenſi & Dertoſenſi ſcripſit, ut hoc inter Patriarcham & Principem diſſidium Latinis provinciæ Chriſtianis *XII. ep. 203. Rain. n. 35.*

Sæcul. XIII. A.C. 1238.

stianis tam noxium, si fieri posset, placarent. Longius ab officio recedebant cæteri populi, Græci, Armeni, Georgiani, quorum Abbates & Clerici Patriarchatum agnoscere renuebant, præsertim Catholicus Armenorum. Papa tamen ad Archiepiscopos Apamæensem & Mamistrenum scripsit, ut eum adirent, & ad obedientiam Patriarchæ Latino præstandam permovere conarentur: id quod magnum habuisse effectum non videtur. Sed Antiochenus Patriarcha Græcus ulterius progressus est: nam Germano Græco Patriarcha Constantinopolitano nixus, hoc eodem anno in Pontificem Maximum & in totam Ecclesiam Romanam dirum anathema contorsit. Affirmabat, Ecclesiam suam Romanæ non antiquitate solum, verum etiam dignitate antecellere. *S. Petrus*, ajebat ille, *primum Antiochiæ Sedem suam posuit, ubi debita in veneratione habitus hanc Ecclesiam septem annis gubernavit. Tum Romam petiit, ubi injuriis, & opprobriis, ultimoque demum supplicio affectus est. Quare ligandi ac solvendi potestatem Ecclesiæ Græcæ potius quam Romanæ reliquit, quæ modo continuis usuris, sacrilegis mercatibus, & omni criminum genere contaminatur.*

XII. ep. 199. ep. 198. R. n. 34.

Matth. Par. p. 407.

§. XII.

Sæcul. XIII. A. C. 1238.

§. XII.

Concilium Conacenſe.

Hoc anno 1238 die Lunæ poſt octavam Paſchatis, nempe 12. Aprilis Geraldus Malemortius Archiepiſcopus Burdigalenſis cum Epiſcopis ſibi obnoxiis Conaci concilium habuit. Promulgabantur octo & triginta canones de inſtauranda diſciplina, ubi, ſicut in plerisque ejusdem ſæculi conciliis, apparet litigandi libido, tunc in Clero regnans. Adhibebantur falſæ litteræ: eadem pars iisdem de cauſis ad diverſos Judices deferebatur: Clerici recipiebant ceſſiones litium, ut has ad tribunal Eccleſiaſticum traherent. Quidam ſe falſo dicebant Judices delegatos, vel pro delegatis ſubſtitutos, & partibus ad ſe accitis commiſſam ſibi jurisdictionem monſtrare haud poterant. Alii jus novum prenſabant per litteras alia prius occaſione obtentas. Nonnulli Judices deſerti vadimonii damnabant illos, quos in jus vocatos eſſe non conſtabat. Viciſſim laici ad tribunal profanum Clericos interdum adigebant ſub obtentu ſponſionis, cautionis, ſpoliationis, vel actionis mutuæ. His cunctis fraudibus concilium generalia opponit anathemata.

to. XI. p. 556

c. 1.

c. 2.

c. 6.

c. 11.

Fun-

Sæcul. XIII. A.C. 1238.

Functiones Advocatorum Procuratorumque præterquam gratuitas pro Ecclesiis ac miseris hominibus interdicit

c. 13. Sacerdotibus, non item reliquis Clericis, quia soli tunc ad hæc munia habiles erant: monachis vero & Canonicis Regu-

c. 12. laribus ea vult esse vetita, & plures errores in eorum asceteria introductos tol-

c. 20. li jubet. Victus iisdem ac vestitus suus in pecunia dabatur; id quod dominii ap-

c. 21. probationem præseferebat: non reddebatur ratio proventuum monasterii, nec

c. 22. clausæ tenebantur portæ: fratres sine Superiorum permissu egressi, in oppidis & pagis comedebant, ubi commoran-

c. 24. 27. tes sese abdiderant. Habebant peculium

c. 28. tanquam proprium, mutuam suo nomi-

29. 30. ne sumebant pecuniam, atque prædes

c. 33. fiebant. Vescebantur carnibus apud ho-

31. mines profanos: suscipiebant parœcias, & soli suis in prioratibus manebant. Hæc errata omnia condemnat concilium, & prohibet, ne novæ domus Religiosæ erigantur, vel sodalitates laicorum instituantur sine consensu Episcopi.

c. 3. Coërcet etiam vexationes laicorum, qui pecunias exigebant ab Ecclesiis, cœnobiis, vel domibus hospitalibus, & ibi

c. 19. per vim sub obtentu hospitalitatis habitabant. Quidam Ecclesiasticos comprehensos crudeliter habebant, grande his redemptionis pretium extorturi: & concilium

cilium mandat, ut illorum filii ad tertiam usque generationem nec ad beneficia, nec ad sacros Ordines admittantur. Præcipit quoque, ut ii Domini, qui per anni spatium in anathemate permanserint, renuncientur hæretici, eorumque bona fisco addicantur. Sæcul.XIII. A.C.1238. c. 17.

§. XfII.

Instauratio disciplinæ monasticæ.

In Anglia etiam Otto Legatus monachis e solutiore disciplina veterem ad sanctimoniam revocandis studebat. Cunctos Abbates Ordinis nigri, scilicet S.Benedicti Londinum petere, ibique in templo S. Martini audire decreta jussit a Summo Pontifice post maturam deliberationem ad instaurandum Ordinem monasticum facta. Inhibebant eosdem errores, quos Concilium Conacense damnavit, & insuper continebant ea, quæ sequuntur. Nemo deinceps admittetur ad professionem ante vigesimum ætatis annum completum, nec ad sacrum tirocinium ante decimum nonum. Post annum probationis novitius quamprimum vota nuncupabit, aut dimittetur; sin minus, professis annumerabitur. Pro admissione nihil exigetur, nec ulla pactio fiet. Rei œconomicæ curatores administrationis suæ rationem Superiori saltem *Matth. Par.* p. 401.

Sæcul. XIII. A. C. 1238.

tem ter quolibet anno, ac reſiduum bona fide reddent. Silentium locis ac temporibus a regula notatis ſemper ſervabitur. Generalis in Anglia concilii (Londinenſis) ſtatutum de abſtinentia carnium nunquam violabitur. Monachorum veſtes ac lecti ad regulam erunt conformati: non geſtabunt lintea, & eodem cœnobii loco dormient. Cunctis Eccleſiaſtici penſi partibus, præſertim ultimæ, ac publicæ lectioni ſpirituali intererunt. Hoſpitalitatem ſuaviter & amanter exercebunt. Cum regula conſtitutiones Summorum Pontificum huc pertinentes, atque in collectione Gregorii IX contentas deſcribi curabunt, & ſolicite condiſcent. Hæ conſtitutiones poſtea percenſentur. Matthæus Paris ipſemet Monachus niger huic relationi ſubjungit, Abbates a Legato congregatos hanc inſtaurationem velut e cœlo delapſam concorditer recepiſſe, in cunctis conventibus ſuis juſſiſſe promulgari, ejusque violatores rigide caſtigaſſe.

p. 406.

§. XIV.

Legatus Oxonii offenditur.

M. Paris. p. 396.

Otto Legatus Oxonii magno honore, ac in proxima urbi Abbatia Oſneina Canonicorum Regularium Ordinis S. Auguſtini hoſpitio excipiebatur. Acade-

cademici missō ante prandium egregio ad ejus mensam munere, post meridiem veniunt, officiosæ salutationis partes impleturi. Verum janitor Italus porta modico hiatu patefacta, asperrimis perstrictos verbis aditu prohibet. Perrupta janua ferociter ingressos Romani submovent: pugnis & baculis dimicatur. Rei domesticæ administrator erat frater Legati, qui eam ipsi commiserat, ne venenum sibi pararetur: & Academici illum ludibrii causa Nabuzardanum vocabant ex nomine œconomi in aula Nabuchodonosoris. Ille in culina coquo dum imperat, pauperem Sacerdotem Hibernum conspicit ad fores ciborum reliquias quasdam expectantem: huic in faciem aquam fervidam ex aheno fundit præ ira impos animi.

Sæcul. XIII. A. C. 1238.

Monast. Ang. to. 2. p. 136 M. Westm. p. 298.

4. Reg. 25. 8. juxta 70.

Tum vero Clericus quidam e confiniis Walliæ, *quantum dedecus!* exclamabat, *num ferendo sumus?* Tendebat simul arcum, quem portabat: nam crescente tumultu aliquot Academici, quæ cuique fors offerebat, arma ceperant. Is igitur emisso telo medium œconomi pectus transfigit, ac exanimem humi sternit. Exoritur clamor ingens: Legatus Canonici trabea indutus præ terrore in templi turrim se includit: sed noctis beneficio dirempta pugna validum conscendit equum, & ad Regem defensorem suum prope-

p. 397.

Sæcul. XIII. A.C. 1238.

properavit. Interim eum Academici ubivis quærebant, *ubi est ille fœnerator*, vociferantes, *ubinam ille mercator sacrilegus nulla satiandus pecunia, qui Regem decipit, qui extraneos nostris ditat spoliis?* Hi clamores, quos abiens audiebat, fecere, ut & iter suum acceleraret, & maximam suorum partem abditam in Abbatia relinqueret. Rex ejus querimoniis commotus mox Comitem Varennium cum numerosa militum manu Oxonium misit, ut Romanos absconditos liberaret, & Academicos comprehenderet, quorum triginta in arce vicina carceri addicti sunt. At Legatus convocatis aliquot Episcopis Oxonium interdicto affecit, Academiæ exercitia omnia suspendit, & cunctos hujus violentiæ participes a piorum communione secluſit: captivi dein Londinum translati, bonisque suis exuti fuere.

Legatus pro hac injuria satisfieri sibi cupiens, Archiepiscopum Eboracensem, & omnes Angliæ Episcopos Londini 17 Maji an. 1238 comparere voluit. Episcopi studiose considerabant, quanti momenti esset conservatio Academiæ Oxonienſis tanquam secundæ in Anglia Ecclesiæ; atque Legato exponebant, tumultum per ipsius domesticos cœptum, & Academicos denique pejus, quam illos, habitos fuisse. Consensere hi tamen in satisfactionem Legato præstandam:

&

& reapſe ad S. Paulum congregati usque ad illius ædes vix non mille paſſibus inde diſtantes pedibus venerunt: ibi ſe ſine palliis, ſine cingulis, ſine calceis ſiſtebant Legato, & demiſſe veniam petebant. Dedit hanc ille, ſublato interdicto Oxonii Academiam in priſtinum ſtatum reſtituit, & ſupplicantibus litteras tradidit, per quas cavebat, ne hic caſus aliquam infamiæ exprobrationem iis acciret. Sæcul. XIII. A. C. 1238.

§. XV.

Plurium beneficiorum poſſeſſio condemnatur.

Ottoni Legato ſuum decretum de plurium beneficiorum poſſeſſione non optime ſucceſſit. Nam Papa Epiſcopi Vigornenſis diſſertatione accepta poſt initam ea de re deliberationem Legato ſcripſit in hæc verba: *Ut comperimus, dantur in Anglia Clerici, beneficiorum plurium poſſeſſores, quibuscum ſi ſecundum conſtitutionem Concilii generalis ageretur, ob potentiam illorum, quos cognatione attingunt, turbaretur Regnum, & fundendi ſanguinis occaſio præberetur. Conſideramus autem, quamvis ſcandali vitandi gratia nunquam committendum ſit peccatum, bonum tamen faciendum differri eam ob cauſam poſſe. Itaque, ſi decretum contra hos Cle-* *Sup. §. 7 ap. Matth. Par. p. 394.*

Sæcul. XIII. A C. 1238.

ricos exequi sine nimio scandalo nequeas, hac cura te supersedere volumus.

Duboulai to. 3. p. 164. Alberic. p. 561. Duboulai to. 3. p. 705.

Guilielmus Episcopus Parisiensis hoc anno quæstionem de possessione plurium beneficiorum decidi curavit. Contra hanc steterant omnes Theologiæ Doctores, exceptis duobus, in solenni disputatione, in qua illa controversia jam fuerat agitata. Hi duo erant Philippus Grevius Universitatis Cancellarius, an. 1237 sententia sua non mutata mortuus, & Arnulphus, qui eodem anno Episcopus Ambianensis fuit. Philippus erat Doctor & Concionator celeber, sed Religiosis Mendicantibus multum contrarius. Supersunt aliquot ejus sermones.

Cantipr. 1. de Apib. c. 19.

De altero conventu Thomas Cantipratanus Ordinis Fratrum Prædicatorum ita loquitur: *Anno* 1238 *eram Parisiis, ubi Episcopus Guilielmus, qui Thelogiæ Professorem publicum egerat, Doctores omnes in Senaculum Fratrum Prædicatorum convocavit. Proponebatur ibi quæstio de possessione plurium beneficiorum, & post longam disceptationem facta est decisio, bona conscientia haud posse haberi duo beneficia, quorum alterum quindecim libras Parisienses pareret* (hæc summa ducentas propemodum nostræ monetæ libras conficiebat; nam solidus Turonensis decem nostros pretio superabat: & Parisiensis secundum proportionem) *ita pronuncia-*

v. Leblanc. p. 190.

nunciarunt Guilielmus Episcopus Parisiensis, frater Hugo Ordinis Prædicatorum, postea Cardinalis, fratres Gauricus & Godefridus ejusdem Ordinis, Frater Joannes Rupellensis Ordinis Minorum: & multi alii Theologiæ Doctores deinde in scholis suis sic statuerunt. Sæcul.XIII. A. C. 1238.

Habemus Guilielmi Parisiensis scriptum continens rationes damnandi possessionem plurium beneficiorum. Fatetur protinus opiniones esse diversas, illamque per complures magni nominis viros licere, ita ut contrarium decidere temerarium videatur. Quæ verba indicant, illam dissertationem fuisse scriptam ante decisionem memoratam, & fortasse priusquam author esset Episcopus. Pergit: *Si quæstio dubia est, dubium ipsum certo demonstrat non esse licitum habere plura beneficia. Nam nemo dubitat, quin sit illicitum exponere se periculo committendi peccatum mortale. Præterea opinio affirmans est illorum duntaxat, qui beneficia plura vel habent, vel habere cupiunt, atque ita in causa propria se judices faciunt: e contrario sententiam negantem amplexi se obligant, ut nunquam nisi unicum habeant beneficium.* *De Collat. benef. c. 6. to. 2. in fi.*

Ad rationes deinde magis peculiares descendit. Ecclesiasticus proventus datur ad sustentationem illius, qui servit Ecclesiæ; nequit autem servire nisi uni-

Sæcul. XIII. A. C. 1238.

cæ; nec debet habere ſuſtentationem præterquam ſimplicem: non igitur charitas eſt, ſed cupiditas, quæ duplicem ſuadet. Plura, quæ tunc ſimul habebantur, aut petebantur, beneficia vix alia erant, quam Collegiorum ſacerdotia & dignitates: plura enim beneficia cura animarum prædita nimis odioſa erant, & nondum multa beneficia fiduciaria vel ſimplicia dabantur. Cuncta etiam exempla ſua a Canonicis ducit author, & oſtendit, diverſis in Eccleſiis beneficia habentem fruſtrari intentionem conditorum, certum in qualibet Canonicorum numerum dari volentium. *Hæc plurium beneficiorum poſſeſſio*, ait, *privat Eccleſiam magno miniſtrorum numero, & facit, ut ei male ſerviatur, dum unus ſuſtentationem plurium conſumit. Denique manifeſtum eſt, plura habentem beneficia non in eis ſpiritualia nec functiones, ſed temporalia tantum ſpectare.* Præter emolumentum præſens alia quædam ratio ſacerdotia diverſis in Eccleſiis Cathedralibus obtinendi deſiderium tunc temporis excitabat, nimirum ſpes Pontificiæ dignitatis per Canonicorum ſuffragia conſequendæ. S. Ludovicus in diſtributione beneficiorum ex arbitrio ſuo pendentium ſcholæ Pariſienſis deciſionem ſequebatur: nam Eccleſiaſtico jam beneficium habenti, quantumvis docto ac celebri, aliud non

G. Nangis. p. 369. Gaufr. p. 455. to. 5. Duchesne.

conſe-

conferebat, nisi prius illud simpliciter & sine pacto recipiendæ pensionis abdicasset. Sæcul.XIII. A.C.1238.

§. XVI.

Ecclesia Anglica.

Thomas Sabaudiæ Comes quindecim susceperat liberos, filios novem, ac sex filias, quarum in numero erat Beatrix Provinciæ Comes, Eleonoræ Anglorum Reginæ mater. Filiorum quinque Ecclesiasticum amplexi sunt statum: Amadeus ex Carthusiano monacho Episcopus Maurianensis; Guilielmus electus Episcopus Valentinus; Thomas Archidiaconus, qui, cum ad Episcopatum Lausannensem, ac deinde ad Archiepiscopatum Lugdunensem nequicquam aspirasset, denique Joannam Flandriæ Comitem sibi nuptiis junxit; quartus fuit Bonifacius ex Carthusiano ac Priore Nantuacensi Episcopus Bellicensis an. 1232 electus; quintus erat Philippus post Guilielmum fratrem suum in Episcopum Valentinum, & tandem in Archiepiscopum Lugdunensem cooptatus. Illa tempestate Principes filiis onerati Ecclesiasticas eis dignitates procurare conabantur.

Gall. Chr. *to.* 1. *p.* 323. *to.* 2. *p.* 365. *to.* 3. *p.* 692. 1113. *Alberic.* *an.* 1232. *p.* 541.

Guilielmus Sabaudus electus Episcopus Valentinus Reginam neptem suam visendi gratia in Angliam an. 1236 delatus,

Matth. Par. *p.* 362. *Id. p.* 400.

Sæcul. XIII. A.C. 1238

tus, in Anglorum invidiam incurrit, quibus Rex hujus advenæ consilia nimium sequi videbatur. Elapso biennio Rex omnem movebat lapidem, ut eum ad Episcopatus Vigornensis Sedem tunc vacuam eveheret, quamvis juratus sæpe promisisset, se ad Anglica beneficia extraneos non admissurum. At Ecclesiæ Cathedralis monachi, ad quos electio pertinebat, comperto, Guilielmum belli studiis duci, adierunt ex more Regem, atque ut sibi libera esset electio, postulabant. Rex iis suadebat, ut eligerent Episcopum Valentinum, quem avunculum vocabat suum, & monachis legatis cum reliquis fratribus suis deliberandi spatium concessit. Sed postea edoctus, eos velle Guilielmum Relium eligere, excandescens ad eosdem dicebat: *Recusastis Episcopum Valentinum, quasi hominem sanguinarium: & eligitis Guilielmum Relium, quamvis hic plures lingua sua, quam ille gladio occiderit:* jurabatque, se nunquam id permissurum. Vastatis dein Episcopatus terris, cum numeroso sæpe comitatu Episcopi domos incoluit.

Monachis Vigornensibus ad electionem congregatis Rex protinus supervenit, & ingressus senaculum, promissis eos minisque urgebat, ut Episcopum Valentinum eligerent. Illi, ut ejus iram declinarent, neque tamen iniquæ petitioni cede-

cederent, Radulphum Novavillium Epi- Sæcul. XIII.
scopum Ciceſtrienſem, ac Regium Can- A.C. 1238.
cellarium poſtularunt. At Rex preces ſuas ſic etiam eluſas videns, Radulphum eſſe hominem violentum, bilioſum, ac perverſum dixit, Regiumque illi ſigillum ademit, monachos inſanos vocans, quod talem Epiſcopum elegiſſent. Duos poſthæc legulejos ad curiam Romanam miſit, qui largitionibus effecerunt, ut illa poſtulatio irrita declararetur.

§. XVII.

Occupatio Regni Valentini.

In Hiſpania Jacobus Arragoniæ Rex ob- *Eſcolano*
ſidebat Valentiam. Nam anno 1232 *lib.* 3. *c.* 4.
ſubacta Majorica Valentinum mox Regnum adortus, ac per annos ſequentes permultis locis in poteſtatem redactis usque ad urbem principem progreſſus, eam poſt Paſcha, ſcilicet menſe Aprili an. *c.* 5.
1238 oppugnare cœperat. Modicas primum numerabat copias, deinde vero numeroſas ex Arragonia non ſolum & Catalonia, ſed etiam ex Provincia, Gallia, & Anglia obtinuit: Archiepiſcopus Narbonenſis Petrus Amelinus ipſemet venit, equites tredecim, ac quingentos pedites ducens. Qui Valentiæ imperabat, Rex Maurorum erat Zain, antea Dianii Dominus: & Zeit-abuzeit ab eo pulſus, ſe-

Sæcul. XIII. A.C. 1238.

cundum preces Fratrum Minorum Petri ac Joannis, quos anno 1231 necari jusserat, ad Deum fusas baptismum & Vincentii nomen accepit; sed occulte, ne Musulmannos offenderet: sperabat enim se coronam denuo adepturum, & permultos semper a suis partibus habebat.

Vading. 1238. *n.* 5.

Sup. Lib. LXXX. §.7.

Esc. c.6. n.8.

Semestris obsidio Zainum compulit urbem dedere ea conditione, ut incolis salva vita & cum bonis, quæ in humeris auferre possent, abeundi libertas esset. Sic Arragoniæ Rex Jacobus Valentiam victor intravit die Martis 28 Sept. an. 1238 in pervigilio S. Michaëlis. Purgandis delubris & in Ecclesias mutandis triduum

n. 12. impensum. Rex, postquam urbis domos, & circumjectum agrum distribuerat, adjecit animum ad leges novo huic Regno dandas ex consilio Præsulum Procerumque, suorum hoc in bello comitum. Præ-

n. 14. sules erant Petrus Archiepiscopus Tarraconensis, Berengarius Episcopus Barcinonensis, Vitalis Oscensis, Bernardus Cæsaraugustanus, Pontius Dertosensis, Garcias Turiasonensis, ac Bernardus Vicensis: omnino septem. Inter alias leges Rex prohibuit, ne Mauri vel Judæi mancipia aliosve servos aut nutrices Christianas pro infantibus suis haberent; ne tabernas occluderent; ne diebus Dominicis ac Festis laborarent: permisit tamen, ut Mauri agros suos singulis diebus

sine

sine discrimine colerent, exceptis quatuor maximis anni festis. Ethnicorum offensionem avertendi causa noluit, ut pictæ aut sculptæ Christi & Sanctorum imagines venderentur in plateis, aut eorum statuæ e saxis publice scalperentur, ne informes, ac nondum absolutæ spectari possent. Immunitatem sive jus asyli tribuit majori Ecclesiæ Valentinæ, & S. Vincentii Martyris, ac urbis Patroni templo, cunctisque primariis Regni Ecclesiis. Sæcul.XIII. A. C. 1238.

Delubro majore in templum conversо mox ad instituendum Episcopum, Canonicos, dignitates, & Clerum intendit animum. Primum duodecim duntaxat Canonici, & quatuor munerum Curatores constituti sunt, scilicet Archidiaconus major, Custos sacræ supellectilis, seu Thesauri, Chori Magister, & Archidiaconus Sativensis; quibus post annos viginti additus est Decanus. Ex consilio Præsulum Rex in primum Episcopum Valentinum proposuit Fratrem Berengarium Castro-Bisibalensem Dominicanum, qui expeditioni Majoricensi interfuerat. Sed ejus electio dilata fuit ob exortam inter Archiepiscopos Toletanum & Tarraconensem controversiam, utri nova Sedes Valentina esset obnoxia? Vacante interim Gerundana Frater Berengarius a Canonicis in Episcopum cooptatus est: c. 7. n. 5. n. 6.

Sæcul. XIII. A. C. 1238.

prius tamen, quam Valentia discederet, Dei cultum jam in ordinem redegerat.

n. 7. Rex Arragoniæ Papæ Gregorio in gratiam Archiepiscopi Tarraconensis scribens oravit, ut Episcopum Valentinum hujus Præsulis Suffraganeum declararet, quamvis ante invasionem Maurorum Toletano subjectus fuisset; novaque aderat ratio: nam Toletum Regni Castellani, Tarraco autem Arragonii pars erat, ad quod Valentia novo belli jure pertinebat. Et vero Papa Regis petitioni annuens, Ecclesiam Valentinam in Cathedralem Tarraconensis Suffraganeam erexit, eique Diœcesin assignavit per litteras 9 Octobris anno sequente 1239 datas. Tum in suffragia itum ex consensu Archiepiscopi, Procerumque & approbante Papa. Electus autem est Ferrarius San-Martinensis, Ecclesiæ Tarraconensis Præpositus. Rex, ut Valentinam dotaret, omnes ei tribuit Diœceseos decimas sibi proprias: nam Gregorius VII. & Urbanus II. Regibus Arragoniis ejus antecessoribus concesserant omnes decimas terrarum, quas Mauris eriperent. Rex Jacobus Vincentio * Belvisio, quondam Regi Zeit, proventus satis amplos cum quodam Valentiæ palatio addixit, quod tres post menses hoc Principe consentiente Fratribus Minoribus tradidit, ut domicilium ibi collocareut.

n. 8.

* de Belvis

Vading. 1238. n. 5. 1239. n. 16.

§. XVIII.

Sæcul.XIII. A.C.1238.

§. XVIII.

Henricus Sardiniæ Rex.

Menſe Octobri an. 1238 Henricus, alias Henz, Imperatoris Friderici filius ſpurius in Sardiniam profectus, uxorem duxit Adelaſiam Ubaldi viduam, Dominamque duarum provinciarum Galluræ ac Turrium, quæ ſeptentrionale inſulæ dimidium conficiebant. Ubaldus ejusque conjux hunc principatum velut ab Eccleſia Romana ſibi jure fiduciario collatum tenuerant, & hoc ex capite fidem ſuam jurejurando Papæ Gregorio obſtrinxerant: qui totam Sardiniam non ſolum ita, ut cæteras maris inſulas, ſed etiam per donationes Conſtantini, Ludovici pii, reliquorumque Imperatorum ad ſe pertinere affirmabat. Altera pars ad meridiem duas itidem provincias continebat Arboreanam & Calaritanam. Harum quatuor provinciarum Domini vocari Judices volebant. Cæterum an. 1237. 12 Maji Petrus Arboreæ Judex coram Alexandro, qui Papæ a ſacello, ejusque in Sardinia Legatus erat, agnoverat, ſe per ſuum fidelitatis juramentum obſtrictum eſſe, ut omnibus Papæ mandatis obediat; ut absque ejus permiſſu nullum fœdus ineat; ut ſingulis annis die Feſto S. Petri Eccleſiæ Romanæ mille ac centum aureos

ap. Rain. 1237. n. 17.

Baudrand. Sardin.

Rain. n. 22.

Sup. Lib. LXXX. §. 64.

Sæcul. XIII. A. C. 1238.

aureos Byzantinos pendat. Contra Imperator Fridericus asserebat, Sardiniam antiquo jam jure Imperii propriam esse, ac suos antecessores eam non amisisse, nisi quia alibi majoris momenti negotiis occupati fuissent. *Juravi autem*, subjungebat, *ut neminem fugit, me Imperio erepta omnia redditurum: nec oscitanter id exequar.* Ergo Henricum filium suum misit, & maxima insulæ parte potitum, Sardiniæ Regem declaravit.

Matth. Par. 1239. *p.* 410.

§. XIX.

Papa Imperatorem proscribit.

Ea res Papam gravissime commovit, refricuitque vulnera, quæ sibi ab Imperatore inflicta jam alias conquestus fuerat. Itaque plures ei monitiones ex solenni ritu dedit, ita ut illum velle hostiliter agere facile sentiret Imperator. Qui eundem præventurus, 10 Martii Cardinalibus scripsit in hanc sententiam: *Quandoquidem Ecclesiæ lumina, & successores Apostolorum estis, omnium Papæ consiliorum participes; mirissimum est, eum iracundiæ impetu eo usque abripi, ut in gratiam Lombardorum rebellium contra Imperatorem Romanum ac Ecclesiæ defensorem gladium spiritualem stringere velit, quamquam detrimenta, quæ Ecclesiis illata esse perhibet, jam compensata sunt, aut nostro jussu protinus*

Petr. Vin. I. ep. 6.

Matth. Par. p. 416.

tinus compensabuntur. Non ferremus tantam injuriam, sed solitam Imperatorum vindictam sumeremus. Ardente proin studio oramus, ut Papæ hoc suum propositum ab impotente animo potius quam a justitia, ut omnibus constat, profectum, ne scandala pariat, adimatis. Sæcul. XIII. A.C. 1238.

Papa procedens longius Dominica Palmarum primo, dein die Cœnæ Domini sacro 24 Martii an. 1239. Romæ solenniter Friderici proscriptionem tulit. Erat concepta hujusmodi verbis:

Ex authoritate Patris & Filii & Spiritus Sancti, Apostolorum SS. Petri & Pauli ac nostra Fridericum, qui se dicit Imperatorem, a piorum communione secludimus, quia Romæ seditionem contra Ecclesiam excitavit, ut nos & Cardinales inde pelleret contra prærogativas dignitatis, & honoris Apostolicæ Sedi proprias, contra libertatem Ecclesiasticam, & contra jusjurandum, quo se Ecclesiæ obstrinxit. Item quia Episcopum Prænestinum Sedis Apostolicæ Legatum, ne in legatione sua Albigenses insectaretur, per suorum quosdam impedivit. Rursum, quia quarundam Cathedralium, aliarumque Siciliæ Ecclesiarum Sedes vacuas repleri non patitur: unde libertas Ecclesiæ, ac ipsa fides periclitatur, cum nemo sit, qui verbum Dei proponat, & animas regat. Hic nominantur vacantes Ecclesiæ viginti numero Diœcesium, inter alias Catanæ, ap. Rain. n. 2 Matth. Par. p. 412. Alb. Stud.

Sæcul. XIII. A.C. 1238.

Catanæ, Regii, Scyllacci, duorumque cœnobiorum. *Deinde ob Clericos ibi captos, in carcerem missos, proscriptos, necatos; ob profanata ibidem, destructaque templa Deo sacra; ob prohibitam Ecclesiæ Sorancæ reparationem.*

Nec minus, quia Regis Tunetani nepotem suscipiendi baptismatis ergo ad Ecclesiam Romanam profectum detinet: quia Petrum Saracinum nobilem civem Romanum a Rege Angliæ Romam missum in custodia cohibet: quia multas Ecclesiæ Romanæ terras, inter alias Sardiniam invasit. Occupatis etiam quorundam Siciliæ Nobilium terris, quas Ecclesia tenebat, vastitatem intulit. Aliquot Ecclesias Cathedrales, ac monasteria quædam fortunis evertit suis, maxime per injustam inquisitionem: id exactionibus nomen dabatur. Eodem in Regno exuti bonis suis Templarii & Hospitalarii non sunt ex pacis fœdere in integrum restituti. Ibi Præsules Ecclesiarum & Abbates Cistercienses aliorumque Ordinum coguntur pro construendis novis arcibus certam quot mensibus pecuniæ summam solvere. Præterea, qui Ecclesiæ partes defenderunt, contra pacis conditiones omnibus orbati bonis ire in exilium, uxoresque ac liberos suos captivos relinquere compelluntur.

Du Cange. Gloss. Inquisitio.

Sup. Lib. LXXIX. §. 65.

Denique illum proscribimus, quia impedimenta infert, ne Terræ sanctæ mittantur

suppe-

ſuppetiæ, & Romaniæ Imperium recupere- Sæcul. XIII.
tur. Et omnes, qui jurejurando ſuam illi A.C. 1239.
fidem obligarunt, ab eo abſolutos declara-
mus, ſtricte prohibentes, ne illud obſervetur,
quamdiu proſcriptus manſerit. Quod atti-
net ad vexationes Nobilium, pauperum, vi-
duarum, & pupillorum, Fridericus ſe man-
datis Eccleſiæ obtemperaturum alias jura-
vit; idcirco eum monebimus, & quod æqui-
tas poſtulat, faciemus. Sed ob puncta præ-
cedentia, de quibus ſæpe a nobis & ſoli-
cite admonitus haud paruit, illum proſcribi-
mus. Cæterum, quia ob dicta factaque ſua
per totum pene orbem haud levi laborat infa-
mia, velut ſi de fide catholica non recte ſen-
tiret, hac in re Deo juvante, juris ordinem
tenebimus.

Imperator Fridericus Paſcha hoc an- *Mon. Pad.*
no 1239 in 27 Martii incidens Patavii *Sigon. R.*
magnifica inter oblectamenta transege- *Ital. lib.* 18.
rat, cum de intorto in ſe anathemate *p.* 53.
nuncium accepit, & iracundia flagrans *Petr. Vin.*
Romanis per litteras vehementer expro- *I. p.* 7.
bravit, quod rem tam indignam ferentes *Matth. Par.*
ipſum contra Papam non defenderint. *p.* 415.
Hortatur, ut hanc maculam ſuam eluant,
injuriam ipſi factam ulciſcendo: alioqui
minatur fore, ut ex ipſius gratia tanquam
ingrati excidant.

Interim Papa ad omnes Chriſtiani *ap. Matth.*
orbis Præſules circummiſit epiſtolam *Par. p.* 423.
hunc in modum ſcriptam: *Nemo eſt, qui* *to. XI. conc.*
neſciat, *p.* 337.
Rain. 1239.
n. 13. 15.

Sæcul. XIII. A. C. 1239.

neſciat, quanta cura Sedes Apoſtolica Fridericum ab infantia protexerit, ut ei Siciliam conſervaret, & quomodo eum ad dignitatem Imperatoriam evexerit. At beneficentiæ tam parum reſpondit, ut de ſuis erratis ſæpe admonitum punire invicti cogamur. Tum Papa querimonias ſuas contra Fridericum, ſicut in litteris proſcriptionis, percenſet, additque: *Quare vobis præcipimus, ut ſingulis diebus Dominicis ac Feſtis inter æris campani ſonitum omnibus locis jurisdictioni veſtræ obnoxiis hanc ſententiam promulgetis.* Hæc epiſtola data eſt 11 Aprilis, & miſſa Legatis, velut Ottoni in Angliam, & Epiſcopis locorum, ut Archiepiſcopo Rothomagenſi ac ejus Suffraganeis; inſcripta etiam Regibus, Ducibus, Comitibus ac Optimatibus cum mutationibus cujusque dignitati congruentibus.

§. XX.

Imperatoris Apologia.

Petr. de Vin. l. ep. 21. Matth. Par. p. 451.

ETiam Fridericus ad Reges ac Principes litteras dedit, in quibus omnes de Gregorio conquirendi cauſas, quas habere ſe dicebat, ab initio Pontificatus ejus repetit. *Erat amicus noſter*, ait, *in minore honoris gradu: ſed utprimum Summus Pontifex evaſit, omnium beneficiorum, quibus Imperatores Chriſtiani Eccleſiam ditarunt, immu-*

immemor suam contra nos malignitatem exercuit. Nam occasione sumpta ex eo, quod scandali vitandi causa ad terram sanctam certum intra tempus petendam jurejurando & sub anathematis pœna nos adstrinxerimus, nos ab Ecclesia sejunctos, quamvis morbo detineremur, declaravit, additditque plures alias hujus censuræ rationes, de quibus nunquam commoniti fueramus. Demisse tamen huic censuræ, cui nos ultro subjeceramus, morem gessimus, ac recepta sanitate absolutionem poposcimus, iter transmarinum adornantes. Papa nobis eam denegante, votum Deo nostrum persolvimus, illum potius divini cultus promovendi, quam explendi odii sui rationem habiturum esse rati. Sed e contrario omnis generis obstacula nobis in Syria posuit: immo Legatos suos jussit Sultanum per litteras monere, ne loca sacra ad nostrum Regnum Hierosolymitanum pertinentia nobis redderet: interceptas litteras asservamus. Ad hæc Papa in nostram Siciliam armatam immisit manum, causatus, Raynaldum demortui Umbriæ Ducis filium in Ecclesiæ terras ingressum parare; id quod nobis insciis faciebat, prout eum castigando postea satis monstravimus. Interea Papæ copiarum Duces spargebant rumorem, nos in Sicilia captos esse.

Sæcul. XIII. A.C. 1239.

Sup. Lib. LXXIX. §. 37.

Sup. Lib. LXXIX. §. 43.

Ab itinere transmarino reduces, omissa ultione nos defendere contenti, pacis consilia libenter audivimus: sed ipso reconciliationis

Sæcul. XII. A. C. 1239.

die nos Papa, ut fidelium subjectorum metui parcentes sine copiis in Italiam rediremus, vehementer urgebat, cunctas difficultates se nobis complanaturum spondens. Omnia tamen alia eum egisse, indicant ejusdem epistolæ ac nuncii. Et vero rebelles e quavis parte filio nostro ac Proceribus e Germania ad nos venientibus claudebant vias, ita ut remittere illos, & Siciliam repetere cogeremur. Ibi quietem gustabamus aliquam, cum Papa se nobiscum Imperii jura tuiturum pollicitus nobis institit, ut contra Romanos (qui nobis erant fidi) & contra quosdam Hetruscos seditiosos moveremus. Cedentes proin ejus precibus bellum indiximus Romanis Viterbium tunc obsidentibus: & interim ille secreto Romam scripsit, nos se inconsulto ex odio Romanorum sic agere. Tum orta in Sicilia seditio Messanam nos ire compulit: & confestim Papa sine nobis ad pactionem cum Romanis accessit, haud considerans, nos sibi magnum copiarum numerum auxilio misisse, cum ipsimet nostris contra rebelles armis nudati maneremus.

Interea intentionum nostrarum puritas nostrumque erga Ecclesiam studium nondum permittebant, ut malam Papæ voluntatem intelligeremus. Itaque satisfactionem nobis debitam ejus arbitrio permisimus. Sed ejusdem opera res Italiæ componendi spem penè amissam, occasionemque faventem subito nobis offerre visa est discordia Papam inter ac Roma-

Romanos renovata, in qua pro Ecclesia tam large profudimus opes nostras, & nos ipsos ita exposuimus, ut omnem de nobis suspicionem malam extinctam crederemus. Longius progressi, sponte nos Papæ præsentes stitimus una cum dilecto filio nostro Conrado electo Rege Romanorum, ac Regni Hierosolymitani hærede, qui nobis instar unici filii tunc erat, cum frater ejus in nos insurrexisset. Nec dubitavimus illum Papæ in obsidem nostræ cum Ecclesia reconciliationis offerre: cumque Papa & tota ejus Aula bonæ voluntatis specimina nobis daret, controversias, quæ tum nobis cum Lombardis, tum civibus Ptolemaidis cum ordine Nobilium intercesserant, illius judicio plane relinquendas censuimus. Ita de prospero rerum nostrarum exitu confidentes, Ecclesiæ subsidio alacres venimus cum numeroso exercitu e Germania Italiaque magnis sumptibus collecto, nec ab expeditione nostra prius destitimus, quam Ecclesiæ suam libertatem Romæ oppressam, & foris terras inique ademptas redderemus. Sæcul.XIII. A.C.1239.

§. XXI.

Imperatoris de Papa querelæ.

Audite jam, qualem nobis gratiam Christi Vicarius pro talibus obsequiis retulerit! Primo ad negotium transmarinum quod attinet, quæcunque Archiepiscopus Ra-

Sæcul. XIII. A.C. 1239.

vennas, Nuncius Apoſtolicus ſecundum præcepta ſibi tradita conſtituerat, ut nos in priſtinam poſſeſſionem noſtrorum jurium ad Regnum Hieroſolymitanum mitteret, ex adventu Archiepiſcopi Cæſareenſis omnino deſtructa fuere non expectato Nuncio, vel noſtra ad Aulam Romanam legatione, aut longiore ſpatio, quam quod ad numerandos aureos Byzantinos Papæ allatos neceſſarium erat. Quantum ad res Italiæ ſpectat, tantum aberat, ut eas ſecundum promiſſionem ſuam in modum nobis & Imperio honorificum componeret, ut nulla precum noſtrarum ratione habita nec noſtros revocaret hoſtes, qui in Lombardia & in Hetruria ſubjectos nobis ac fidos cives expilabant, nec copias in uſum Eccleſiæ comparatas illuc ducendi poteſtatem nobis faceret. Denique Papam rationibus noſtris pacique Italiæ faventem habendi ſpe perdita, ad arma converſi, accivimus militem, quem in Germania conducere Henrici filii noſtri ſeditio nos compulerat. Id edoctus Papa per litteras, ne Italiam armati intraremus, prohibuit, auxilii Terræ ſacræ ferendi cauſa indictas eſſe inducias cauſatus, cum tamen eodem die, quo induciæ promulgatæ ſunt, nos oraſſet, ut in ſui gratiam contra Romanos moveremus. Addebat eadem in epiſtola, Lombardicum negotium ſuo arbitrio ſine ulla conditione permittendum eſſe. At quia nec ſententia noſtri conſilii, nec præteritorum experien-

Sæcul.XIII. A.C.1239.

*perientia id nobis ſuadebat, ille alia utens arte, Epiſcopum Prænestinum ad nos miſit, quem in litteris ſuis tanquam virum ſanctum nobis commendabat, qui tamen Placentiam nobis parentem ad Mediolanenſium factionem reduxit, & per quem Papa ſe corrupturum fidem civium nobis ſubditorum, ac noſtros in Italia progreſſus cohibiturum confidebat. Hac ſpe abrupta, vaſtitatem per arma noſtra rebellium agris illatam videns, litteras ac Legatos in Imperium, totumque per orbem miſit, ut quos poſſet, omnes ab obedientia, & amicitia erga nos ſua averteret. Quo comperto, vincere bono malum etiamnum volentes, ad Sedem Apoſtolicam Legatos miſimus, nempe Berardum Archiepiſcopum Panormitanum, Epiſcopos Florentiolanum ac Rhegienſem, Magiſtrum Thaddæum * Sueſſium magnæ curiæ noſtræ Judicem, ac Rogerium ** Porcaſtrellium, ſacello noſtro Præfectum.* Hanc Cæſar legationem ad Papam miſit Anagniæ commorantem menſe Auguſto 1238.

v. Ital. Sac. to. 8. p. 407.

* de Sueſſe

** de Porcaſtrelle

Ric. S. Ger. p. 29.

Fridericus in litteris ita pergit: *Papa, quæ Legati propoſuerant, ex conſilio Cardinalium rata habuit, ac redeuntibus Archiepiſcopum Meſſanenſem adjunxit, progreſſuum noſtrorum impedimenta ſe ubique ſublaturum pollicitus. Id totum demonſtrant omnium horum Præſulum litteræ. Sed antequam Legati noſtri ac ejus Nuncius ab aula Romana tridui itinere abeſſent, in*

Sæcul. XIII. A.C. 1239.

Lombardiam Gregorium Montelongium cum Legati munere misit, qui postea Mantuanos, cæterosque servitiis nostris addictos evertere conatus est. Præterea ad quosdam Italiæ, Germaniæque Præsules in aula nostra agentes misit litteras, maculandæ famæ nostræ idoneas, certaque puncta continentes, singulariter de existimatis Ecclesiarum Siciliæ vexationibus, de quibus admoneri nos per hos Præsules volebat. Hæc puncta omnia cum responsis nostris in forma justissimæ authoritatis ac fidei vobis mittimus. Rem totam & singula rei capita Optimatibus, Præsulibus, multisque diversorum Ordinum Religiosis exposuimus, quos tanta Papæ levitas in ruborem dedit; & tamen ex eorum consilio Archiepiscopum Panormitanum, Thaddæum, ac Rogerium Legatos nostros, cum Oratoribus civitatum nobis fidelium ad Papam remisimus, cui nostro nomine declararunt, nos ad omnem satisfactionem ipsi sine mora præstandam paratos esse.

At furorem propterea non ponens, cum Legatos nostros talibus pacis consiliis instructos unius tantum diei itinere Roma abesse sciret, propere ac præter morem Ecclesiæ Dominica Palmarum primum dein die Cœnæ Domini sacra contra nos sententiam pronunciavit, per quam, ut dici audivimus, nos ab Ecclesiæ corpore segregavit ex consilio quorundam Cardinalium Lombardo-

rum

rum, quamvis ſanior reliquorum pars ob- Sæcul. XIII.
ſiſteret. Et per ſatellites ſuos pauperum A.C. 1229.
damno conductos Legatis noſtris, qui jam advenerant, aditum præcluſit, ne rationes noſtras proponerent, ac innocentiam noſtram demonſtrarent. Quamvis autem, peculiares rationes noſtras & Papæ dedecus ſi ſpectemus, hic agendi modus in rem noſtram ſit; haud parum tamen nos affligit, dum Eccleſiæ communis matris noſtræ honori conſultum volumus. Sed neque credimus, illum nobis potuiſſe jus noſtrum tribuere, etſi nobis injuriam facere potuerit: nam eum non agnoſcimus Judicem noſtrum, cum ſe jam noſtrum hoſtem capitalem profeſſus eſſet, civibus in nos ſeditioſis, ac Imperii hoſtibus publice favendo. Immo indignum, qui authoritatem Pontificiam exerceret, ſe reddidit protegendo Mediolanum, cujus maximam partem hæretici incolunt, ut idoneis authoribus compertum habemus.

Declaramus etiam, pro Chriſti Vicario non habendum eſſe hominem, qui, cum ſecundum Eccleſiæ diſciplinam non niſi poſt maturam deliberationem conſultis Cardinalibus ſolutiones a legibus facere deberet, illas ſuamet manu ſcriptas & obſignatas in conclavi ſuo clanculum vendit. Inſuper prævaricatio eſt, quod Nobiles Romanos quosdam ſibi addictos, nobis infenſos reddere conetur, nec pecuniis ſolum, ſed & arcibus ac terris donet, patrimonium Eccleſiæ

Sæcul. XIII. A. C. 1239.

Romanæ, cujus defensor sumus, dissipans. Nemo igitur miretur, si sententiam talis Judicis negligamus, non per contemptum Pontificiæ dignitatis, cui parere Christiani omnes & nos præ aliis debemus, sed ob vitium viri, qui tanto honore indignum se reddidit. Atque ut universi Principes Christiani non impotente nos in Papam animo, sed recta intentione ferri intelligant, Sanctæ Ecclesiæ Romanæ Cardinales per sanguinem JESU Christi & per divinum judicium obtestamur, ut concilium generale, eoque Legati nostri cæterorumque Principum convocentur; quorum in præsentia præsentes & ipsi hæc omnia, quæ diximus, plana faciemus. Quacunque cura conscientiam nostram perscrutemur, nobis occurrit nihil, quod hanc Papæ vexationem nobis accire potuerit, nisi quod indecorum fore duxerimus, si cum eo de nepte sua Henrico filio nostro naturali, modo Turrium & Galluræ in Sardinia Regi, nuptiis jungenda ageremus.

Vos itaque, Reges ac Principes terræ, vos non mei tantum sed & Ecclesiæ commiseratio tangat. Injuriam, quæ mihi facta est, vobis illatam credite: afferte aquas ad extinguendum ignem vestra in vicinia accensum! Simile vobis discrimen imminet: videntur reliqui Principes haud ægre deprimi posse, quando Imperator obteritur, qui ictus eis intentatos excipere debet. Oramus proin, ut nobis auxilio veniatis;

non

non quod propulsandæ injuriæ impares simus, sed ut orbi universo constet, profanorum Principum vel uno impetito totius corporis honorem lædi. Epistola data est Tarvisii 20 Aprilis. Sæcul.XIII. A.C.1239.

§. XXII.

Responsum ad Papæ querimonias.

Missa simul ad Papæ querelas responsio est alia epistola fusa, ad Papam Würzeburgensis, Wormatiensis, Vercellensis, & Parmensis Episcoporum nomine anno præterito durante reconciliationis cum Papa negotio scripta, & responsum ad puncta continens, de quibus is Imperatorem per illos Præsules admoneri volebat. *Hæc illi exposuimus*, ajebant, *& spe nostra multo submissiorem invenimus. Archiepiscopi Panormitanus & Messanensis cum Episcopis Cremonensi, Laudano, Novariensi, & Mutinensi præsentes erant: complures etiam Fratres Prædicatores Minoresque illuc vocaveramus. Imperator ad omnia plene ac distincte respondit, ut sequitur.* Puncta quatuordecim a Papa missa, ac vix non eadem, quæ dein litteræ proscriptionis exhibebant, cum Imperatoriis ad singula responsis percensentur. ap. Matth. Paris. p.417 Sup. §. 1.

Punctum I. Ecclesiæ Montis Regalis, Cephalædis, Catanæ, ac Scyllacei,

Sæcul. XIII. A. C. 1239.

cum tribus cœnobiis orbatæ sunt omnibus fere bonis suis: ac pleræque Cathedrales, aliæque Ecclesiæ cunctos pene subditos amiserunt per injustas exactiones. *Responsum.* Quod ad has vexationes Ecclesiarum generatim spectat, aliquæ per ignorantiam perpetratæ, ac protinus compensari jussæ sunt; aliæ reipsa jam compensatæ fuerunt, ut liquet ex actis Guilielmi * Tocti, qui nobis a secretis est, quem etiam per aulam Romanam iter facere, Archiepiscopum Messanensem consulere, & quæ contra leges facta videret, retexere jusseramus. Papa de homine mentionem fieri audiens, ejus rationem agendi approbasse dicitur. Responsio dein descendit ad singula, quæ ad diversas Ecclesias attinent.

* de Tocto

Punctum II. Templarii & Hospitalarii suis exuti bonis non sunt ex pacis fœdere in integrum restituti. *Responsum.* Verum est, his Equitibus secundum veterem Siciliæ constitutionem adempta fuisse prædia beneficiaria & ignobilia, quæ per donationem ab Imperatoris hostibus acceperant, quibus ad expilandum per pueriles ejus annos Regnum arma & alimenta subministrabant. Sed relictæ sunt illis terræ, quas ante obitum Regis Guilielmi possidebant. Erepti eisdem sunt etiam quidam fundi plebeji, quos emerant, & quos in Sicilia acquirere non possunt,

possunt, nisi ea conditione, ut post anni spatium aliis eos civibus vendant, alioqui modicum intra tempus omnes Regni terras sibi comparaturi. Hic videmus, unde orta sit hæreditatum ad manum mortuam, ut vocant, devenientium e caducis exemptio, & opum recens acquisitarum taxatio. Sæcul. XIII. A. C. 1239.

Punctum III. Imperator haud permittit, ut Cathedralium aliarumque Ecclesiarum Sedes vacuæ repleantur. *Responsum:* Consentit & vult, ut hoc fiat salvis juribus, quibus Reges priores gavisi sunt, & ipse modestius, quam ullus eorum, usus est, inaugurationibus Præsulum nunquam se opponens. *Punctum IV.* Ecclesiis ac cœnobiis extorquentur vectigalia & pensiones contra pacis tractatum. *Resp.* Clero collectæ ac tributa imponuntur non ob bona Ecclesiastica, sed ob prædia fiduciaria & ob patrimonia secundum jus commune ubique gentium observari solitum. *P. V.* Præsules non audent in fœneratores animadvertere. *R.* Constitutionem novam edidi, quæ illos ad jacturam bonorum suorum omnium condemnat, & Præsules ab iisdem insectandis non impedit. *P. VI.* Clerici conduntur in carcerem, proscribuntur, necantur. *R.* Clericos in custodiam datos esse haud comperi, nisi quod Prætores mei quosdam comprehenderint

Sæcul. XIII. A. C. 1239.

rint ad tribunalia Præſulum pro criminum ratione mittendos. Nonnullos læſæ Majeſtatis reos e Sicilia expulſos novi. Ad cædes quod attinet, ex impunitate Clericorum monachorumque aliquas oriri ſcio: monachus Epiſcopum Venuſinum, monachus in Abbatia S. Vincentii monachum peremit: neuter pœnas canonicas ſubiit. *P. VII.* Templa conſecrata profanantur ac deſtruuntur. *R.* Nullum ſcio niſi Nucerianum, quod præ vetuſtate collapſum dicitur, & quod cum Epiſcopo reædificare paratus ſum. *P. VIII.* Reparatio templi Sorani non permittitur. *R.* Permitto, ut reparetur templum; non vero, ut urbs inſtauretur, quæ ex ſententia Judicis everſa fuit.

P. IX. Qui turbulento tempore partes Eccleſiæ amplexi ſunt, omnibus fortunis ſuis ſpoliati ſolum vertere coguntur. *R.* Manent in Regno ſecuri omnes, præterquam illi, quos abegit metus, ne geſtorum munerum rationem reddere compellantur, vel in re civili aut capitali ad tribunal vocentur. Nunc eos audio redire tutiſſimos, dummodo actoribus ſatisfaciant. *P. X.* Imperator captum Regis Tunetani nepotem detinet, nec ad Sedem Apoſtolicam ſuſcipiendi baptiſmatis cauſa venire paſſus eſt. *R.* Regis Tunetani nepos adiit Siciliam, non ut baptiſmum acciperet, ſed ut mortem

ſibi

sibi a cognato intentatam effugeret. Nec captivus tenetur, sed in Apulia deambulat, & rogatus, an sacro fonte ablui cuperet, præcise negavit. Si tamen cupiat, gaudebo magnopere, ut jam dixi ad Archiepiscopos Panormitanum ac Messanensem. *P. XI.* Petrus Sarasinus & Frater Jordanus in custodia habentur. *R.* Jussi Petrum Sarasinum comprehendi tanquam inimicum meum, Romæ & alibi famæ meæ obtrectantem. Nullum ei negotium Rex Angliæ injunxerat, sed litteras tantum dederat, quibus me orabat ut homini parcerem, si caperetur. Sed nullam precum rationem habui, quia Rex ignorabat, quid ille vir contra me moliretur. Fratrem vero Jordanum in custodiam dari non jussi, quamvis in sermonibus suis maledico me dente carpsisset: sed e ministris meis aliqui, qui ejus mores & artes norunt, sibi persuasum habent, ejusdem mansionem in Marchia Tarvisiana & in Lombardia mihi noxiam fore. Quare illum asseri in libertatem volui, si sponsorem daret, se his in provinciis haud commoraturum. Sæcul. XIII. A. C. 1239.

P. XII. Imperator Romæ seditionem commovit, per quam & Papam & Cardinales pellere, ac prærogativas Apostolicæ Sedis tollere cogitabat. *R.* Nullas ego Romæ turbas excitavi contra Ecclesiam. Sed Romæ habeo servos meos,

Sæcul. XIII. A. C. 1239.

meos, ſicut anteceſſores mei habuerunt ſuos; & quia interdum contigit, ut Senatores ob authoritatem hominum illis infenſorum electi eisdem nocere vellent, illorum defenſionem ſuſcepi. Tumultus ille tunc erat, cum Senator quidam communibus ſuffragiis electus eſt. *P. XIII.* Imperator Epiſcopum Præneſtinum ſanctæ Sedis Legatum cuſtodia ſeptum teneri juſſit. *R.* Ne ſomnians quidem juſſi: quanquam jubendi ratio mihi non defuiſſet, cum eſſet inimicus meus, & magnam Lombardiæ partem adverſus me concitaſſet. *P. XIV.* Imperator belli ſacri negotium retardat ob ſuas cum quibusdam Lombardis controverſias, in quibus præſtandam illi ſatisfactionem procurare paratus eſt Papa. *R.* Sæpe rem Lombardicam Papæ arbitrio reliqui, ſed nullo fructu. Primum Lombardi condemnati ſunt ad ſubminiſtrandos quadringentos equites, quos Papa in Regnum contra me miſit. Deinde damnati ſunt ad mittendos equites quingentos, qui fuere ad iter transmarinum deſtinati; id quod executioni datum non eſt. Quid multa? illo medio rem conficere nunquam potui. Talia erant Imperatoris reſponſa ad Papæ querimonias, qui ea ſufficere haud cenſuit, cum easdem querelas in litteris proſcriptionis repetierit.

§. XXIII.

Sæcul.XIII.
A.C.1239.

§. XXIII.

Alia Papæ contra Fridericum epistola.

Cum vero vidisset Friderici epistolam ad universos Principes circummissam, edidit aliquam ad omnes pariter Principes, & cunctos ad Præsules scriptam, quæ fusissima est, atque sic inchoatur: *Ascendit e mari bestia plena nominibus blasphemiæ;* sequitur reliqua hujus bestiæ descriptio ex Apocalypsi desumpta. Hæc bestia est Fridericus secundum Papam Gregorium, qui suis in litteris omnia, quæ is Princeps contra ipsum scripserat, evertere conatur tanquam mendacia & calumnias. Repetit, quidquid ab initio Pontificatus sui accidisse meminit. Refert, Fridericum an. 1227. iter in Terram sanctam recusasse per speciem morbi, quem semper pro figmento habet; & oblique illum de morte Provincialis Thuringiæ Comitis accusat, memorans, veneno hunc ab illo necatum dici. Tum de Friderici in Syriam itinere, ac ignominioso cum Sultano fœdere loquitur. Ad exprobrationem, quod per Legatos suos impedierit, ne Fridericus Regnum Hierosolymitanum reciperet, nihil reponit aliud, quam hominem prudentem id credere haud posse.

apud. Rain. 1239. n. 22. Matth. Par. p. 455. to. XI. Conc. p. 340.

Sup. Lib. LXXIX. §. 37.

Ibid. §. 46.

Dein-

Sæcul. XIII. A.C. 1239.

Deinde narrat, Raynaldum Friderici opibus & clientibus beneficiariis suffultum, secundum ejus litteras auro obsignatas in Italia Ecclesiæ terras invasisse. Opum fontem exsiccaturos Ecclesiæ servos bellum in Siciliam intulisse, ac hujus incolas Apostolicæ Sedi tunc parendo jusjurandum Friderico juratum non violasse, utpote per proscriptionem contra hunc latam illius religione solutos. Ad bellum Lombardicum veniens, *Eventus docuit*, ait, *Fridericum hanc regionem fuisse sui juris facturum clementia potius quam severitate adhibita populis ob errata sua jam trepidantibus, ac perperam egisse, quod in suum commodum eos inter se committens, eorundem dissidia foveret.*

Postquam Papa iteravit, quæ in epistola priore dixerat de curis, quibus Ecclesia Romana Fridericum a puero complexa erat, de ingrato hujus erga illam animo, ac de oppressis Ecclesiis Siculis: tranſit ad innocentiam Episcopi Prænestini sui in Lombardia Legati, dicitque, huic Præsuli non posse vitio verti, quod Placentiæ cognatos inter se discordes in gratiam reduxerit, nihil se contra Imperii jura facere asseverans. *Ad Gregorium Montelongium quod attinet, detulimus ei*, pergit Papa, *legationem Lombardicam, bellum præventuri, cum malam Friderici fidem cerneremus, per Archiepiscopum Panormi-*

Conc. p. 346.

normitanum, cæterosque Legatos suos nobis omne satisfactionis genus offerentis, simulque per viam facti Sardiniam, & ad Ecclesiam pertinentes Diœceses Massensem Lunensemque occupantis. Sæcul.XIII. A.C.1239.

Ad illud, quod a Friderico sacra Sede indignus censeretur, *Fatemur*, inquit, *nos & meritis & viribus tanto muneri esse impares : fungimur tamen illo, quantum possumus, & quando necessitas petit, ex plenitudine potestatis nostræ hominibus præclaris legum gratiam facimus. At Fridericus, qui in ipsas functiones ac spiritualem potestatem Episcoporum involare vellet, Ecclesiæ firmitatem labefacere sæpe tentavit, castella & suos inter nostrosque cognatos connubia nobis offerens. Repulsam ferens ut toti aulæ nostræ cognitum est, vilissima utitur arte in nos transferendi, quod ipse fecit.* Hoc pertinet ad propositionem conjugii Papæ neptem inter ac Imperatoris filium naturalem. Addit Papa: *Deus permisit, ut Fridericus ipsemet in litteris suis intimos obcæcati animi sensus detegat, audacter negans a nobis tanquam Christi Vicario se proscribi potuisse. Ergo asserit, Ecclesiam non habere potestatem ligandi & solvendi, a Domino nostro S. Petro ejusque successoribus datam : hæresis hæc est capitalis, e qua concludi potest, eum cæteros fidei articulos non magis credere. Sed, ut vidistis* p. 347.

Sæcul. XIII A. C. 1239

modo, Fridericus in epiſtola ſua expreſſe dicit, ſe Gregorii ſententiam negligere, non per contemptum authoritatis Pontificiæ, ſed propter nos tanquam hominem ea indignum: atque ut demonſtret, ſe judicium Eccleſiæ non abnuere, convocationem concilii poſtulat.

Papa ſubjungit: *Indicia, quid ille credat, certiora habemus. Dixit, toti orbi tres impoſuiſſe deceptores, Chriſtum, Moyſem, ac Mahometem, poſtponens Chriſtum cruci affixum cæteris duobus in gloria mortuis. Adhæc effutiit, tantum inſanos credere, Deum mundi creatorem naſci ex Virgine potuiſſe; hominem non poſſe concipi niſi per conjunctionem duorum ſexuum; nihil credendum, quod ratio naturalis probare nequeat. In tempore ac loco idoneis teſtimoniis planum fieri poterit, eum his omnibus blaſphemiis, pluribusque aliis modis per dicta & facta ſua Chriſtianam fidem impugnaſſe.* Finit epiſtolam, Epiſcopos eam pervulgare jubendo. Data eſt 1. Jul. an. 1239 & impleta convitiis, ut Cæſarea.

ap. Rain. n. 26.

Quod ad blaſphemiam de tribus deceptoribus ſpectat, Matthæus Paris eam refert, ſed tanquam calumniam in Fridericum ab inimicis ſuis inſtructam, quæ tamen ejus famam obſcuraverit. *Perhibebant etiam*, addit, *eum abominandas & incredibiles blasphemias de Euchariſtia protuliſſe,*

Matth. Par. p. 408.

tuliſſe, ac religioni Mahometanæ quam Chriſtianæ majorem habuiſſe fidem: denique manavit in vulgus rumor, eum pridem cum Saracenis fœderatum fuiſſe, atque his magis favere quam Chriſtianis. Talium ſermonum authores peccent, nec ne, Deus ſcit. Ita Matthæus Paris. Coævus vitæ Gregorii IX. ſcriptor de hoc Friderici errore ſic loquitur: *Hunc ei offudit commercium cum Græcis & Arabibus, qui ex ſyderum cognitione ei monarchiam univerſalem pollicendo tantam inſpirarunt amentiam, ut ſub ſpecie hominis ſe Deum eſſe credens ferociter diceret, per tres deceptores humanum genus ludificatum fuiſſe.* Adjungebat, quartam falſiaciam a ſimplicibus toleratam, nempe authoritatem Papæ ſibi deſtruendam eſſe.

Sæcul. XIII. A.C. 1239.

ap. Rain. 1239. n. 28.

§. XXIV.

Friderici Reſponſum.

Imperator lectis his litteris non omiſit reſpondere; ſed ad Cardinales miſit epiſtolam, in qua primum ſtatuit allegoriam de duobus luminaribus magnis, Sacerdotium & Imperium ſignificaturus: unde patet, hoc principium ab utraque parte fuiſſe tunc agnitum. Dein Papæ pro convitiis convitia rependit, pariter figuras e ſacris litteris depromptas adhibens. *Hic eſt,* ait, *grandis ille draco, qui depra-*

Petr. de Vin. I. ep. 31.

Sæcul. XIII. A.C. 1239.

depravat orbem, Antichriſtus, alter Balaam, & quidam princeps tenebrarum. De tribus deceptoribus ſe purgaturus, correctam & catholicam profitetur fidem divinæ in Chriſto naturæ cum humana conjunctæ; loquiturque de Moyſe ac de Mahomete, ſicut Chriſtiano loquendum eſt. Cardinalibus objicit iracundiæ impetus in Papa non cohibitos, quos ſuorum contra Lombardos progreſſuum invidiæ tribuit. Aſſerit, Papam amittendo virtutem amiſiſſe poteſtatem ſuam, ejusque cenſuras eſſe nullas & injurias, quæ ſibi etiam ferro ſint vindicandæ, niſi Cardinales Papæ ſaniora perſuadeant, & tam violentam agendi rationem coërceant.

§. XXV.

Decreta contra Papam.

Ric. S. Ger. p. 1031.

Sic indicto utrimque bello Imperator Fridericus menſe Junio an. 1239 in Sicilia promulgari juſſit puncta ſequentia. Fratres Prædicatores, Minoresque a rebellibus Lombardiæ locis oriundi e Regno abiguntor, ac reliquis cautio adhibetor, nequid contra Imperatorem agant! Idem de cæteris Religioſis dictum eſto! Eccleſiis Cathedralibus, Collegiis Canonicorum, Clero reliquo & monachis tam nigris quam candidis pro quorumvis opibus ſubſidium Cæſari ferendum injungitor!

gitor! Qui sunt in curia Romana, revertuntor: alioquin eorum bona publicantor! Bona & beneficia, quæ Clerici extranei in Regno possident, etiam fisco addicuntor! Nemini iter ad aulam Romanam, vel ex ea reditus sine Imperatorio consensu permittitor! Collocantor vigiliæ, quæ impediant, ne vir aut fœmina in Regnum Papæ litteras contra Imperatorem ferat: quisquis hominum hac in re deprehensus fuerit, e furca suspenditor! Qui fert litteras fiduciarias, argumentum earum exponere jubetor: si contra Principem sint, easdem pœnas dato! Sæcul.XIII. A.C.1239.

Ad hoc Imperatoris decretum pertinet epistola Siciliæ Prætori scripta, in qua dicit, Papam per Fratres Prædicatores Minoresque & alios Religiosos illuc misisse litteras, ac præcepisse, ut proscriptio & interdictum contra Cæsarem editum ibi observaretur. Is itaque Prætori imperat, ut ad Rogum damnet quemvis hominem, cujuscunque status, ætatis vel sexus fuerit, qui tales tradidisset litteras, vel accepisset, aut illa Papæ mandata esset reveritus. Quin etiam vult cuilibet permissum esse, ut supplicio eos afficiat, quos in tali facto deprehenderit. Monachos quoque, præsertim Cassinenses acerbe habuit Fridericus, dum mense Aprili collocatis ad Abbatiam excubiis, eam exactionibus oneravit, monachosque *Petr.de Vin. l. ep. 19.* *Rit. S. Ger. 1239.* *Vita Greg. ap. Rain. n. 30.*

Sæcul. XIII. A. C. 1239.

identidem pepulit ita, ut menſe Julio tantum octo relinqueret Dei cultum proſecuturos.

§. XXVI.

Expeditio in Terram ſanctam retardata.

Interim Papa Francos Conſtantinopoli extremas in anguſtias adductos audiens conabatur, ad eorum ſubſidium convertere omnes ſacrorum militum vires, non eorum duntaxat, qui crucem induerant illuc cum Imperatore Balduino ituri, verum etiam illorum, qui acceperant crucem eo fine, ut recta Syriam peterent, & qui potiores erant. Ducem ſequebantur Theobaldum VI. Campaniæ Comitem, qui poſt obitum Sanctii Fortis avunculi ſui Navarræ ſolium conſcendit. Erat filius poſthumus Theobaldi V, qui ob exhortationes Fulconis Nevilliacenſis ſacram amplexus militiam anno 1201, cum ſe ad iter pararet, vitæ curriculum confecit. Ita Theobaldus VI tres ac triginta annos natus erat, cum Rex ſolenni pompa inauguratus eſt ſecunda Dominica poſt Paſcha 7 Maji an. 1234. & votum patris Deo perſoluturus anno ſequente ſymbolicæ crucis militiam iniit, ſociosque hac in re habuit Petrum Drocenſem Britanniæ Ducem agnomine Malclericum, Hugo-

Sup. Lib. LXXV. §. 39.

Alber. 1234. 1235.

Hugonem IV Ducem Burgundiæ, Regum Gallicorum ſanguine ortos, Henricum Comitem Barenſem, Amalaricum Comitem Montfortium, Comitem Vindocinenſem, pluresque alios nobiles Francos. Sæcul.XIII. A.C.1239.

Cum iter ſuum a Papa retardari, piorumque partem legatorum, ac cæterorum munerum, quæ Terræ ſanctæ ſubſidio deſtinata ipſorum manibus tradi juſſerat, ſubtrahi vidiſſent, ſuam ei admirationem angoremque per litteras ſignificabant. Quibus ille hæc repoſuit: *Terræ ſanctæ negotium, ne dubitate, maxime nobis cordi eſt. Sed Romaniæ Imperio, in quo illud totum nititur, imminens excidium noſtras ad ſe conſervandum curas convertit. Inita proin cum fratribus noſtris Cardinalibus conſultatione, ſuppetias Terræ ſanctæ deſtinatas Romaniæ Imperio mittere ſtatuimus: id quod vobis moleſtum non accidat: e contrario vos adhortamur, ut vos præparetis ad tranſitum, quem in propinquum S. Joannis Feſtum indicimus.* Epiſtola Proceribus nominatis, excepto Britanniæ Duce, inſcripta eſt, & data Romæ 9. Mart. 1239. *XII. ep.* 399. *ap. Rain.* n. 79.

Optimates Cruce ſignati reapſe Lugdunum convenerunt, itineris rationem omnem ſibi præſcripturi: ſed colloquentibus citiſſime ſuperveniens Papæ nuncius exhibitis hujus mandatis, ne ultra procederent, vetuit, monuitque, ut pro- *Matth. Par.* 1239. *p.* 461.

Sæcul. XIII. A. C. 1239.

pere suas redirent domos. Illi una omnes voce respondebant: *Unde hæc in Aula Romana variatio? Non hic est terminus locusque nobis dudum per Papæ Nuncios & concionatores assignatus? Secundum promissa eorum pro divino cultu ad iter nos accinximus: victum, arma, cunctaque nobis necessaria præparavimus: nostras terras, domos, ac supellectilem oppignoravimus aut vendidimus: amicos nostros valere jussimus: pecunias nostras in Terram sanctam præmisimus, nostrum adventum annunciavimus: prope portum sumus: & modo Pastores nostri aliud loquentes Christi cultum impedire volunt.* Indignatio erat tanta, ut in Papæ nuncium involassent, nisi Præsules multitudinis impetum continuissent.

Mox dein aderant Imperatoris Legati, qui cruce signatis vehementer suadebant, ne sine ductu ejus proficisci temere properarent, dabantque scriptas ad ipsos hac de re litteras, quibus ille se excusabat, quod nondum iter faceret. Hæ Papæ ac Imperatoris oppositiones cruce signatos in molestissimum statum deduxere: nesciebant, quid agendum sibi esset, nec inter se consentiebant amplius. Multi domum redibant, conquesti de Præsulibus, qui ad suscipiendum hoc consilium ipsos impulerant: Quidam Massiliæ naves conscendebant cum Navarræ Re-

ge,

ge, qui menſe Auguſto ex urbis illius portu avectus eſt in Terram ſanctam: complures illorum in Sicilia expectabant Proceres verno tempore venturos: alii permiſſu Imperatoris Brunduſium petiere. Sæcul. XIII. A.C. 1239.

Ric. S. Ger. p. 1032. Alberic. 1239. p. 572.

§. XXVII.

Spinea Chriſti corona Pariſios delata.

Conſtantinopolitanus Imperator Balduinus Curtiniacenſis etiamnum in Gallia commorabatur, ubi ſacros milites, quotquot poterat, colligebat in Romaniam transmittendos. Atque ut ſui iti neris bellique contra Græcos gerendi ſumptibus par eſſet, ſuum Comitatum Namurcenſem Regi Sancto Ludovico cognato ſuo pro quinquagies mille libris Pariſienſibus pignori dedit, eidemque ſpineam D. N. coronam Venetis oppignoratam donavit. Igitur ad Regem, Reginamque Blancam ejus matrem dicebat: *Exploratum, perſpectumque habeo, Proceres Conſtantinopoli incluſos ſumma rerum omnium penuria compulſum iri ſanctam coronam extraneis vendere, aut ſaltem pignori dare. Quare theſaurum tam pretioſum tibi deferri cupio, Tibi, inquam, cognato, Domino, ac benefico fautori meo, ac Regno Francico meæ patriæ. Hoc donum gratuitum accipere ut placeat, oro.* Sic loquebatur,

Alberic. p. 572. Phil. Mousques p. 227. Du Cange hiſt. CP. lib. 4. n. 15. Hiſt ſuſcept. Cor. Spin. Ducheſne to. 5. p. 409.

Du Cange n. 11.

Sæcul. XIII. A.C. 1239.

ut ne Rex sibi religioni duceret, tales reliquias pecuniis emere. Rex gaudio perfusus, plurimas Balduino gratias egit, ac donationem admisit, id, quod anno 1238. factum.

Protinus Constantinopolin missi sunt duo Fratres Prædicatores Jacobus & Andreas, qui rem executioni darent. Jacobus præerat Constantinopolitano Ordinis sui cœnobio, sanctam coronam sæpe viderat, & quod ad eam attinebat, id bene noverat. Imperator Balduinus abeuntibus adjunxit Nuncium litteris patentibus instructum, per quas Proceres sanctam coronam Regiis Nunciis tradere jubebat. Qui Constantinopolin delati audierunt, Imperii Barones extrema necessitate coactos coronam Venetis pro magna pecuniæ summa oppignorasse ea conditione, ut, nisi Festo S. Gervasii die 19 Junii redempta esset, ex pignore in rem venditam conversa Venetorum propria fieret, atque interim Venetias transferretur. Constantinopolitani Barones lectis Balduini Domini sui litteris, cum Venetis pacti sunt, ut eam Nuncii Regii cum Imperii Legatis ac civium spectatissimis Venetias deferrent. Cista illam continens Francicorum Constantinopolis Procerum sigillis munita fuit. Vectores tantum fiduciæ in eadem ponebant, ut tempore ad navigandum minime idoneo circi-

circiter Christi Natalem an. 1238 naves conscenderent. Vatacius Imperator Græcus per exploratores suos de hac translatione certior factus aliquot triremes diversa in freta Francis transeunda miserat. Nihil tamen adversi eis accidit, sed Venetias prospere advenerunt. Sæcul.XIII. A.C.1239.

Ibi coronæ in thesauro Sacelli S.Marci depositæ custos remansit Frater Andreas. Sed frater Jacobus celeriter reversus in Galliam S.Ludovicum Regem, ac Reginam ejus matrem gaudiis complevit rem denuncians. Rex igitur ac Imperator Balduinus cum Fratre Jacobo Legatos præceptis amplis pecuniisque necessariis instructos ad redimendam coronam Venetias miserunt, exoratusque Fridericus Imperator est, ut præsidium Legatis & auxilium, si opus foret, adjungeret. Hi Venetiis mercatores Gallos invenere, qui jussu Regis cupitam pecuniam omnem obtulerunt. Veneti coronam, quam retinere, quantumvis vellent, per pactum non licuit, receptis pecuniis suis reddidere. Legati exploratis illius sigillis iter ingressi, favente semper cœlo gaudebant ita, ut nullius imbris incommodum per viam paterentur, quamvis sæpe plueret, cum diversorium subiissent, Trecas in Campaniæ urbem delati miserunt, qui ad Regem id referret. Hic celeriter profectus, Regina matre, fratribus

Sæcul. XIII. A. C. 1239.

tribus suis, Gualterio Archiepiscopo Senonensi, Bernardo Episcopo Antisiodorensi, & quibusdam Proceribus aliis comitantibus coronam *Villæ Novæ Archiepiscopi prope Senones* invenit.

Aperta cista lignea agnoscebantur sigilla Procerum Francorum ac Venetiarum Ducis appositа capsæ argenteæ, quæ vas aureum sanctam coronam continens circumdabat. Cum hæc detecta esset, Regi cunctisque præsentibus spectanda dabatur, qui soluti in lachrymas JESUM ipsum spinis coronatum conspicere sibi videbantur. Id Festo S. Laurentii die factum. Postridie 11 Augusti 1239 corona Senones deferebatur. In urbis ingressu Rex ac Robertus ejus fratrum natu major, Comes Atrebatensis, illam humeris suis imponebant induso amicti nudisque pedibus; atque sic eandem ad Metropolitanam S. Stephani Ecclesiam portabant in medio totius Cleri Senonensis, qui solenniſſimo publicæ supplicationis ritu obviam processerat. Altero die Rex Parisios petiit, ubi die octava sancta corona excepta est. Prope Abbatiam S. Antonii erectum erat grande pegma, quod multi Præsules occupaverant Pontificiis ornati vestibus: ibi capsa omni populo monstrabatur. Tum Rex Comesque Atrebatensis nudis rursum pedibus & subucula tecti humeris suis impositam

sitam in Cathedrale Dominæ Nostræ tem- Sæcul XIII.
plum, indeque in palatium tulere, ubi Re- A.C.1239.
gio in sacello, quod tunc S. Nicolai ædi-
cula erat, collocata fuit. *Dubois hist. Eccles. Paris. lib. 15. c. 4. n. 11.*

At post aliquot annorum spatium Rex haud exigua veræ crucis parte, aliisque reliquiis multis Constantinopolitano e sacrario acceptis, sacellum, quod hodie cernimus, exstruxit tanta architecturæ magnificentia elegantiaque, quanta tunc temporis haberi poterat; collegiumque instituit ante sanctas reliquias sacris operaturum. Ecclesia Parisiensis 11 Augusti celebrat festum susceptæ coronæ spineæ, cujus rei historiam jam tum Gualterius Cornus Archiepiscopus Senonensis scripsit.

§. XXVIII.

Concilium Turonense.

Eodem anno 1239 Juhel Archiepisco- *to. XI. p. 559*
pus Turonensis in Metropoli sua alterum cum Suffraganeis suis concilium celebrans, tredecim de instauranda disciplina canones edidit, quorum primus habet: Cum approbatione sacri Concilii: *c. 1.*
quod indicat, hanc formulam Papæ ac Legatis ejus non fuisse peculiarem. Id *c. 4.*
concilium præcipit, quæ sequuntur. In quavis parœcia tres Clerici aut laici con- *c. 5. 6.*
stituantur, qui Episcopo vel Archidiaco-
no,

Sæcul. XIII. A.C. 1239.

no, cum interrogati fuerint, de scandalis contra fidem ac bonos mores rationem reddant. Sacramenta gratis administrentur, salvis tamen piis consuetudinibus. Curiones sacri, seu Rectores, ut in Britannia etiamnum vocantur, suæ fidei commissos authoritate propria non proscribant: alioqui sententia erit nulla.

c. 8.

Cang. Gloss. allocatus.

Archidiaconi, Archipresbyteri, aliique Judices Ecclesiastici jurisdictionem suam ipsimet exerceant, nec habeant extra urbem vicarios: alioquin horum judicia erunt irrita. Proscriptiones non ferantur nisi re mature perpensa post monitiones ac intervalla convenientia. Si proscripti non obediant, proscribantur etiam ii, qui cum illis ad forum venalium, ad furnum, ad pistrinum iverint, ac ii denique, qui cum illis potaverint, aut comederint. Etiam civilis Magistratus præsidium, si opus sit, contra illos imploretur: eorum vero, qui cum iisdem versati fuerint, proscriptio generalis non fiat, ne animæ periclitentur. Monachi Ecclesiis parœciarum non serviant. Clerici & monachi in ædibus ac prioratibus suis non habeant famulas. Clerici possidentes beneficia, vel sacris Ordinibus initiati filiis spuriis aut concubinis suis per testamentum nihil relinquant. Hæ sanctiones non præbent honorificam Ecclesiæ speciem. Anno sequente 1240 Joan-

c. 9.

c. 10.

c. 12.

c. 13.

Lobin. hist. VIII. n. 4.

Preu p. 392.

nes

nes Britanniæ Dux ob preces Episcopo- Sæcul.XIII.
rum ac Procerum Judæos ex omnibus A.C.1239.
terris sibi subjectis omnino expulit per edictum die Martis ante Pascha, nempe 10 Aprilis factum.

§. XXIX.

Manichæi combusti.

Hoc anno 1239. 13 Maji die Veneris ante Pentecosten animadversio insignis in Bulgaros seu Manichæos facta est Monthemii in Campania Diœcesis Catalaunensis, præsentibus cum Navarræ Rege provinciæ Baronibus, Archiepiscopo Remensi, ac quindecim Episcopis, nempe Suessionum, Tornaci, Cameraci, Atrebati, Tarvannæ, Novioduni, Lauduni, Silvanecti, Bellovaci, Catalauni (harum duarum urbium Episcopi erant solum electi) Aureliani, Trecarum, Meldarum, Viroduni, & Lingonum; aderant etiam multi Abbates, Priores, Decani, aliique Ecclesiastici: populus, qui hoc ad spectaculum venerat, centies mille animas conficere videbatur. Centum octoginta tres hæretici sunt ignibus ibi consumpti, *acceptum Deo holocaustum*, ait monachus Albericus scriptor illius temporis. *Habebant*, addit, *inter se anum quandam magnæ existimationis Gislam nomine, Provini natam, quam vocabant Abbatissam: hujus* *Alberic.* *p.* 569.

ap. Echard. *p.* 560.

suppli-

Sæcul. XIII. A. C. 1239.

ſupplicium delatum fuit, quia ſe magnum inſuper eorum numerum proditurum fratri Roberto promiſerat. Frater Stephanus Borbonienſis, aut Bellavillanus Ordinis S. Dominici ſe horum hæreticorum damnationi interfuiſſe dicit.

Alberic. p. 560.

Frater Robertus, qui eandem urgebat, pariter Ordinis Prædicatorum erat, cognomento Bulgarus, quia Bulgaricam ſectam ſecutus fuerat. Nam ſub tempus magni concilii an. 1215 habiti a fœmina Manichæa Mediolanum ductus, hauſtam ibi hanc hæreſin per viginti annos ita foverat, ut inter Bulgaros perfectiſſimos numeraretur. Ab his ad fidem ſanam & in Ordinem Prædicatorum tranſiit; ubi doctrina fortique ac prompta facundia ſua grande adeptus nomen, vehementer in hæreticos illos exarſit, quos ob diuturnam conſuetudinem cum ipſis junctam vel ex ſermone ac geſtu ſibi innoteſcere aſſerebat. Quam plurimos eorum in Flandria præcipue manifeſtos fecit, addixitque ignibus absque miſericordia, præſidio Sancti Ludovici fultus, cui per virtutis larvam imponebat. Verum accepta Inquiſitoris authoritate abuſus, nec niſi formidabilem ſe reddere cogitans, omnem exceſſit modum, & innocentes cum ſontibus confudit. Quare a Papa exauthoratus, tam multorum denique criminum convi-

Matth. Par. 1238. p. 407.

convictus est, ut ad perpetuum carcerem condemnaretur. Sæcul.XIII. A.C.1239.

§. XXX.

Censuræ in Provincia Remensi.

Henricus Bronienſis Archiepiſcopus Remenſis interdixerat urbis Eccleſias, & anathemate cives mulctaverat reos ſeditionis commotæ in ſuum Prætorem ac hujus adminiſtros, nimium rigidos exactores pecuniarum, ad quas Archiepiſcopo ſolvendas cives damnati fuerant. Papa Gregorius has cenſuras ratas habuit per litteras 11 Junii an. 1239 datas, quibus præcipit, ut proventus civium, niſi ad officium redeant, ac pecuniæ iis debitæ in nundinis & ubique detineantur. *Marlot. to.2 lib.3. c.32. p. 526. Sup. Lib. LXXX. §. 52. ap. Rain. n. 76.*

Thomas Bellomeſius, Nobilis Arteſiæ vir, cujus jam facta eſt mentio, parentes habuit Ægydium Bellomeſi Dominum, Caſtellanum Bapalmæ Dynaſtam, & Agnetem Cocciam; atque ita Archiepiſcopum Henricum cognatione contingebat. A prima juventute ſua fuit Canonicus Atrebatenſis, dein factus ab Archiepiſcopo Canonicus ac Præpoſitus Remenſis. Rege ac Epiſcopo Bellovacenſi inter ſe diffidentibus, Thomas Remis pulſus, illuc nondum redierat, cum a tribus provinciæ Nobilibus, Nicolao Rumignio, Collar- *Marlot. p. 541.*

Sæcul. XIII. A.C. 1239.

do ejus filio, & Hugone Grisondelio (incertum, qua de causa) captus, & in custodia detentus est. Itaque Henricus Archiepiscopus Quintinopoli mense Novembri an. 1239 concilium habuit, in quo tria fiebant decreta. Primum hujusmodi est: Tres Nobiles admonebuntur, ut Thomam Bellomesium libertati restituant, illique ac Ecclesiis, quarum est Canonicus, pro illata injuria satisfaciant. Sin minus; Summi Pontificis ac præsentis Concilii authoritate proscripti denunciabuntur. Si anathema per quindecim dies sustinuerint, terræ, quas in provincia Remensi habent, erunt interdictæ, donec illi Thomam Præpositum reddant, & damna compensent. Postquam quindecim dies ab interdicti promulgatione effluxerint, illorum filii in provincia Remensi per viginti annos nullum ad beneficium admittentur. Si hæc media non suffecerint, auxilium Dominorum, quibus illorum prædia beneficiaria subjecta sunt, implorabitur. Si hi Domini officii sui immemores præscripto sibi tempore illos ad Ecclesiam redire non compulerint, proscribentur, ac eorum terræ sub interdicto erunt. Denique supremo Domino profano, nempe Regi supplicamus, ut pro liberando Præposito, ac pro Ecclesiastico jure conservando authoritatem suam interponat. Necdum vidi censu-

to. XI. conc. p. 568. Marlot. p. 527.

ras

ras Ecclesiasticas in hos duos gradus e- Sæcul. XIII.
latas. Alterum decretum est generale, A. C. 1239.
ac extendit easdem pœnas ad omnes, qui cujusdam Cathedralis in provincia Remensi Ecclesiæ Canonicum aliquem comprehenderint. Decretum tertium illas porrigit usque ad membrum Ecclesiæ Canonicorum Collegio insignis. Omnia tria edita sunt die Lunæ ante Festum S. Andreæ, scilicet 28 Novembris an. 1239.

§. XXXI.

Ecclesia Anglica.

Hoc anno Henricus Anglorum Rex of- *Matth. Par.*
fensus, quod Guilielmus Sabaudus *p.* 419.
non fuerit electus Episcopus Vinconiensis, electiones duas, alteram Simonis Prioris Cathedralis Ecclesiæ Norvicensis in ejusdem Ecclesiæ Episcopum, alteram Radulphi Vimiacensis Episcopi Cicestriensis in Vinconiensem per curiam Romanam irritas reddi curavit. Has abrogationes obtinuit opera Simonis Normanni unius e legulejis suis, quorum grandem habebat numerum, inquit Matthæus Paris, velut catervam canum, quos in Præsulum electores immitteret. Per eundem Simonem a Papa petiit, ut Legatum Ottonem diutius in Anglia morari juberet, quamquam hic Romam reverti *p.* 411.

Sæcul. XIII. A.C. 1239.

tendi copiam impetraverat. Rex enim haud posse se sine illo vivere credebat, ac præ gaudio exiluit, eum ex novo Papæ imperio permanere videns. Contra Nobilium Ordo Regis hanc agendi rationem indigne tulit.

p. 462.

Interea Guilielmus Relius, a monachis Conventrienſibus, rem gratam Regi se facere ratis, & paulo post a monachis Norvicensibus in Episcopum electus, Norvico Conventriam posthabuit, Wallis etiamnum indomitis nimium vicinam. Igitur eodem anno 1239 in Episcopum Norvicensem a S. Edmundo Archiepiscopo Cantuariensi Londini in templo S. Pauli præsente Præsulum Procerumque multitudine consecratus fuit.

Æg. Aur. val. c. 132. 133. Alberic. p. 574.

Alia ex parte Guilielmus Sabaudus Sedem Vinconiensem cupere desiit ad Leodiensem evectus, a 2 Maji an. 1238 vacantem per obitum Joannis Eppii. Sub Festum S. Joannis itum est in suffragia, quæ divisa erant: pars Ottonem Præpositum Trajectensem, pars Guilielmum Sabaudum electum Episcopum Valentinum, Thomæ Flandriæ Comitis fratrem cooptavit. Utraque jus a Curia Romana petiit; ac re momentis suis ponderata, Summus Pontifex electionem Guilielmi ratam habuit præsente Conrado Archiepiscopo Colonienſi ejus Metropolitano; sed ingratiis Imperatoris Friderici Otto-

Ottonem protegentis. Papa dicebatur Guilielmo copias suas contra Imperatorem ducendas committere velle: atque certum est, illum ei Valentini Episcopatus administrationem permisisse. Guilielmus permansit in Italia, & a Papa Gregorio in Episcopum Leodiensem inauguratus est. Sæcul. XIII. A. C. 1239. *Matth. Par. p. 413.*

Interea Conradus Imperatoris filius Leodium delatus Ottonem contra canones in Pontificiæ Sedis possessionem misit: sed cum cives ad jurandam ei fidelitatem adigere vellet, repoſuerunt, Episcopo ab Ecclesia secundum canones recepto id se libenter facturos. Durante prope per anni unius spatium schismate ambarum partium copiæ Diœcesin Leodiensem impune diripiebant. Denique compertum est, Guilielmum Sabaudum Viterbii die Festo Sanctorum Omnium an. 1239 vita functum in Cistercienſi Sabaudiæ Abbatia Altecumba terræ mandatum esse. Quæ res Papam quidem vehementer, Angliæ vero Regem adeo afflixit, ut laceraret vestes suas, & in ignem conjiceret. Tum monachi Collegii Vinconiensis Romam missi a Papa obtinuere litteras, per quas declarabat, eos non posse in Episcopum suum eligere extraneum Regno odiosum, quisquis eum commendaret, vel ita juberet, sed debere libere ac secundum canones, quem dignissi- *Matth. Par. p. 463.* *p. 465.*

Sæcul. XIII. A.C. 1239.

gnissimum censerent, eligere. Id autem Regis animum ad furorem usque exasperavit, velut si nequiret invenire Anglum, qui illam sedem mereretur.

p. 413.

Eodem anno 19 Junii natus ei Londini filius est, quem Eduardum nominari voluit. Huic Exorcismos Episcopus Carliolensis, salutis fontem Legatus Otto nondum Sacerdos, Christianæ palæstræ oleum S. Edmundus Archiepiscopus Cantuariensis adhibuit. Notatu dignum est, illas cerimonias in plures viros divisas, & Confirmationis Sacramentum mox additum fuisse. Infantem e sacro fonte susceperunt viri novem, tres Episcopi, Rogerius Londinensis, Gualterius Carliolensis, & Guilielmus Relius electus Norvicensis; tres Comites, ac tres alii, in quorum numero erat Simon Normannus Archidiaconus Norvicensis.

§. XXXII.

Papa Principes in Fridericum concitat.

G. Nang. Duchesne to. 5. p. 335. to. XI. Conc. p. 366. Preu. lib. Gall. p. 10.

Interim Papa Jacobum Episcopum Prænestinum, olim monachum Cistercien-sem, ut Legatum misit, qui sacri anathematis sententiam contra Imperatorem Fridericum latam per totam Galliam promulgaret. Ferebat is Papæ Gregorii ad Regem S. Ludovicum epistolam, in qua

ille

ille fusis laudibus Franciæ Regum, quos omni tempore in fide firmos, ac fervidos Ecclesiæ defensores fuisse agnoscit, hæc adjungit: *Quare magna fiducia ad te confugimus, tibique detegimus vulnera, quæ Fridericus Ecclesiæ inflixit, in divina mysteria, a quibus ante nostram sui damnationem velut ethnicus refugiebat, se intrudens, & contra nos litteras calumniis plenas divulgans.* Legatum deinde Regi commendat, asseritque, majus esse meritum Fridericum fidei hostem impugnare, quam ethnicis Terram sanctam adimere. Dabat 21 Oct. 1239. Eodem mense Legatus in viam se dedit: ne vero in Friderici manus incideret, sub veste peregrini unico cum socio terrestri itinere Genuam delatus mari se commisit.

Sæcul. XIII. A. C. 1239.

Ric. S. Ger. p. 1033.

In Germaniam quoque duas contra Fridericum epistolas misit Alberto Archidiacono Passavienſi, ac Philippo Assisinati Nuncio suo inscriptas. In priore 24. Septembris data queritur, quod quidam Friderico contra Deum ac Ecclesiam Romanam suppetias eant. *Perperam*, inquit, *retinere Imperii habenas hic Princeps cupit: in sua crimina non consentientes Proceres acerbe habet, eorum immunitatem vel prærogativas non respiciens: eos mittit in carceres, proscribit, per proditionem necari jubet, aut ethnicis sicariis exponit, quod de Christiano Principe non est audi-*

Bullar. Greg. IX. n. 13.

Sæcul. XIII. A. C. 1239.

tum. Aliquot Episcopos Ecclesiasticis aliisque bonis suis exutos e Sicilia, quæ S. Petri patrimonium est, expulit. Profanavit templa: pauperes, viduas, pupillos, ac Religiosos spoliavit, immo quendam ex Ordine Fratrum Minorum sine juridica causæ cognitione comburi jussit. Per contemptum nostri anathematis sacrificium divinum coram se palam peragi voluit, illam sententiam non esse observandam asserens, & hoc ipso hæreticum se demonstrans. Papa finit tum prohibendo, ne Præsules, Optimates, & Christiana Germania ullum Friderico auxilium ferant, tum præcipiendo ambobus, quibus hæc scripsit, viris, ut huic inhibitioni obedientiam præstari curent, illius violatores ab Ecclesiæ communione arcendo. Altera epistola, 23. Novembris data, est mera ejusdem inhibitionis repetitio, & iteratum executionis imperium.

Matth. Par. p. 463. Alb. Stad. an. 1239. 1240.

Verum Germaniæ Præsules his minis parum tacti orabant Summum Pontificem, ne suas censuras contra Imperatorem promulgare ipsos cogeret; sed ut e contrario pacem cum eo jungere conaretur, offendiculum in Ecclesia factum sublaturus. Bertoldus Aquilejensis Patriarcha Papæ censurarum tam modicam rationem habuit, ut cum Imperatore Friderico communionem omnibus modis, in sacris, in pacis osculo, & ad mensam cole-

coleret. Papa hoc ei vehementer exprobravit per litteras 19 Decembris 1239 datas. *Nihilominus*, ait, *ab anathemate, in quod incurristi, te absolvam, dum modo celerrime ad me veneris. Et id favoris tibi exhibebo in gratiam tuorum nepotum, Belæ Hungarorum Regis & Colomani, eo gaudentis fratre.* Bertoldus patrem habuit Moraviæ Ducem, sorores autem Gertrudem Hungariæ Reginam, tam Regis Belæ IV. quam S. Elisabethæ matrem, & S. Hedwigem Poloniæ Reginam. Sæcul.XIII. A.C.1239. *ap. Ughel. to. 5. p. 88.*

Equitibus Teutonicis etiam Friderici partes sequentibus Papa minabatur, se omnes ipsorum prærogativas, nisi eum relinquerent, resciturum. Ineunte Novembri Anagnia Romam reversus, 18 ejusdem mensis octava S. Martini anathema contra Fridericum confirmavit, ac Henricum filium ejus spurium, mense Septembri Marchia Anconitana potitum, recens proscripsit, eam ad Ecclesiam pertinere asserens. *XIII. ep. 74. ap. Rain. n. 36.* *Ric. S. Ger. p. 1033.*

§. XXXIII.

Frater Elias iterum exauthoratus.

Imperator Fridericus in Hetruria interim commorans Pisis Natalem Christi solenniſſime celebravit, & in Ecclesia majore sacris interfuit, negligens interdictum Pontificium pronunciatum adver- *Richard. S. Germ. Vita Greg. ap. Rain. n. 34.*

Sæcul. XIII. A.C. 1239.

sus loca, in quibus ipse versaretur. Ibi eum convenit frater Elias, cui Generalis Fratrum Minorum Ministri munus paulo ante abrogatum fuerat. Sub initium anni 1236. ei rursus erat delatum loco Joannis Parentii, qui partibus fortioribus demisso cessit animo, cum Ordinem sex annis rexisset. Elias semper veterem suam agendi rationem prosequens, per speciem prudentiæ remissionem disciplinæ introducere conabatur, pauciſſimos posse S. Francisci vestigiis insistere affirmans. Numerosas partes, faventesque habebat primarios viros Ecclesiasticos & profanos ob suam in gerendis rebus dexteritatem, morumque ac sermonis elegantiam. Sed strenui disciplinæ cultores ei fortiter se opponebant sequentes Germanum quendam Spirensem, Cæsarium nomine, hominem doctum ac eximia virtute præditum.

Vading. 1236 n. 1. 2. 3. &c.

Sun. Lib. LXXIX. §. 63.

Elias benigne auditis bona verba dedit; adiit vero Papam, dixitque: *Habemus quosdam fratres simplices ac rudes, qui tamen magna in existimatione sunt etiam foris, quia discipuli S. Francisci comitesque fuerunt: obstinati suis in sententiis perstant, & velut si Superiorem non haberent, huc illuc euntes, docent praxes singulares ac Ordini noxias. Religione me obstrictum puto, ut rem ad Sanctitatem tuam deferam.* Sic præventus Papa Eliæ amplam hos seditiosos

ditioſos coërcendi poteſtatem fecit. Nihil is aliud cupierat, & Aſſiſium reverſus exagitare cæpit Cæſarianos: ita vocabantur, qui ei obſiſtebant. Multos in exilium, multos in carcerem miſit, inter alios fratrem Cæſarium manibus pedibusque vinctum. Poſtea demptæ quidem ei ſunt catenæ: ſed duos annos integros 1237 & 1238 incluſus manſit. Ineunte anno 1239 carceris fores apertas videns, perfrigida tempeſtate pauliſper deambulatum exierat, cum eum cuſtos ſuus frater laicus, homo crudelis, fugiturum ratus, accurrit cum baculo, quo tam atrociter ejusdem caput percuſſit, ut eodem loco animam efflaret. Sæcul.XIII. A.C.1239.

Papa re comperta ſe ab Elia deceptum ſentiens, generalia omnium Miniſtrorum Provincialium comitia Romæ celebranda edixit, quæ ſecundo Pentecoſtes die 16 Maji peragebantur. In his Papa Eliam iterum loco movit, ac ſe præſente alium Generalem Ordinis Miniſtrum eligi voluit. Electus eſt Papa conſentiente Albertus Piſanus per Angliam Miniſter Provincialis; ſed poſt menſium trium ac dimidii ſpatium ſub Natalem Dominæ Noſtræ diem e vita ceſſit. In ejus locum Feſto Sanctorum Omnium die ſuffectus eſt Haimo Fevershamenſis Anglus, alter duorum, qui ad Germanum Græcum Patriarcham Conſtantinopolitanum

Sæcul. XIII. A.C. 1239.

tanum missi fuerant. Elias erepto sibi munere adeo excanduit, ut adiret Imperatorem, seque illi addiceret. Ecclesiam Romanam velut usuris, sacrilegis mercatibus & avaritia plenam infamabat. Dicebat, Papam conari jura Imperii minuere, ac per varias artes pecunias congerere, cum deberet preces, supplicationes publicas, & jejunia adhibere, ut ab oppressione se liberaret. Accusabat Papam, quod pecunias ad subsidium Terræ sanctæ destinatas huic subduceret; quod diplomata secreto ac insciis Cardinalibus in conclavi suo obsignaret; quod Nunciis suis folia pura sigillo munita traderet, ut, quæ vellent, in eis scriberent. De pluribus aliis rebus indignis eundem arguebat: qui proin sacro illum fulmine perculit.

Ric. S. Ger. p. 1033.

Matth. Par. p. 465.

Alb. Stad. Ch. 1239.

Interim Ordo Fratrum Minorum insignem sane Tironem obtinuit in Adolpho Holsatiæ Comite, qui eorum institutum Hamburgi die Sabbathi & S. Hippolyto sacra 13 Augusti an. 1239 amplexus est, tres ætatis teneræ filios Abelis Daniæ Ducis generi sui tutelæ relinquens. Imperatori Friderico magna cum laude servierat, & provinciam suam feliciter rexerat. Post quinque annos Romam profectus, a Papa gratiam legis impetravit, ut ad omnes sacros Ordinis promoveretur; verisimiliter, quia militiam secutus erat.

Id. 1244.

Sacer-

Sacerdos expiationibus præfectus litteras dabat 22 Aprilis an. 1244. Adolphus quatuordecim annos in ſtatu Religioſo transegit. Sæcul. XIII. A.C. 1239.

§. XXXIV.

Epiſtola ad Reginam Georgianorum.

Papa Gregorius ad Ruſſudam Georgianorum Reginam, & ad Davidem horum Regem, illius filium, ſeptem Fratres Prædicatores miſit cum epiſtola, in qua ſe excuſat, quod expectatum illis exercitum contra Tartaros auxilio non ſubmittat. *Juſſimus enim*, ait, *in Syria Saracenos, qui nos inter ac vos ſunt, deleri: & continuum in Italia Hiſpaniaque bellum pro fide Chriſtiana gerimus: quibus ex cauſis vobis ſubveniendo pares haud fuimus.* Et quia ſubſidii obtinendi gratia Princeps illa ſe velle Romanæ Eccleſiæ conjungi ſignificaverat, Papa ſtrenue inſiſtit neceſſitati unicam Eccleſiam ſub unico capite congregatam agnoſcendi. At ſæpe repetit, S. Petrum ſolum fuiſſe, cui Chriſtus ſuum gregem ducendum ac cœli claves commiſerit. *Quæ dum loquimur*, addit, *non volumus honorem adimere fratribus noſtris Epiſcopis, quos S. Petrus & ſucceſſores ejus in partem ſolicitudinis vocarunt: nec dubitamus, quin Dei & ſanctæ Sedis* *ap. Rain. n. 9.*

Sæcul. XIII. A. C. 1240.

dis vicarii sint. Videtur dicere, Episcopos potestatem suam proxime a Papa habere secundum sententiam quorundam Theologorum illius temporis. Dabat 13 Jan. 1240. Hæc Regina Russuda debuit esse illa Russutana, quæ quindecim aut sedecim abhinc annis Papæ Honorio scripserat: nec invenio, hoc litterarum commercium cum Summis Pontificibus effectum habuisse. Sed & plura per exempla vidimus, Christianos Orientis suam cum Ecclesia Romana reconciliationem non nisi temporalis commodi causa obtulisse.

Sup. Lib. LXXIX. §. 1.

§. XXXV.

Altera Imperatoris Apologia.

Ricc. ibid. *Matth. ibid.*

Imperator Fridericus semper Romam versus procedens, Fulginii mense Februario an. 1240, deinde Viterbii exceptus est, unde Regi Anglorum fusam scripsit epistolam, suam agendi rationem, ac bellum Papæ illatum purgaturus. Resumit omnes querendi materias, quas contra eum habere se asserit, usque ad anathema anno priore contra se pronunciatum. Dein adjungit: *Quia hic agendi modus nobis iniquus videbatur, ad Cardinales Legationem misimus, quæ Concilii generalis convocationem posceret. Sed tantum aberat, ut Papa Legatorum rationem duce-*

duceret, ut Episcopos a nobis missos probrosam in custodiam daret, jus gentium violans. Tum contra nos Marchiam Tarvisianam & urbem Ravennam concitavit: & ut Mediolanensium seditionem sustentaret, Legatum ad eos Gregorium Montelongium, & fratrem Leonem fratrum Minorum Ministrum misit, qui non tantum vestibus milites ementiti, gladios & loricas gerebant, verum etiam in concionibus suis absolutionem omnibus, qui contra nos starent, impertiebantur. Hic Legatus, & hic Religiosus etiamnum in litteris suis Mediolani Gubernatores se nuncupant: id quod indicat, Papam temporalem ejus dominatum Imperii damno sibi velle tribuere. *M. Par. p. 467.*

Patavinus S. Justinæ monachus illius temporis historicus hac cum narratione consentit. *Confestim post anathema*, inquit, *Papa Legatum Italiæ declaravit Gregorium Montelongium, Apostolicæ Sedis notarium, magna prudentia & constantia virum. Is Mediolanum delatus populum metu absolvit, ac per exhortationes suas amicis Mediolanensium animos addidit ad libertatem tuendam. Ut exemplo esset aliis, veniebat ipsemet, quocunque Imperator fidos Ecclesiæ cives oppugnatum ibat.* Sic historicus ille loquitur. Frater Leo cognomine Peregus Mediolanum habebat patriam, cujus Archiepiscopus anno sequente evasit. Nam post Archiepiscopi Guilielmi *an. 1239.* *Ughell. to.4. p. 256. 280.*

Sæcul. XIII. A. C. 1240.

Guilielmi Rufolii obitum, qui hoc anno 1240 contigit, Canonicorum ſuffragia de ejus ſucceſſore diu non convenerant. Tandem illi fratris Leonis, Theologi & concionatoris celebris, arbitrio rem prorſus permiſere. Qui ea penſitata dixit: *Quandoquidem vobis tam bona de me opinio eſt, meipſum declaro Archiepiſcopum.* Omnis populus mirabatur primum, dein applauſit, & Papam conſentientem habuit. Leo in Archiepiſcopum conſecratus fuit an. 1241, ac ſedecim annis ſedem occupavit.

Imperator in ſua ad Regem Anglorum epiſtola ita pergit: *Tot damna & probra diutius ferendo impares, ad defendendam noſtram & Imperii cauſam enſem ſtrinximus contra hoſtem apertum, qui nos profanis invadit armis, noſtri cruoris ſitiens. Poſtquam in Liguria nobis dedita ſatis virium reliquimus, multis in Hetruria Imperii juribus inſtauratis, & dilecto filio noſtro Henrico ad reſtituendam nobis Marchiam Anconitanam miſſo, Umbriam Romæque viciniam verſus cum victricibus Aquilis noſtris ipſimet proceſſimus. Loca omnia Viterbium usque pauciſſimis urbibus exceptis noſtræ ditionis ſunt: Roma ipſa nos vocat, ita, ut deſperans inimicus noſter ſacros milites contra nos legeret, nos velle Romanam Eccleſiam evertere, & SS. Apoſtolorum reliquias profanare falſo perhibens.* Sed ad induc-

induendam crucem tesserariam neminem per- Sæcul. XIII.
movit præterquam famulos, vetulasque ac per A.C. 1240.
paucos milites mercenarios.

§. XXXVI.

Papa Imperium Francis offert.

Cardinalis Jacobus Episcopus Prænestinus in Galliam delatus, per universum Regnum promulgavit anathematis sententiam a Papa contra Imperatorem Fridericum latam. Sed hunc nullam ejus rationem habere videns, Meldas convocavit Archiepiscopos, Episcopos, & Abbates, de re tanti momenti deliberaturos. Hoc in concilio quibusdam istorum Præsulum in omnium præsentia Papæ nomine præcepit, ut, cumprimum per negotia liceret, secum Romam ipsimet peterent, promisitque se facturum, ut Viennæ Allobrogum naves & quidquid ad marinum iter necessarium sit, obtineant, cum Fridericus terra per suos vias omnes teneat, seduloque custodiat. Idem Legatus Silvanectum accivit provinciæ Remensis Episcopos, omniumque proventuum Ecclesiasticorum vigesimam partem in Papæ subsidium impetravit.

Gesta S. Lud. Duchesne to. 5. p. 335. to. XI. conc. p. 371.

Meyer 8. ann. Fland. to. XI. conc. p. 371.

Papa etiam Regi S. Ludovico litteras misit coram omnibus Franciæ Optimatibus legendas, & hanc in sententiam scriptas: *Post maturam deliberationem, cunctis*

Matth. Par. 1239. p. 464.

Sæcul. XIII. A.C. 1240.

cum fratribus noſtris Cardinalibus initam, condemnatum Fridericum dignitate Imperatoria, cujus titulum ſibi ſumit, exuimus, & pro illo ſubſtituendum Comitem Robertum fratrem tuum elegimus, cui ad id honoris faſtigium efferendo tuendoque Eccleſia non Romana ſolum, ſed univerſa omne auxilii genus ferre ſtatuit. Promptiſſimis ergo amplexibus oblatam vobis tantam gloriam excipite! Rex ſanctus ex Procerum conſilio tale dedit reſponſum. *Qua ratione Papa tam magnum Principem, qui inter Chriſtianos æqualem habet neminem, loco movere auſus eſt nec objectorum ſibi ſcelerum convictum, nec ea confeſſum? Si exauthorari eſſet meritus, non niſi per generale concilium deprimi deberet: & ad ejus crimina quod attinet, non eſt habenda fides inimicis ejus, quorum præcipuum eſſe Papam conſtat. Nos innocentem credimus: nobis bonus ſemper vicinus fuit: nec in eo quidquam, vel bonæ fidei profanis in negotiis, vel veræ Religioni contrarium deprehendimus. Strenue, ut ſcimus, JESU Chriſti cultum in Terra ſancta promovit, ſe maris ac belli periculis exponens, & Papa, quem protegere debebat, abſentem ſpoliare conatus eſt.*

Nolumus tam grandia ſubire diſcrimina, arma inferendo Friderico Principi tam potenti, quem tot Regna, & æquitas cauſæ ſuæ contra nos defenderent. Quid Romanorum intereſt, ut noſtrum prodigamus ſanguinem, dummo-

dummodo, quæ cupiunt, faciamus? Si Papa per nos vel alios Fridericum sibi subjiceret, intolerabili superbia inflaretur, cunctosque Principes pedibus calcaret. Ne vero rem tantam offerentis officia negligere videamur, quamvis ab odio in Imperatorem potius quam a favore erga nos profecta esse pateat, Legatos ad Fridericum mittemus, qui ejus sensa de fide catholica solerter indagent, & ad nos referant. Si orthodoxum inveniant, cur adoriamur? Sin minus, hostiliter insectabimur, sicut quemvis alium, Papamque ipsum. Sæcul.XIII. A.C.1240.

Legati proin Gallici ad Imperatorem profecti, quid epistola Papæ contineat, exponebant. Attonitus ille se Christianum & catholicum, suamque religionem per omnia fidei capita sanam esse reposuit, adjungens: *Absit, ut a fide meorum patrum, & illustrium antecessorum deflectam! Divinam vero justitiam invoco adversus illum, qui me per totum orbem sic infamat.* Hæc loquens inter lachrymas & singultus ad cœlum manus tendebat. Tum ad Legatos conversus, *Amici mei & chari vicini!* ajebat, *quæcunque inimicus asserat meus, credo & sentio cum cæteris Christianis: & quando me bello petitis, ne mirenini, si me tuear. In Deo innocentium defensore spem colloco. Novit ille, Papam mihi non adversari, nisi ut rebelles contra me cives foveat, præsertim hæreticos Mediolanen-*

Sæcul. XIII. A. C. 1240.

ſes. Sed vobis gratias ago, quod per reſponſum meum vos de veritate rei ſecuros reddere prius volueritis, quam ejus officia admittatis. Legati reſpondebant: *Chriſtianum Principem ſine juſta cauſa nos aggreſſuros putas? hoc Deus avertat malum! Nulla nos ambitio tangit: Regem noſtrum, cui naſcendi ſors coronam dedit, cuivis Principi electo præferimus. Comiti Roberto ſufficit tanti Regis eſſe fratrem.* Sic bona Imperatoris cum gratia abierunt. Robertus erat natu major trium fratrum S. Ludovici, ab hoc comitatum Atrebatenſem in partem ſuam nactus.

Germaniæ quoque Principes, ut alium Imperatorem eligerent, ſolicitavit Papa; ſed incaſſum: & quidam reſponderunt, eum non habere jus Imperatorem conſtituendi, ſed coronandi duntaxat illum, quem Principes elegiſſent. Sic loquitur

An. 1240. Albertus Abbas Stadenſis in Saxonia inferiore, illius temporis ſcriptor; ac enumerat Imperii Electores, tres Archiepiſcopos, Trevirenſem, Moguntinum, & Colonienſem; Comitem Palatinum *Dapiferum*, Ducem Saxoniæ *Mareſcallum*, Marchionem Brandeburgicum *Camerarium*: Regem Bohemiæ *Pincernam* eſſe dicit, non Electorem, cum non ſit Germanus.

§. XXXVII.

Sæcul.XIII. A.C.1240.

§. XXXVII.

Papa Ecclesiasticorum Angliæ proventuum quintam partem postulat.

Interea Legatus Otto edictum in Anglia promulgari jussit hunc in modum: *Comperimus, quosdam hujus Regni sacros milites pugnando impares, ut a voto suo absolvantur, Romam petere. Quam ob rem significamus, a Papa nos jussos esse, itineris sumptus & molestias levandi gratia illos non absolvere tantum, verum etiam ad redimenda vota sua adstringere, ut ad consequendam hanc gratiam se nobis sistant.* Datum Londini 15. Febr. Tum Fratres Prædicatores Minoresque & alii Theologi Cruce signatos a voto absolvere cœperunt, sed accepta prius pecuniæ summa, quæ cuivis in transmarinum iter insumenda fuisset: id quod populo non modicæ fuit offensioni. *Matth. Par. 1240. p. 470.*

Deinde omnes Angliæ Episcopi, præcipui Abbates, & quidam Proceres Radingam convenerunt Papæ mandata audituri. Otto Legatus eis longo in sermone ab oculos posuit, quibus illum modis Imperator divexaret, addiditque, Papam ab iis quintam proventuum partem impense poscere. Episcopi, cum consultassent, reposuerunt, se sibi tantum onus

Sæcul. XIII. A. C. 1240.

ad totam ſpectans Eccleſiam ſine matura deliberatione non impoſituros: itaque ſpatium ſatis longum obtinebant. Hoc in conventu præſentes erant Richardus Cornubiæ Comes, Regis frater, multique alii Proceres Cruce ſignati, qui valere Præſules jubebant, Terram ſanctam petituri. Præſules obortis lacrymis ad Comitem, *Domine!* inquiebant, *cur nos deſeris? Extraneis nos in prædam relinquis.* Comes ad Archiepiſcopum Cantuarienſem converſus, *vel ſi militiæ ſacræ nomen non dediſſem, diſcederem tamen, ne Regni calamitatem & mala cernerem, quæ impedire nequeo, quamvis poſſe videar.*

Matth. Par. p. 41.

Edmundus Archiepiſcopus Cantuarienſis conſenſit primus in colligendam quintam partem Eccleſiaſticorum proventuum: pro ſe octingentas argenti ſelibras collectoribus Pontificiis, donec urgerent, haud expectans dedit, ac reliquos Angliæ Præſules exemplum ſuum ſequentes habuit. Tam facilem vero ſe præbuit ob ſpem Eccleſiæ Anglicæ grande comparandi bonum, ſcilicet electionum libertatem. Per epiſtolas roboris plenas ac per Legatos ſpectabiles Papæ Gregorio conqueſtus erat, quod Reges perverſo more viduos Epiſcopatus & cœnobia opprimerent, atque canonicis electionibus per ſubdolas artes quorundam eligentium mercede conductorum obſtarent.

rent. Petens igitur, ut, quoties Ecclesia quædam sex mensibus vacasset, Metropolitanus ei prospiceret, magnis sumptibus a Papa litteras impetraverat, quibus is hoc in molimine se ab ipso staturum pollicitus erat. At Regi, qui coronæ suæ dignitatem impeti perhibebat, cedente Papa, sancti Archiepiscopi molitio effectu caruit. Sæcul. XIII. A.C. 1240.

Aliquamdiu post Papa eundem ac Episcopos Lincolnienſem & Sarisburienſem per litteras jussit trecentis Romanis beneficia primo vacua tribuere: alioquin beneficium conferendi potestatem eos nullam habere voluit, donec ille numerus completus esset. Mirantes magnopere Angli dicebant, Papam cum Romanis pacisscentem, eorum filiis & cognatis tot, quot vellent, in Anglia beneficia præsertim Regularium spopondisse hac conditione, ut armorum societatem contra Fridericum inirent. Insuper a Papa missus in Angliam Petrus Rufus, cum Religiosorum senacula intrasset, ut eos ad pendenda subsidia impelleret, *Volo quintam proventuum partem*, ajebat: *Episcopus N. & N. Abbas N. & N. libenter jam satisfecerunt: cur tamdiu cunctamini? forsan, ut pecunias dantibus nulla vobis gratia habeatur?* Curabat idem, ut quævis congregatio & semestre hac de re silentium p. 475. 476.

Sæcul. XIII. A.C. 1240.

lentium ſponderet, & ante alias præſtitæ ſolutionis honorem ſe adeptam crederet.

§. XXXVIII.

Clerus ſe opponit.

p. 477.

Abbatibus coram Rege conquerentibus duo erant Oratores, Abbas ad S. Edmundum & Abbas Belenſis. *Domine!* inquiebant, *Papa intolerandum nobis imponit onus. Habemus a te prædia clientelis ac ditione illuſtria. Nec iſta ſine damno tuo bonis exhaurire, nec penſiones pro terris illis debitas exſolvere poſſumus & ſimul Papæ ſatisfacere, qui novis indies exactionibus nos premit, nullam nobis reſpirationem concedens. Ut hac in re nos protegas, ſupplicamus.* Rex obliquis eos oculis & minacibus excepit verbis: dein ad Legatum tunc præſentem converſus, *En nullius pretii homines,* ajebat, *qui Papæ arcana prodentes, ne tibi pareant, lamentantur! Fac eis, quod tibi placet! Optimis ex arcibus meis aliquam tibi commodo, ut eos in carcerem ibi compingas.* Miſeri Abbates pudore ſuffuſi abibant, ad gerendum Legato morem parati.

Similem in modum loquendum ſibi cenſebat cum Epiſcopis, eandem ob cauſam Northantoniam convocatis. Sed Abbatum exemplo eruditi reponebant: *Habemus Archidiaconos, qui obnoxiorum*

ſibi

sibi beneficiorum opes noverunt. Præterea hoc negotium commune omnium est: nec in cæterorum Præsulum absentia respondere possumus. Designata illis est dies S. Joannis octava seu prima Julii: qua congregati, cum Legato præsenti aperte contradicere nollent, modeste rationes suas proponebant. *Haud decet nos*, inquiebant, *hanc pensionem solvere, quæ ad fundendum Christianorum sanguinem, & ad impugnandum Principem cum nostro fœderatum pertinet; nam ad bellum cum Imperatore gerendum dirigitur, ut Papæ mandatum sonat. Etiam censuras minatur obsistentibus: Hæc vero vis est, & quod consequitur, libertatem violat Ecclesiasticam. Insuper jam dedimus Papæ decimas ea conditione, utne deinceps similem, multo minus quintæ partis exactionem faceret, quam modo facit, & quæ in consuetudinem ne abeat, metuendum est. Curiam Romanam, ubi aliqua semper negotia nobis gerenda sunt, adire nequimus nisi per terras Imperatoris, qui capere nos ac divexare posset. Rex noster plures habet hostes, contra quos bellum sibi suscipiendum cogitat. Quare intutum foret incidere Regni nervos jam solutos abitu virorum Nobilium ad militiam sacram grandes pecuniæ summas asportantium. Etiam patronis Ecclesiarum noxia esset hæc pensio, nec in eam consensuri videntur. Denique res est toti Eccleſiæ communis, & con-*

Sæcul. XIII. A. C. 1240.

Sæcul. XIII. A.C. 1240.

cilio generali reſervanda, quod convocatum iri rumor ad nos pertulit. Legatus auditis his rationibus perturbationem animi diſſimulavit, faventiorem expectans occaſionem.

v. Baudrand.

Barcherienſis igitur provinciæ ſeu Comitatus Bercenſis Curiones ſacros congregavit, quibus eandem rem propoſuit multis cum minis ac promiſſis. Illi ſe referentes ad reſponſum Epiſcoporum has addebant rationes: *Non exſolvenda eſt penſio contra Imperatorem tanquam hæreticum, cum nec Eccleſiæ judicio condemnatus ſit, nec convictus, quamvis anathemate percuſſus fuerit. Sicut Romanæ Eccleſiæ ſuum eſt patrimonium, cujus adminiſtratio ad Papam ſpectat, ſic Eccleſiæ reliquæ ſuas habent terras Romanæ neutiquam tributarias. Omnia quidem ad Principem pertinere dicuntur, non vero tanquam propria; nec de dominio ſermo eſt, ſed de cura & regimine: atque ita omnes Eccleſiæ ad Papam attinent.* p. 478. *Ligandi & ſolvendi poteſtas ſe non extendit ad faciendas exactiones. Proventus Eccleſiarum deſtinati ſunt certis uſibus, veluti conſervandis ædificiis, ſuſtentandis miniſtris & pauperibus: alios ad uſus applicandi non ſunt niſi ex authoritate Eccleſiæ univerſalis. Sed vix ad alendum Clerum ſufficiunt tum ob tenuitatem ſuam, tum ob annonæ penuriam interdum accidentem, tum ob inopum multitudinem. Accedit,*

dit, quod jam nemini plura beneficia possidere liceat. Sæcul. XIII. A. C. 1240.

Hæc pensio augeret offensionem, in quam Romana incurrit Ecclesia. Palam enim ajunt: Similes exactiones jam alias factæ sunt. Extortis vero pecuniis exhausto Clero, mox pacem confecerunt Papa & Imperator: nec obolus tamen est redditus: immo siquid solvendum supererat, eodem rigore exigebatur. Præterea plerique Christianorum ad militiam sacram voto adstricti sunt, quod vel per se vel per alios exequi a Papa coguntur: nequeunt autem hanc simul pensionem exsolvere, a qua immunes sunt, tanquam milites sacri per triennium suis proventibus integris fruendi copiam consecuti. Legatus cum consiliariis suis tantam Episcoporum, Curionumque constantiam videns, eos dividere statuit, ac Regi facile id persuasit: illius comites sigillatim Episcopos & Archidiaconos allocuti, maximarum spe dignitatum lactatos plerosque adduxerunt, ut in pensionem consentirent. *p. 479.*

§. XXXIX.

Richardus Cornubiæ Comes in Palæstina.

Interim Richardus Cornubiæ Comes Anglorum Regis frater, inter festos dies Ascensionis Domini ac Pentecostes, scilicet *Matth. Par. p. 479.*

cet

Sæcul. XIII. A.C. 1240.

cet sub finem Maji Londinum venit, Regeque ac Proceribus valere jussis, conscensa Dorobernii nave Galliam prætervectus Provinciam attigit. Fanum Sancti Ægydii delato Legatus quidam & Archiepiscopus Arelatensis suadebant, immo prohibebant, ne Terram sanctam peteret. Miratus simul & indignatus Comes, *Quæ mihi*, ajebat, *Papæ nomine dicebantur, bona fide credens, omnia paravi & nunc in ipso itineris ineundi articulo Papa, qui verbis suis nunquam non sletisse fertur, Christi cultum promovere me vetat.* Nec inhiberi se sermonibus Legatorum passus, Massiliæ secunda Septembris hebdomade navigio se commisit, postquam ad Imperatorem Nuncios legaverat, qui eum de Papæ inconstantia edocerent.

Id. p. 486. *p.* 504.

In pervigilio S. Dionysii nempe 8 Octobris Ptolemaidis portum ingressus, eo majore gaudio excipiebatur, quo pejor erat Christianorum in Palæstina conditio.

Id. p. 474. *Sanut. p.* 215 *p.* 15.

Petrus Britanniæ Comes, qui anno priore illuc advenerat, in propinquos Damasco agros impetu dato, opimam ad exercitum prædam advehens, reliquorum Procerum invidiam subiit. Octiduo post Dux Burgundiæ, Comites Barensis ac Montfortius & quam plurimi socii Comite Britanniæ in consilium non adhibito aliam fecerunt excursionem. Sed in ea Comes

Gesta S. Lud. c. 334.

mes Barenſis cum magno aliorum Pro- Sæcul.XIII.
cerum numero cæſus, Amalaricus Mont- A.C.1240.
fortius captus & Babylonem Ægypti ſive Cairum ductus, Dux Burgundiæ fuga ſibi conſulere coactus eſt: clades prope Gazam contigit.

Hic triſtis eventus Imperatori novas contra Papam querimonias jactandi occaſionem præbuit; ut apparet ex litteris, quas hac ſuper re ad Regem Angliæ affinem ſuum Foveæ in Regno ſuo 25 Aprilis an. 1240 ſcripſit in hanc ſententiam: *Matth. Par. ibid.* *Cruceſignatos magnopere exhortati ſumus, ut iter differrent ſuum, donec ducem ſuum agere nobis per Italiæ res liceret. Et vero morem geſturi erant; ſed Papa malam in partem noſtra detorquens verba, eos ad iter urgere non deſtitit, quidquid opponeremus. Etenim præmaturæ feſtinationis diſcrimen, & milites ſacros unicum ſub caput colligendi neceſſitatem illi ob oculos ponebamus. Omnibus his rationibus contemptis Papa Cruce ſignatis vehementius, quam antea, inſtabat, non conſiderans, ſi inducias nos inter ac ethnicos factas violaverint, Chriſtianorum trans mare verſantium reliquias ferro aut fame pereundi periculo expoſitum iri.* Concludit epiſtolam ſpondendo, ſe Terræ ſanctæ laturum ſuppetias, quantascunque mittendo par ſit futurus tam turbulentis temporibus.

Richardi

Sæcul. XIII. A. C. 1240.

Richardi Cornubiæ Comitis adventus erexit animos illa ſtrage perculſos. Tertio poſt die, quam advenerat, Ptolemaide edici juſſit, ne quis e Chriſtianis peregrinis ob inopiam diſcederet: ſe ſuis eos ſumptibus aliturum, ſi utilem præſtarent operam. Rex Navarræ ac ſenior Britanniæ Comes de adventu ejus certiores facti quindecim abhinc diebus cum magna militum ſacrorum multitudine abierant, poſtquam cum Nazerio Caracenſi Dynaſta tolerabiles erant inducias pacti, ne nihil egiſſe viderentur. Verum ante conditam pro executione diem migraverant. Comes Richardus, cum quendam ad Nazerium miſiſſet, inducias ex arbitrio ejus non pendere audiit. Sed Joppen usque progreſſus, ab Ægypti Sultano nuncium accepit, Domini ſui nomine inducias offerentem. Conſenſit proin ex conſilio Ducis Burgundiæ, Comitis Gualterii, Præfecti Domus hoſpitalis, ac cæterorum Nobilium: atque initæ ſunt induciæ ea lege, ut Chriſtianis Proceres in clade ad Gazam capti, & loca multa redderentur, eaque durantibus induciis muniendi libertas eſſet. Richardus illis in locis hyemem egit, ab Ægypti Sultano reſponſum opperiens, cui pactiones jurejurando firmandas miſerat.

Matth. Par. p. 486.

Id. an. 1241. p. 534.

§. XL.

Sæcul.XIII.
A.C.1240.

§. XL.

Obitus Jacobi Vitriacenſis.

Geroldo Latino Patriarcha Hieroſolymitano rebus humanis erepto, quod an. 1239 factum, hic titulus aliquanto tempore vacavit: dein Canonici Jacobum Vitriacenſem, Epiſcopum Tuſculanum & Cardinalem elegerunt. Sub annum 1218. Ptolemaidis Epiſcopus evaſerat, multisque annis in Palæſtina transactis Romam venit, ubi eum Papa Honorius III. & Cardinales, inter alios Hugo ſeu Hugolinus Epiſcopus Oſtienſis benigniſſime excipiebant. Hunc Jacobus ſingulari ſecum amicitia junctum a violentis contra Religionem tentationibus per reliquias B. Mariæ Ogniacenſis liberavit. In Palæſtinam & inde Romam reverſus ex conſenſu Papæ Honorii Episcopatus onera depoſuit. Tum Ogniacum reverſus, inter Canonicos Regulares, ut antea, egit, ſæpe in provincia de rebus divinis verba faciens. Cum vero comperiſſet, amicum ſuum Cardinalem Hugolinum in Papam electum nomen Gregorii IX ſumpſiſſe, eum ſumma in dignitate coram honorandum ſibi eſſe cenſuit, nec aures præbuit Priori Ogniacenſi, qui ipſum a novo Papa non dimiſſum iri dicebat. Ergo Romam profectus an. 1229

Alberic. p. 574. Sup. Lib. LXXVII. §. 1. 3. 78. §. 28.

Boll. to. 22. p. 672. Vita per And. Hojum.

Boll. p. 669.

Jacobus

Sæcul. XIII. A. C. 1240.

Jacobus eodem anno Cardinalis Episcopus Tusculanus creatus est.

Hoc in statu erat, cum cooptatus est Patriarcha Hierosolymitanus. Sed Papa Gregorius ejus in curia Romana præsentiam operamque Ecclesiæ universæ necessariam esse ratus, postulationem haud admisit: & Cardinalis paulo post de vita decessit nimirum ultimo Aprilis an. 1240. Ejus ossa sequente anno ad monasterium Ogniacense, ut voluerat, delata sunt. Plurima ejus scripta supersunt. Historia Orientis, in qua situm regionum, populorum mores, & continentem rerum ordinem seriemque a Mahomete usque ad annum 1229 describit. Historia Occidentis, in qua statum Ecclesiæ Latinæ sui temporis, ac sigillatim diversos Ordines Religiosos depingit. De sacerdotibus, quos sæculares vocant, loquens, eos ad exsolvendum horarium divini officii pensum adstrictos esse affirmat, utcunque occupati sint, monetque, ut quamlibet ejus partem designato tempore peragant, atque si hoc fieri non possit, anticipent potius quam differant. Habemus etiam ab illo Vitam B. Mariæ Ogniacensis, multosque sermones. Post ejus mortem Papa Sedi Hierosolymitanæ providendi jus ad se recidisse perhibens, illuc Robertum Episcopum Nannetanum transtulit, qui duas jam Ecclesias Cathe-

p. 678. *Alberic. p.* 575. 579.

Cave. 492.

c. 34. *p.* 365.

Sup. Lib. LXXVII. §. 3. *Alberic. p.* 575. *Id. p.* 577.

Cathedrales egregie gubernaverat. Id patet ex litteris Pontificiis Romæ 14 Maji 1240 datis. Posthæc eum Papa in provincia Hierosolymitana & in exercitu Christiano suum esse Legatum voluit. Sæcul. XIII. A. C. 1240. *ap. Rain. 1240. n. 74.*

§. XLI.

Papa concilium convocat.

Friderico in Italia majores indies progressus faciente, præcipuorum Cardinalium quidam & aliquot Religiosi suam interponebant operam, ut Papa & ille inducias ac demum pacem inirent. At cum Lombardos iis contineri Papa vellet, Cæsar nollet, nihil statutum est, ut liquet ex hujus epistola 18 Jul. 1240 data. Deinde Papa Episcopum Brixiensem ad Imperatorem misit, eique dici curavit, se pacis jungendæ gratia in proximum Pascha indicere concilium velle, atque ut Præsules & Optimates tuto ad id venire possint, saltem ad illud tempus usque inducias pangendas esse, quæ Lombardos quoque comprehenderent. Friderico pertinaciter recusante litteras tamen ad convocandum concilium circumsit. *Petr. de Vin. I. ep. 36.* *Matth. Par. p. 484.*

Habemus illas, quas ad Archiepiscopum Senonensem dedit, & in quibus præter gravia sanctæ Sedis negotia aliam non exprimens causam, eum ad proxi-

Sæcul. XIII. A.C. 1240.

mum Paſcha Romam proficiſci, & provinciæ ſuæ collegiis, Abbatibus, aliisque nominatim haud dictis injungere jubet, ut illuc nuncios mittant. Scripſit ſimul Regi S. Ludovico, ut ad concilium Legatos mitteret ſuos: & has duas ille epiſtolas 9 Auguſti dabat. Similes ad reliquos Præſules Principesque miſit.

§. XLII.

Imperator ſe opponit concilio.

Petr. de Vin. l. ep. 34. Matth. Par. p. 484. Rain. 1240. n. 56. Nang. Geſta p. 335.

Lectis his litteris Fridericus Regibus Galliæ & Angliæ epiſtolam 13. Septemb. datam ſcripſit, in qua concilium univerſale a ſe petitum eſſe faſſus, quem exitum negotiatio induciarum elapſa æſtate habuerit, refert; deinde queritur, quod Papa in convocatione concilii de agitandis ibi pacis conſiliis nullam, ſed ſolam de grandibus Eccleſiæ Romanæ negotiis mentionem faciat. *Vide*, adjungit, *quomodo tempus in conſilium adhibeat! Denegatum nobis concilium convocare vult, poſtquam cives rebelles invaſimus. Conſidera viros, quos nominatim appellat! Illi non ſunt Legati tui, qui ei tam ſæpe tuo nomine pacis media propoſuerunt; ſed Comes Provinciæ, Dux Venetorum, Marchio Ateſtanus, aliique manifeſto contra nos ſeditioſi, ac ejus pecuniis corrupti, ut publice ajunt.* Poſtea de Papa loquens, *Quamdiu*, inquit, *diſſidium*

nos

nos inter ac illum durabit, non permittemus, ut concilium congreget hostis Imperii declaratus; præsertim, quia nos, Imperium, Principesque cunctos dedecet tribunali Ecclesiæ, aut concilii judicio subjicere causam, in qua de profana potestate nostra agitur. Itaque in terris nostræ ditioni subditis nec viris ad hoc concilium vocatis, nec eorum bonis parcemus: Teque oramus, ut in Regno tuo edici cures, ne quis Præsulum, se a nobis tutum fore sperans, concilium istud adeat. Dabat 13 Sept. indictione 14, nimirum anno 1240 in castris ad Faventiam, quam a mense Augusto obsidebat.

Sæcul. XIII. A C. 1240.

Ric. S. Ger. p. 1035.

Præter memoratas jam causas obsistendi concilio, quod antea ipse postulaverat, videamus alias, quas proferebat! *Destinatum tempus*, inquiebat, *est nimis breve, & nunquam in id consensi. Cardinalis Otto, Pontificius in Anglia Legatus, ac Rex Henricus, ut me dedecore atque infamia premerent, ab Ecclesia proscriptum me in Regno promulgari jussere, quod exhauserunt pecuniis in meam perniciem collatis. Est proin, cur omnes Angliæ Præsules pro inimicis habeam, & Judices habere renuam, eo magis, quod hi Præsules ac Rex ipse Papæ, non mihi vel Imperio fidem juraverint. Papa pecunias a Gallia & præcipue ab Anglia expectat, easque se inimicis meis daturum spopondit: id quod illorum ferociam auget. De-*

Matth. Par. p. 485.

Sæcul. XIII. A.C. 1240.

nique concilii tempore forſitan diuturno reſpirare poterunt, & Papæ præſidio ſuas confirmare vires.

Fridericus ſimul evulgari juſſit epiſtolam ſine nomine, Præſules ab adeundo concilio amice dehortantem. *Baluz Miſcel. to. 1. p. 458.* *Debetis*, dicit, *perpendere pericula, quæ terra, marique, quin etiam Romæ vos manent, quando illuc adveneritis. Omitto diſcrimina terræ, ubi mors quaſi certa eſt, nullusque tranſitus poteſt fieri: ſed marina pericula cogitate!* Ibi author epiſtolæ excurrit in ampliſſimum locum communem, qui probando nimium probat nihil, dum ad diſſuadendam generatim omnem navigationem tendit. Poſtea de Friderico loquens addit: *p. 462.* *Crudelis hic Tyrannus terra & mari potens edici juſſit, ſiquis ipſo prohibente ſe in viam det, nec vitam nec bona ejus ſecura fore. Tam furioſo & nullius fidei viro, quem ſævitia novum Herodem, impietate alterum Neronem dixerim, huic Domino cunctorum Italiæ portuum, Genuenſem ſi excipiam, quam plurimas triremes piratis plenas haud ægre collecturo exponere vos audebitis? An comprehenſis parcet, vel ſuum qui filium in catenis detinet?* Sub hæc author memorat Romanæ commorationis & morborum pericula, diſſenſionem & vitia civium, calorem aëris minime ſalubris, reditum non minus itinere priore difficilem, cum eos vocans Papa continenter

nenter domi suæ maneat discrimini nulli obnoxius. Sæcul. XIII. A.C. 1240.

Ad convocationis causas deinde venit. *Papa eam ponderosis Ecclesiæ negotiis adscribit; & nemo ignorat, tribuendam esse discordiæ inter illum ac Cæsarem ortæ. Sed quemadmodum hanc tempestatem vobis inconsultis commovit, ita sine vobis sedare potest: aut si vestris eget consiliis, per litteras poscat, vel per Legatum, nec vos tantis periculis objiciat! Ut Fridericum ad ultimas adigat angustias, locoque moveat, & alium substituat Imperatorem, vos, ut satis liquet, vindictæ suæ instrumenta esse vult, & magnas secum impensas facere ad executionem necessarias. Id vero æquum non est, cum suscepti ab eo consilii participes non fueritis; & hoc esset idem, ac per obedientiæ speciem ad perpetuam vos servitutem adstringere.* p. 466.

Papa Gregorius metuens, ne hæc Friderici oppositio suum haberet effectum, ad omnes Episcopos epistolam circummisit, in qua eos has minas parvipendere, Deum homini præferre, ac præscripto tempore cunctis difficultatibus perruptis Romam petere jubet, omnia ad executionem hujus magnæ rei necessaria se curaturum spondens. Dabat Romæ 15 Octobris. Præsules Gallici Papæ obsequentes & Legatus Jacobus Cardinalis Episcopus Præneſtinus itineri se

ap. Rain. n. 57. to. XI. Conc. p. 350.

Nang. Geſta p. 335.

Sæcul. XIII. A. C. 1240.

commisere: Sed Viennam Allobrogum delati, nec lembum, quo transveherentur, nec præsidium inveniebant, quod Cæsaris partium vim arceret, cunctos terra marique aditus tenentium. Hinc multi redierunt; scilicet Archiepiscopi Turonensis & Bituricensis, Episcopus Carnutensis, & magnus Nunciorum numerus: cæteri fidentiores navigia conscenderunt.

§. XLIII.

Synodus Vigornensis.

to. XI. Conc. p. 572.

In Anglia Gualterius Cantilupius Episcopus Vigornensis postridie Festum S. Jacobi, nimirum 26 Jul. an. 1240 suam Synodum Diœcesanam habuit, in qua constitutiones quædam puncta notatu digna continentes edixit, Laici non

c. 2. stent in choro, seu concha templorum,

c. 5. præterquam patroni & illustres. Baptismus in casu dubio administretur sub conditione; sed illum accipiens semper tunc aquæ & quidem ter immergatur: & pueri duos saltem patres lustricos, puellæ

c. 6. duas matres lustricas habeant. Patres lustrici infantes suos intra annum natalem sacro Chrismate perungendos Episcopo offerant: alioquin ab ingressu Ecclesiæ ad tempus arceantur. Itaque tunc nondum expectabatur ætas rationis

v. Martenn. de ant. rit. lib. 1 c. 2. p. 236.

nis compos; sed servabatur antiquus mos baptismati confirmationem, utprimum fieri poterat, subjungendi sacrificium non peragatur nisi recitata divini officii parte, quam vocamus Primam. Sponsalia non nisi jejuni faciant. In matrimoniis nec dies nec menses observentur. Siquis alii quam sacro Curioni suo confiteri velit, hujus permissum poscat, qui modeste petitus non denegetur. Sæcul. XIII. A.C.1240.

c. 12.

c. 14.

c. 15.

c. 16.

Clerici non gerant arma, nisi se tuendi necessitas id postulet. Hanc exceptionem in bona antiquitate admissam non video. Archidiaconi, dum suos lustrant, nihil exigant. Nec pecunias accipiant, ut dissimulent crimina, vel pœnas mitigent. Sacerdotes eodem die non bis sacrificent præterquam die Christi Natali & Paschatis, vel exequiarum, aut in gravi necessitate. Itaque his in casibus id tunc etiamnum fieri poterat. Sacerdotes parochianos suos Christi corpus suscipientes donaria præbere non cogant, ne divinum epulum venale reddi videatur. Clerici caupones non agant. Manifestis eorum concubinis nec panis sacer, quem benedictum vocant, nec aqua lustralis, nec pacis osculum detur. Beneficiorum possessores, qui convenientes sibi Ordines sacros consequi per contemptum non curant, fructibus interea priventur potius indigni sacris Ordinibus &

c. 23.

c. 25.

c. 26.

c. 29.

c. 33.

c. 34.

c. 37.

Sæcul. XIII. A. C. 1240.

beneficia declarari vacua debebant, ut mihi quidem videtur. Nemo Christianorum pecuniam Judæo committat, ut hujus opera fœnus exerceat.

§. XLIV.

Mors S. Edmundi Cantuariensis.

Matth. Par. p. 476.

Sanctum Archiepiscopum Cantuariensem gravissime commovebant mala, quibus Ecclesiam Anglicam indies affligi cernebat. Consensus in collectam a Papa petitam nullum effectum bonum habuerat: immo Ecclesia premebatur magis, & libertate, juribus, ac bonis suis spoliabatur. Vir sanctus collectæ permissum Regi objiciens, præter dilationes responsum tulit nullum. Ergo dolore obrutus, ac pertæsus vitæ, ad exilium ipse se damnavit, & in Galliam profectus, imminuto comitatu suo in Abbatiam Pontiniacensem exemplo Sancti Thomæ antecessoris sui se contulit.

Sup. §. 37.

Vita c. 21. ap. Sur. 16. Nov.

Summa reverentia exceptus, postquam sedem ibi suam posuerat, lectioni, precibus continuis ac jejuniis sese dabat; libros sua scribebat manu, & interdum vicinis in locis de rebus divinis ad populum dicebat. Cum paucos dies Pontiniaci mansisset, abstinentia & angore consumptus inter æstatis calores gravem in morbum incidit: & ex medicorum consi-

Matth. Par. p. 486.

consilio salubrius cœlum hausturus, Sæcul. XIII.
Sueſſium* Canonicorum Regularium A- A.C. 1240.
sceterium prope Provinum transferri voluit. Abitum suum dolentes monachos ut solaretur, ad diem festum S. Edmundi Regis Anglorum & Martyris, nempe 20 Novembris se ad eos rediturum promisit. Interim præter alios nuncios, quos semper malos ex Anglia accipiebat, omnes a se proscriptos a Legato absolutos esse comperit.

* Soiſſy

Ejus morbus, qui erat dysenteria, Sueſſii non remisit, sed ita invaluit, ut ultimum diem suum imminere sibi intelligeret. Tum sacram Communionem petiit, extensisque manibus magna cum fiducia, *Domine!* ajebat, *tu es, in quem credidi, quem colendum, quem amandum esse revera docui: & tu mihi testis es, quod te solum in terra quæsierim.* Assistentes mente motum putabant: loquebatur enim, ac si Christus crucifixus coram adesset. Cœlesti refectus viatico per totum diem tam hilari erat facie, ut ægrotare nemini videretur: paremque lætitiam exhibebat, cum extremam unctionem accepisset. Denique ad Deum excessit 16 Nov. an. 1240. Incisum cadaver Sueſſiensibus relicto corde cum iliis, Pontiniacum deferebatur, quo ipsa die S. Edmundo Martyri sacra ex promisso S. Præsulis advenit. Ad sepulchrum ejus multa fie-

Sæcul. XIII. A. C. 1240.

bant miracula. Sub nomine *Saint Eme* Campaniæ notus est, quæ singulari eum veneratione prosequitur. Supereſt pius ejusdem liber quidam *Speculum Eccleſiæ* inſcriptus, & in gratiam commodunique monachorum Pontiniacenſium compoſitus.

Bibl. PP. Paris. to. 5. p. 983.

§. XLV.

Fridericus bello inſiſtit.

Imperator bellum ſemper in Italia urgens, Faventiam oppugnabat: & menſe Novembri an. 1240. Fratres Prædicatores Minoresque e Sicilia expulit, in quovis ipſorum cœnobio duobus tantum pro ejus cuſtodia relictis, hique ipſi in Regno nati eſſe debebant. Cum duo Fratres Minores Siculi e patria ſe ſua a Friderico ejectos eſſe Fratri Ægydio Aſſiſinati conquererentur, *Erratis ô boni!* reponebat: *Fratres Minores nequeunt e patria pelli ſua, in terra nullam habentes. Quia ſunt extra mundum, eorum nihil intereſt, quem mundi locum incolant: nullus enim datur, quem dicere ſuum poſſint: ubique illis patria eſt. Peccaſtis itaque in Fridericum, quamvis vehementer deliquerit: calumniam dixiſtis; nam plus boni quam mali vobis attulit, occaſionem meriti vobis præbens, nec veſtram adimens patriam.* Ita verus ille S. Franciſci diſcipulus.

Ric. S. Ger. p. 1035.

MS. ap. Vading. 1238. n. 1.

Anno

Anno 1239 Papa Cardinalem Joannem Columnam in Marchiam Anconitanam tanquam Legatum suum miserat, qui Henrico Imperatoris patris sui nomine cum copiis eam ingresso sese opponeret. Verum Cardinalis a Papa, in quem haud æquo erat animo, ad Fridericum mense Januario an. 1241 transiit: & post semestre spatium relicta Roma, loca multa Romanis ex odio Papæ ademit. Imperator sequente mense Aprili Beneventо Ecclesiæ Romanæ erepto, die Dominica, 14 ejusdem mensis Faventia in Æmilia post longam obsidionem potitus, ad oppugnandam Bononiam sese paravit. Sæcul.XIII. A. C. 1241. *Ricard. p.* 1033. *p.* 1035. 1036

§. XLVI.

Præsules in mari capiuntur.

Interea quam plurimi Præsules Genuam convenerant, mari Romam ad concilium venturi. Inter eos tres erant Legati. Jacobus Cardinalis Episcopus Prænestinus in Gallia, Otto Cardinalis Diaconus in Anglia nuper legatione defuncti erant; & Gregorius Romandiolanus Ecclesiæ Romanæ Subdiaconus, Papæ a sacello, Genuam missus fuerat, ut naves ad trajiciendum pelagus compararet. Priores duo adduxerant Galliæ, Angliæque Præsules, multi etiam ex Hispania advenerant. Cæterum cum Genuen- *Matth. Par. p.* 499.

Sæcul. XIII. A.C. 1241.

nuensibus pacti erant, ut pro pecuniæ summa cum comitibus suis tutissime Romam veherentur; & Papa se mari missurum eis militarem manum tam numerosam spoponderat, ut nihil esset, quod ab Imperatore proscripto & Superis exoso sibi metuerent.

Is re comperta Præsules Genuæ præsentes per Legatos oravit, ut ne marinum, sed terrestre per ipsius provincias iter facerent, securitatem plenam & cujusmodi peterent, pollicitus. *Cupio*, subjungebat, *meas rationes viva vobis voce exponere: & cum de æquitate causæ meæ vos perfecte edocuero, eam concilii judicio præcise subjiciam.* Addebat graves de Papa querimonias, *Continuas*, inquiens, *injurias, & infamiam mihi ubique attulit, immanium me scelerum sine argumentis insimulans. Periculosum sane foret ejus judicio causam meam committere, cum inimicum se meum declaraverit.* Præsules Legatorum & Papæ, non item Friderici promissis fidendum rati, Genuensium classem intrarunt, magnifice de viribus suis, sed de hostilibus contemptim loquentium.

p. 500.

Imperator Henrico filio suo collectam e Sicilia classem magnam commiserat, cui suam junxerant Pisani, illius partes secuti. Die Veneris, tertio Maji, sanctæ Cruci inventæ sacro duo exercitus navales sibi occurrebant, & post acre prælium Genuen-

Ric. S. Ger. p. 1035.

Genuenſes victi, Præſules plerique capti fuere. Fridericus Regem Angliæ affinem ſuum aliosque Principes hac de victoria certiores reddidit per litteras, in quibus ait: *Dominus, qui ex alto videt, ac juſte judicat, noſtras in manus tradidit tres Legatos, multos Archiepiſcopos, Epiſcopos, Abbates, aliosque Præſules, præter reliquorum Oratores, qui ſupra centum eſſe videntur, ac Nuncios rebellium Lombardiæ urbium.* Adjungit alia in epiſtola, hunc proſperum ſucceſſum feciſſe, ut mutato Bononiæ obſidendæ conſilio Romam iret, quo ſe fortuna vocaret. Captivi Piſas primum, deine mari Neapolim vecti ſunt.

Sæcul. XIII. A.C. 1241.

Petr. de Vin. I. ep. 9. Matth. Par. p. 501.

P. Vin. ep. 8.

Præſules fuga ſubducti ad Papam miſerunt epiſtolam, quæ portat nomina Archiepiſcoporum Joannis Arelatenſis ac Petri Tarraconenſis, Epiſcoporum Aſſuricenſis, Aurienſis, Salamanticenſis, Portuenſis, & Placentini in Hiſpania. *Tendebamus*, ajunt, *ad Sanctitatem Tuam cum Archiepiſcopis Rothomagenſi, Burdigalenſi, Auſcienſi, & Veſuntino: cum Epiſcopis Carcaſſonenſi, Agathenſi, Nemauſenſi, Dertonenſi, Aſtano, ac Ticinenſi, & cum Romipeta miſſo a Comite Provinciæ. Ille ſalvus evaſit ut nos & Archiepiſcopus Compoſtellanus, qui Portu Veneris manſerat, Archiepiſcopus Braccarenſis, Epiſcopus Anicienſis, paucique Nuncii: cæteri capti ſunt.*

ap. Rain. n. 58.

Suppli-

Sæcul. XIII. A. C. 1241.

Supplicamus igitur, ut contra tyrannum pro atrocitate criminis sui decernas, quoniam eo regnante Ecclesia nullam habebit pacem, timendumque est ne cuncti Principes exemplum ejus sequuntur. Dabant Genuæ 10. Maji.

Matth. Par. p. 501.

Captivi Præsules multa sufferebant incommoda. Versabantur diu in mari catenis vincti, & in triremibus coarctati, fame sitique pressi, aëris calori, muscarum aculeis, militum & nautarum convitiis ac injuriis expositi. Carcer eis quies videbatur, cum tamen delicatiores ibi ægrotarent, & quidam morerentur. Omnium pessime habebatur Episcopus Prænestinus, Imperatori invisissimus. Mense Julio Salernum translati sunt. Papa epistolas eis consolatorias scripsit, in quibus Abbates Cluniacensem, Cistercienſem, & Claræ-vallensem inter captivos memorat. Queritur de modica cautione Legati sui Roberti Romandiolani, qui majorem triremium numerum colligere potuisset. Hortatur captivos ad patientiam exemplo veterum Martyrum habendam. Promittit simul, se nihil omissurum, ut illos per vim in libertatem asserat, & acceptam injuriam compenset.

Ric. S. Ger. XV. ep. 85. 109. ap. Rain. n. 69. 72.

§. XLVII.

Sæcul. XIII.
A. C. 1241.

§. XLVII.

Sanctus Ludovicus eorum libertatem flagitat.

Rex Sanctus Ludovicus comperta Gallicorum Præsulum captivitate, ad Imperatorem misit Abbatem Corbejensem & Gervasium Scriniorum Curatorem cum litteris, quibus Præsulum libertatem flagitabat. Fridericus respondit iterando querelas de Papa Gregorio. *Utroque*, inquit, *gladio contra me usus, concilium, ut damnarer, convocaverat. At Deus malam ejus intentionem videns fecit, ut Præsules meas in manus inciderent, quos omnes tanquam inimicos detineo. Ne mirare igitur, si Gallicos Præsules, qui me in angustias adigere volebant, in arcta teneam custodia.* S. Ludovicus in altera epistola constantem hactenus Franciæ cum Imperio consensionem illi ob oculos posuit. *Hanc tu rupisti*, addit, *capiendo Præsules Regni nostri ad Apostolicam Sedem euntes, quo, cum abnuere jussa nequirent, jurata eos obedientia vocabat.* Episcopi (quod hic videmus) in Gallia, sicut ubique alibi tunc credebantur accersentem Papam non posse non adire. *Ex eorum epistolis*, pergit Rex, *cognovi, si Papa quidquam contra jus & fas esset molitus, eosdem ne tunc quidem nocere tibi voluisse. Itaque in liberta-*

Nang. Gest. to. 5. Duchesne p. 336. Petr. de Vin. l. ep. 13.

Ibid. ep. 12.

Sæcul. XIII. A. C. 1241.

bertatem illos reſtituere debes. Id ſerio cogita! Nam Regnum Gallicum non eſt tam infirmum, ut inſectationes tuas amplius ferat. His litteris haud defuit effectus, dum Imperator quanquam invitus Gallos omnes dimiſit liberos.

Ric. S. Ger. p. 1036.

Interim ſe longius ſemper in Italia & latius extendebat, vaſtans agros circumjectos urbibus ingreſſum denegantibus. Faventia Fanum, dein Spoletum, hoc capto Aſſiſium venit: & ſumptibus belli ſuffecturus, ſui in Italia Regni Præſules menſe Junio Melphiam convocatos aſtrinxit, ut ſibi Domino ſuo templorum theſauros, ſcilicet ſupellectilem argenteam, ornamenta ſerica, & gemmas commodarent; id quod per duos menſes proximos urgebat. Omnes has opes in urbem S. Germani prope Montem Caſſinum congeri juſſit. Inter alia menſa aurea, quæ hoc in cœnobio ante aram S. Benedicti ſtabat, & argentea ad altare Beatiſſimæ Virginis poſita auferebatur. Sed Eccleſiæ theſaurorum partem pecuniis redemerunt.

§. LXVIII.

Vaſtitas Hungariæ a Tartaris illata.

Ibid.

Eodem menſe Junio 1241 Imperatori nunciatum eſt, Tartaros magis ſemper

per magisque progressos, victo Hungariæ Rege in foribus Germaniæ stare. Rex ipse Episcopum Vaccianum ad eum misit cum epistolis, per quas & se & Regnum suum illi subjectum fore spondebat, si hoc a Tartaris tueretur. Ducebat eos Bathus seu Baido Ginguiscani nepos, Occidentem ac Septem triones versus procedens interea, dum Ogtajus cognatus ejus Orientem impugnabat, ubi Regnum Sinarum in ditionem suam redegit. Bathus Russos, Bulgaros, Sclavos aggressus, etiam Cuthenum Comanorum Regem profligavit, qui pro se suaque familia persugium a Bela Hungarorum Rege petiit, se in ejus potestate fore, ac Religionem Christianam amplexurum pollicitus. Annuit Bela cum gaudio, tot animas Christo adjunctum iri sperans. Sed Comani etiamnum barbari, & quorum bona in re pecuaria consistebant, Hungaris & grandia intulere mala, & Regem Belam exosum reddiderunt.

Sæcul XIII. A.C. 1241.

Abulfar. p. 310.

Haito c. 22.

G. Nang. Gesta p. 340.

Roger. De-struct. Hung. c. 2.

Interim Tartari Russiam ingressi, captam Kioviam urbem tunc principem incolis omnibus trucidatis funditus everterunt; & vastata Polonia, cujus Dux Henricus in prœlio cecidit, invasere Bohemiam; sed repulsi quendam e Ducibus suis primariis Betam nomine amiserunt. Hanc irruptionem Dux Brabantiæ percepit per epistolam generi sui Dynastæ

Matth. Par. p. 496. 497.

Dubrav. lib. 16. p. 131.

M. Par. ibid.

Sæcul. XIII. A C. 1241.

Saxonici Dominica *Lætare* 10 Martii an. 1241 datam, quam ad Episcopum Parisiensem misit. Regina Blanca tam tristi nuncio territa, ad S. Ludovicum, *Ubi es fili mi*, clamabat. Accessit iste, &: *Quid est, o mater mea*, inquiebat. Illa gravi suspirio ducto soluta in lachrymas, *Quid agendum*, ajebat, *dilecte fili, hoc rerum in articulo, dum Ecclesiæ nobisque omnibus, quotquot sumus, interitus imminet?* Ad ea Sanctus Rex: *Divinum speremus auxilium! Si Tartari veniant, detrudemus eos in orcum, aut illi nos in cœlum mittent.* Hoc dictum non tantum Ordini Nobilium Gallicorum, verum etiam vicinis populis animos addidit.

Roger. Destruct. c. 14.

Compertum est in Hungaria, Tartaros ejus fines Russiam versus depopulari elapso post ingressum Comanorum anno, nempe circiter Natalem Christi an. 1240. Tum vero Rex Bela totum per Regnum edici curavit, ut Ordo Nobilium ad primum imperium in hostem ire paratus esset. At Hungari plerique Regem perosi similes de Tartarorum accessu rumores sæpe sparsos falsosque fuisse causabantur. Alii perhibebant, eorum authores esse Præsules, qui se vellent absolvere a necessitate petendi Romam, quo ad concilium a Papa vocati essent. Nemo tamen ignorabat, Hugolinum Archiepiscopum Colociensem Venetias misisse, qui pete-

peteret, ut ipsi & aliquot Suffraganeis ejus triremes reservarentur, ac ne abirent ex Hungaria, invitos a Rege cohibitos fuisse. Sub tempus verni jejunii an. 1241 creſcente semper rumore de appropinquatione Tartarorum Rex Budam delatus Præsules Proceresque convocavit ad deliberandum de mediis tuendi Regnum. Quarta jejunii verni hebdomade, die Martis 12 Martii commissa ibi pugna acerrima Bathus Russica Regni porta potitus per exercitum suum e quingentis hominum millibus constantem cœpit vastare rura, incendere pagos, enecare incolas omnes sine discrimine sexus vel ætatis. Sequente die Veneris 15 Martii dimidii diei itinere Pesto aberat ex adverso Budæ ad Danubium sito. Continuantes vastationem Tartaros aggressurus erat Archiepiscopus Colocienſis: sed victus probrosam capessere fugam cogebatur. Benedictus Episcopus Varadinensis, cum illos diruta Agria Episcopi ac Ecclesiæ thesauros diripere audiisset, & pariter in eos copias duxisset suas, militari dolo deceptus succubuit.

Sæcul. XIII. A.C. 1241.

c. 15.

c. 16.

c. 21.

c. 27.

Rex Bela Agriam usque progressus Tartaros fugam simulantes invadere volebat: sed Hungaris, qui eorum pugnandi modum nesciebant, Regemque suum parum amabant, ad internecionem cæsis, Belæ id unicum saluti fuit, quod in-

c. 28.

Sæcul. XIII. A.C. 1241.

incognitus aufugeret. Hoc infausto die aliquot Præsules perempti sunt; Matthias Archiepiscopus Strigonienſis, in quo magnam Rex fiduciam posuerat; Hugolinus Archiepiscopus Colocienſis, illustri ortus genere, atque grandia ad negotia præ cunctis idoneus; Georgius Episcopus Jaurinenſis, a doctrina sua commendatus; Raynaldus Transylvanus Episcopus Nitrienſis ob mores suos laudatissimus; Nicolaus Sebenicenſis in Dalmatia Ecclesiæ Præpositus, Regis Procancellarius, qui e Tartaris præcipuis quendam sua prius mactavit manu, quam morte occumberet: nam hi Præsules pugnantes interempti sunt. Hæc clades terram constraverat cadaveribus, quæ per bidui viam dispersa, capite truncata alia, alia in partes dissecta jacebant. Multi aquis suffocati, multi una cum pagis & templis combusti sunt: multis etiam aër tot cadaverum fœtore infectus vitam eripuit, illis præsertim, qui saucii ac semimortui in sylvas se abdiderant. Denique, cum agri triennio, quo Tartari manebant in Regno, coli haud possent, ex fame malorum cumulus accessit.

c. 30.

Jo. Thwrock. Chr. c. 74. c. 34.

Capto Varadino, cum Ecclesia Cathedralis, in quam multæ fœminæ nobiles confugerant, contra hostes defenderetur, injectis ignibus eam cum omnibus inclusis concremarunt. Aliis in templis

omne

omne impuritatum & ſacrilegiorum genus commiſere. Poſtquam mulieres conſtupraverant, eodem loco eas necabant. Frangebant vaſa ſacra, ſepulchra Sanctorum diſrumpebant, horum reliquias pedibus calcabant. Ex hoc exemplo conjici poteſt, alibi quid fecerint. Ita per æſtatem anni 1241. omnem trans Danubium regionem usque ad confinia Auſtriæ, Bohemiæque ac Poloniæ devaſtarunt. Rex Bela in Dalmatiam profugit ſalvus, nec niſi poſt Tartarorum abitum rediit, nimirum anno 1243. Sæcul.XIII. A.C. 1241. c. 37. c. 38.

§. XLIX.

S. Hedwigis Polonicæ obitus.

Henricus Poloniæ Dux, in hac Tartarorum incurſione occiſus, Ducem Henricum tribus abhinc annis extinctum & S.Hedwigem parentes habuerat. Hæc necem filii divinitus cognitam haud minus fortiter quam mortem conjugis tulit. Procul aberat, ut in lachrymas iret; ſed Principis Viduam, & Abbatiſſam Trebnitienſem filiam ſuam dolore oppreſſas videns, *Hæc eſt voluntas Dei*, ajebat; *& quidquid ei placet, nobis eſſe acceptum debet.* Tum oculis manibusque ad cœlum ſublatis addidit: *Gratias tibi ago Domine, quod talem mihi dederis filium, qui per omnem vitam ſuam me coluit & amavit,* *Vit.ap.Sur. 15.Oct.c.3.8.*

Sæcul. XIII. A. C. 1241.

amavit, nullam mihi unquam moleſtiam creans: & quantocunque mihi gaudio fuiſſet, eum poſt me relinquere, felicem reputo, quod ſanguinem pro cauſa tam bona fuderit, & in cælo tibi conjunctum credo.

§. 4.

Huic piæ Principi duo vitæ anni ſupererant, quos in exercitatione Chriſtianarum virtutum omnium tranſigebat. Ejus abſtinentia erat tanta, ut per annos quadraginta circiter nulla carne veſceretur, quidquid ſeu inſtando precibus, ſeu exprobrando frater ei ſuus Epiſcopus Bambergenſis diceret, cui magnam obſervantiam ſimul ac benevolentiam exhibebat. Denique Guilielmus Epiſcopus Mutinenſis, & Apoſtolicæ Sedis Legatus in Poloniam profectus, cum ægram videret, ad comedendam carnem per obedientiam adſtrinxit. Ad menſam ordinariam die Dominica, Martis, & Jovis adhibebat piſcem aut cibum lacte confectum; die Lunæ & Sabbathi legumina ſicca; die Mercurii ac Veneris ad panem & aquam ſe redigebat. In veſtitu omnem non ornatum modo & mollitiam, ſed commoditatem quoque, & vix non neceſſitatem ſibi ſubtraxerat, tunicam tantum & ſtolam geſtans, ac nudis plerumque pedibus contempto regionis frigore incedens. Quin etiam ſubucula ſetis aſpera & flagellis ad ſanguinem ſuum corpus afflictabat.

Ejus

Ejus preces erant longæ, ferventes, ac propemodum continuæ: pluribus quotidie ſacrificiis præſens ad quodlibet offerebat donum ſuum, & in fine ſibi Sacerdotis manus imponi gaudebat. Editis miraculis, & vaticinationis dono clara, cum imminere ſibi mortem ſciret, Extremam Unctionem, antequam ægrotaret, petiit. Denique ad cœlum avolavit 15 Octobris anno 1243. Voluerat in cœmeterio Parthenonis humari: ſed Abbatiſſa illius filia hoc in animum inducere non poterat, & invitam in templo ante aram principem ſepeliri juſſit. Sacræ Deo Virgines, ut Sancta prædixerat, multum incommodi patiebantur ex multitudine hominum ad ſepulchrum ejus precantium, ubi divina virtus admiranda multa patravit. Igitur Epiſcopi ac Duces Poloniæ ab Apoſtolica Sede efflagitabant, ut Hedwigem in album Cœlitum ſolenni ritu referret: quod præmiſſis idoneis inquiſitionibus poſt tres ac viginti annos a Papa Clemente VI. factum 26 Martii an. 1267. illiusque honori dies obitus 15 Octobris aſſignatus eſt.

Sæcul. XIII. A.C. 1241.

c. 5.

c. 7. 8.

Rain. 1267. n. 41. *Bullar. Clem. IV. conſt.*

Sæcul. XIII. A. C. 1241.

§. L.

Papæ ac Imperatoris querelæ mutuæ ex occasione Tartarorum.

XV. ep. 79. ap. Rain. 1241. n. 18. 19

Ut primum Tartari Hungaros invaserant, Rex Bela Papæ Gregorio rei notitiam dedit, qui 16 Jun. an. 1241 respondens, post communes consolationis locos eum ad generosam Regni defensionem animavit, subsidium generalibus promittens verbis: simulque Episcopis Hungariæ scripsit, ut sibi subjectis sacram contra Tartaros militiam suaderent, eandem, quæ Terram sanctam petentibus fieret, noxarum pœnarumque condonationem offerendo. Cum Rex post suorum stragem Stephanum Episcopum Vaccianum in Italiam misisset cum epistolis ad Papam & Imperatorem, Gregorius ei rursum per officiosas sui Hungaricis in malis luctus contestationes, ac generalia auxilii promissa respondit, in fine addens: *Si Fridericus, qui se Imperatorem dicit, submisse se gerere ac Ecclesiæ subjicere vellet, ad pacem cum eo jungendam parata esset, idque foret medium tibi efficacius succurrendi.* Dabat 1 Julii.

Ibid. n. 27.

Contra Fridericus perhibebat, sibi, ne Hungariæ subveniret, Papam obstare, qui Lombardos, cæterosque contra Imperium

rium rebelles Italos foveret. Atque hoc elucet ex illius ad Regem Belam responso, in quo dicit, sibi instaurandis in Italia Imperii juribus occupato ad conficiendum hoc grande opus modico tempore opus esse; omnesque labores ac sumptus ad eam rem impensos, si de regione decederet, inutiles fore. *E præterito*, inquit, *futurum metior. Papa me absente Siciliam adoriretur, sicut fecit, cum in Terram sanctam proficiscerer. Quare omnia reliqui, ut Romam contenderem, cui propinquus jam sum. In pacem assidue incumbo, quam me obtenturum celerrime, & postea in Tartaros iturum spero.* In eandem sententiam Regi Galliæ cæterisque Principibus Christianis epistolam scripsit, cujus hæc summa est. *Audimus Tartaros Imperii finibus imminere, ejusque ac Ecclesiæ Romanæ excidium meditari. Sed quamvis nos illis opponere firmissime statuerimus, mala præsentia depellere potius, quam intentata avertere cogimur: nempe Italia, quam Papa in nos commovet, subigenda nobis est. Itaque vos omnes adhortamur, ut nobis Imperii jura redintegrantibus, vos interea hostis communis conatibus obviam eatis.*

Sæcul.XIII. A.C.1241.

Petr. de Vin. lib. 1. ep. 29.

Ric. S. Ger. p. 1036. Petr. Vin. l. ep. 30.

Easdem de Papa querimonias Imperator habuit in longa epistola ad Regem Angliæ 3 Jul. data, in qua post descriptos Tartarorum progressus, ac eversionem Hungariæ ita loquitur: *Quoties Papam*

ap. Matth. Par. p. 469.

Sæcul. XIII. A. C. 1241.

pam ad ineundam nobiscum pacem, & ad deſtituendos Italos contra Imperium rebelles permovere conati jam ſumus! Sed impotentem animi motum ſequens, milites contra nos ad ſacræ crucis exercitum conſcribi juſſit, qui adverſum Tartaros vel Saracenos mittendus erat. Porro Tartaros per exploratores omnem in partem miſſos compertum diſſidium noſtrum, ut nos invaderent, ſtimulavit. p. 498. *Si abſque obſtaculo Germaniam intrarent, haud diu expectandi reliquis eſſent Principibus.* His quoque ejusmodi epiſtolas miſit Imperator; & in illa, quam ad Galliæ Regem ſcripſit, addebat: *Miramur Gallos tam ſagaces non præ cæteris perſpexiſſe Papæ artificia, cujus arrogantia inſatiabilis Chriſtiana Regna omnia ſibi ſubjicere cupit, & Angliæ corona pedibus obtrita Imperium oppugnat.*

§. LI.

Mors Gregorii IX. & Cœleſtini IV.

Ric. S. Ger. p. 1036.

Fridericus urgebat iter Romam verſus, quo eum Cardinalis Joannes Columna invitaverat, qui eodem menſe Julio Papa relicto Prænesſte profectus aliqua Romanis loca eripuit, & copias ab Imperatore accepit. Is autem menſe Auguſto Tibure in ditionem redacto, Romæ ſemper magis appropinquans, occupatis quibusdam Cœnobii Fabaritani caſtellis ad Cryptam

Cryptam Ferratam castra posuit, unde Romanum vastabat agrum. Tum audiit Papam Gregorium IX. e corpore excessisse 20. Augusti an. 1241. Pene centenarius erat, summum Pontificatum 14. annis quinque mensibus gesserat, & in Vaticano sepultus est. De obitu ejus Imperator cunctos ad Principes epistolam scripsit, in qua suum Gregorii odium non dissimulat, successoremque pacis amantiorem eligi cupit. Sæcul. XIII. A.C. 1241. *Matth. Par. p. 510. Petr. Viv. I. ep. 11.*

Romæ decem Cardinales aderant: duos in mari captos, scilicet Jacobum Episcopum Prænestinum, & Ottonem Diaconum ad S. Nicolai, Apostolicæ Sedis Legatos Imperator in carcere detinebat. Illi decem miserunt Oratorem, qui ipsorum nomine Cæsari supplicaret, ut Legatos ea, qua vellet, conditione dimitteret, Romam ad electionem Papæ venturos. Annuit Fridericus ea lege, ut in carcerem redirent, nisi Otto in Papam eligeretur: & generatim permisit, ut absentes Cardinales omnes hoc fine Romam peterent. Interea decem præsentes coierant quidem; sed diversa tulerant suffragia: quinque Godefridum Mediolanensem Episcopum Sabinensem elegerant, tres alium, Romanum nomine, qui Cardinalis ad S. Angeli fuerat, & tunc Episcopus Portuensis erat, cooptaverant. Imperator Godefridum admisit, Romanum rejecit, *Alb. Stad. Chr. 1241. Ughell. to. I. p. 154.*

Sæcul. XIII. A. C. 1241.

rejecit, quia hic malam existimationem in Gallia tum ob jurgium cum Universitate Parisiensi habitum, tum ob iniquos rumores, de sua cum Regina Blanca amicitia sparsos contraxerat, & præterea, quia dissidium inter Aulas Romanam & Imperatoriam aluisse dicebatur. Utraque electio erat irrita, quod neutra duas tertias suffragiorum haberet, ut per constitutionem Alexandri III. necesse fuit.

Sup. Lib. LXXIX. §. 13.

M. Par. p. 512.

Cardinales, cum ita dissentirent, tum quidem discesserant: dein vero post plures disceptationes duobus electis jure suo cedentibus exeunte Octobri in suffragia rursus itum, & Papa declaratus est Cardinalis Godefridus novo nomine Cœlestinus IV. Bonis moribus & doctrina conspicuus erat, at senio confectus, ita, ut sequente Novembri mortem oppeteret in Vaticano, cum Sedem Apostolicam sedecim tantum diebus tenuisset. Suspicio fuit, veneno necatum esse. In S. Petri sepultus est; moxque Cardinales aliqui Roma Anagniam fugerunt.

Ric. S. Ger. p. 1037. 1038.

§. LII.

Vacatio sanctæ Sedis.

Alb. Stad. an. 1242. Matth. Par. p. 518.

Interregnum supra annum octo pene mensibus duravit ob Cardinalium dissensionem, quæ eos aliorum ludibrii exponebat. Sex aut septem restabant Romæ;

mæ: quidam e vita cesserant; aliqui ægrotabant; alii in patria sua abditi cognatos inter & amicos suos hærebant; nec animis minus quam corporibus divisi erant. Curia Romana in mœrore jacebat, & magnum in contemptum venerat. Imperator tamen mense Februario an. 1242. Magistrum Ordinis Teutonici Marinum Filangerium Neapolitanum, novum Archiepiscopum Bariensem, ac Doctorem Rogerium Porcastrellium Romam misit de pace acturos. Eodem mense Henricus Imperatoris filius natu maximus in arcis Martoranensis carcere naturæ cessit: & Imperator, quantamcunque offensam ab eo passus erat, haud omisit tamen ad omnes Regni Præsules scribere, ut exequias ejus celebrarent, suisque precibus Deum illi propitium redderent. Sequente Aprili captivos duos Legatos Jacobum Episcopum Prænestinum, & Ottonem Cardinalem S. Nicolai Tybur advehi jussit.

Sæcul. XIII. A.C. 1242.

Ric. de S. Ger. p. 1038. *Ughell. to.* 7. *p.* 885. *Petr. Vin. IV. ep.* 1.

Ric. p. 1039.

Interim pax non fiebat: & mense Majo Cæsareæ copiæ Reatinos, Narnianos, & Asculinos agros Romani Tyburtinos vastabant. Mense Julio Fridericus ipse adversus Romam numerosum duxit exercitum; & viciniam depopulatus mense Augusto in Regnum suum rediit. Tum Cardinalem Ottonem dimittens liberum, Episcopum Prænestinum in Apuliam

p. 1040.

Sæcul. XIII. A. C. 1242.

liam captivum revehi voluit. Hoc probabiliter tempus erat, quo Cardinalibus exprobravit, quod per dissensionem suam Papæ novi electionem tamdiu differrent.

Petr. de Vin l. ep. 14. *Nullam spiritualium*, inquit, *solam fluxarum rerum vobis ante oculos observantium rationem ducitis. Quilibet vestrum summam ardenter dignitatem cupit, & ambitioni suæ obsequitur, meritorum minime studiosus. Æmulatio usque eo vos abripit, ut alter alteri mortem imprecetur: tantum abest, ut eum videre Papam velit. In factiones igitur ne discedite, sed conjunctis animis Ecclesiæ caput date, orbique Christiano exemplum melius præbete!*

Ibid. ep. 27. Cum hæc epistola effectum suum non haberet, vehementiorem scripsit, in qua inter objurgationes & injurias hæc dicit: *Hic omnium sermo est, non esse inter vos JESUM Christum authorem pacis, sed Satanam patrem mendacii & discordiæ; cumque vestrum quilibet summum ad Pontificatum aspiret, nullum consentire, ut alius eum obtineat: ita sedes vacua & contempta manet; nec ad vos dona deferuntur amplius, quamvis accipere parati semper sitis.*

ep. 35. Habentur etiam Gallorum Regis ad Cardinales litteræ, in quibus hos simili modo reprehendit, exhortans, ne timeant Imperatoris violentiam, qui Sacerdotium Imperio per nefas jungere velle videatur.

§. LIII.

Sæcul. XIII.
A.C. 1242.

§. LIII.

Rebellio Comitis Toloſani.

Sup. Lib. LXXIX. §. 51. Guil. Pod. Laur. c. 44.

Raymundus Toloſæ Comes fœderis cum Rege Sancto Ludovico Pariſiis anno 1229. initi pœnitentia ductus, alteras ad nuptias procedere volebat, ut ſuſciperet filium, quem ſucceſſorem ſuum ſcriberet excluſa filia ſua Joanna. Hanc Principem e prima uxore ſua Sanctia Arragonia procreaverat, quæ etiamnum vivebat, ſed a Comite dudum relicta fuerat, ſuum matrimonium declarari nullum cupiente. Hunc in finem a Papa Inquiſitores impetraverat, ſcilicet Epiſcopum Albigæ, ac Præpoſitum ad S. Salvium eadem in urbe, qui diſſolutionem conjugii ſtatuerunt ex eo capite, quod Comitis pater Sanctiæ pater luſtricus eſſet. Nec iſta repugnabat. Sed Raymundus Epiſcopus Toloſanus multis Comitis precibus non eſt adductus, ut huic judicio intereſſet, quia teſtium productorum relatio ei ſuſpecta erat. Hæc illius cautio acceptiſſima fuit S. Ludovico, ejus fratri Alphonſo Comiti Pictavienſi, & conjugi ejus Joannæ, quorum rationibus Inquiſitorum ſententia oberat.

Ita ſolutum ſe perhibens Comes Toloſanus ex conſilio Regis Arragoniæ tertiam

Sæcul. XIII. A.C. 1242.

tiam Raymundi Berengarii Provinciæ Comitis filiam, cui pariter Sanctiæ nomen erat, in sponsam petiit: & Rex Tolosani Comitis personam gerens, sub conditione, si Papa annuat, sponsalia cum illa fecit per actum Aquis Sextiis 11. Aug. 1241. celebratum, ubi Episcopus Tolosanus tanquam testis aderat. Papæ consensu opus fuit, quia ob cognationem legis gratiam fieri oportebat: eamque obtinendi causa Legati mittebantur ad Papam Gregorium, cujus mortem Pisas delati audierunt. Quare hoc connubii fœdus effectu caruit, & illa Princeps postea Comiti Richardo Angliæ Regis fratri nupsit. Tolosanus Comes ducturus erat Isabellam ex Hugone Liciniacensi, Marchiæ Comite, ac Isabella Regis Joannis vidua & Henrici tunc in Anglia regnantis matre natam: sed rursum propinquitas obstabat.

Gall. Chr. to. 1. p. 688. Guil. Pod. Laur. c. 45.

Interim accessit ad armorum societatem, quam Marchiæ Comes cum Rege Angliæ contra Gallorum Regem iniit, ut Pictaviensem provinciam recuperaret. Verum Rex S. Ludovicus hoc in bello gloriæ messem fecit. Nam & egregia fortitudinis suæ specimina in Talleburgensi æque ac Santonensi pugna edidit; & Regem Henricum in fugam

Nang. Gesta p. 337.

gam compulit; & Marchiæ Comiti, cui Comes irata venenum parari voluerat, generoso ignovit animo: quod anno 1242 factum. Comes Tolosanus Regis progressibus bellicis obstupefactus pacem petiit, & anno sequente Lauriaci in agro Vastinensi obtinuit. Sæcul. XIII. A. C. 1242.

§. LIV.

Martyres Avenionetenses.

Seditio Comitis Tolosani Occitaniæ hæreticorum animos accendit: & legimus, eodem anno 1242. 29 Maji in pervigilio Ascensionis a quibusdam eorum sectæ addictis Inquisitores fuisse occisos; nempe tres Fratres Prædicatores, Guilielmum Arnaldum, Bernardum Rupifortinum, & Garsiam Aurianum; duos Fratres Minores, Stephanum Narbonensem, & Raymundum Carbonensem; Priorem Avenionetensem monachum Clusanum, Raymundum Canonicum & Archidiaconum Tolosanum, Bernardum ejus Clericum, Petrum Arnaldum Notarium, Fortanerium & Ademarum Clericos. Hi undecim nocte in conclavi Comitis Tolosani jubente ejus Prætore trucidati sunt Avenioneti nunc Papulopolitanæ, tunc Tolosanæ Diœcesis oppido. Illorum cæde comperta Cardinales in interregno Romæ præsentes *Boll. 29. Maj. to. 18. p. 180.*

Sæcul. XIII. A.C. 1242.

Fratrum Prædicatorum per Saluviorum terram Magiſtro Provinciali inſtar omnium Fratrum ea de re epiſtolam ſcripſerunt, in qua viros per hoc facinus vita privatos, mortis cauſa & circumſtantiis ſpectatis, Martyres vocant. Sceleris atrocitas a bello contra Regem cœpto revocavit aliquos eorum, qui ſe cum Comite in illud immiſerant. Sed anno proximo Comes pace Lauriaci confecta Toloſam reverſus quosdam homines, qui cædi adfuiſſe dicebantur, comprehenſos ad patibulum condemnavit.

G. Pod. Laur. c. 45.

HISTORIÆ ECCLESIASTICÆ

LIBER LXXXII.

INNOCENTIUS IV. PAPA.
FRIDERICUS II. IMP. OCCID.
BALDUINUS II. IMP. ORIENTIS.

§. I.

Innocentius IV. Papa.

Cum Sedes Apoſtolica diutiſſime vacaret, & Cardinales conjecta in Cæſarem rei culpa, Collegarum aliorumque Præſulum captivorum libertatem ab eo inſtanter peterent, anno 1242 majo- Sæcul. XIII. A.C. 1243. *Matth. Par. an. 1243. p. 530.*

Sæcul. XIII. A. C. 1243.

majorem partem e cuſtodia dimiſit. Sed Papæ novi electionem nondum procedere videns, per armorum terrorem eam urgere ſtatuit. Igitur an. 1243 menſe Aprili numeroſum ducens exercitum relicta Apulia Campaniam felicem intravit: deinde menſe Majo Romam profectus, vaſtata omni vicinia, magnam urbis partem obſedit. Conquerebantur Romani, ac Cæſari exponebant, interregni diuturnitatem non ſibi, ſed Cardinalibus adſcribendam eſſe, qui non modo ſingularium commodorum ſtudiis, & animorum ſenſibus, verum etiam locis diviſi, variis in urbibus abditi hærerent. Ergo revocatis ille copiis edici juſſit, ut Eccleſiæ atque Cardinalium, non aliorum terras devaſtarent. Tum Sarraceni, ſub eo ſtipendia facientes, malique inter milites Chriſtiani oppugnatam urbem Albanam ipſaque templa centum quinquaginta numero atrociter expilabant, ornamenta, calices, libros, & quidquid in rem ſuam vertere poterant, aſportando, incolasque in extremam redigebant miſeriam. Cardinales, ne cæteris Eccleſiæ terris idem fieret, Imperatorem, ut has direptiones ſiſteret, orantes, quamprimum ſe Papam electuros ſpondebant: & ille retexto edicto, quin etiam Jacobo Epiſcopo Prænestino ad Cardinales Collegas ſuos honorifice remiſſo, avocavit tandem

Ric. S. Ger. p. 1040.

dem exercitum, ac Regnum repetiit suum. Sæcul. XIII. A.C. 1243.

Galli quoque per legationem Cardinalibus in Romana curia instabant, ut ne differrent amplius electionem: *alioquin*, ajebant, *quæremus media vestram supplendi negligentiam, & nobis constituendi Papam cis alpes, cui morem gerere debeamus.* Matthæus Paris hoc referens addit, Gallos has minas intendere ausos esse ob suum jus antiquum S. Dionysio a S. Clemente datum, cum illum ad Occidentis populos sacram in expeditionem mitteret. Ego id alibi non inveni. *Matth. Par. p. 532.*

Die festo S. Joannis 24 Junii an. 1243. Cardinales denique Papam cooptarunt. Is erat Sinibalius Fiescus Genuensis e prosapia Lavaniæ Comitum, Cardinalis Presbyter S. Laurentii *in Lucina*. Anagniæ communi electus consensu, Innocentius IV. dictus, eodemque loco die lunæ 29 ejusdem mensis festo SS. Petri & Pauli inauguratus est. Apostolica Sedes unius anni & octo pene mensium spatio vacaverat, & Innocentius eam annis undecim ac dimidio tenuit. Mox Episcopis de sui electione pro more notitiam dedit, sacram in memoriam se commendans, ut liquet ex epistola ad Archiepiscopum Remensem ac ejus Suffraganeos 2. Julii data. Finit per memorabilem hanc clausulam: *Cæterum quia ejusmodi* *Id. p. 534.* *Ric. S. Ger. p. 1040.* *Raynald. 1243. n. 5. 6.* *Lib. epist. 1. ap. Rain. n. 7.*

Sæcul. XIII. A. C. 1243.

litterarum latores interdum exactiones faciunt, vetamus, ne huic quidquam largiamini præter victum, ac necessarium, si forsan ægrotet, auxilium: quoniam se nihil acceptorum juravit, & de sumptibus itineris ei aliunde provisum est.

§. II.

Papæ Legati ad Imperatorem.

Cardinalis Sinibalius in Papam electus fuerat, quia Friderico erat charissimus, &, quod consequitur, eidem cum Romana curia reconciliando præ cæteris idoneus. Nuncium tamen Cæsari doluisse mirum fuit omnibus: & ipse rationem exposuit, *Prævideo*, inquiens, *amicum antea Cardinalem inimicum mihi Papam fore.* Melphiæ tunc erat, cum rem comperit, totique regno suo preces indici jussit, ut Deo grates agerentur. Dein mense Julio ad Papam misit Berardum Archiepiscopum Panormitanum, & quinque Legatos, Girardum Teutonicorum Equitum Magistrum, Ansaldum Siculæ classis Præfectum, Petrum de Vineis & Thaddæum Suessiensem Controversiarum Aulæ Cæsareæ Judices, atque Rogerium Porcastrellium Decanum Messanensem, sacello aulico præfectum. Dabat simul epistolam, in qua Papam veterem amicum suum, & ex nobili Imperii familia ortum

Ricordano Malesp. c. 132

Ricard. ibid.

Petr. de Vin. I. ep. 33. & ap. Rain. n. 11.

ortum agnoscit, totam illi potentiam suam ad Ecclesiæ libertatem, honoremque tuendum offerens. Papa hac legatione benigniſſime excepta, de pace acturos tres Nuncios ad Cæsarem misit, Petrum Collimedium Archiepiscopum Rothomagensem, Guilielmum veterem Episcopum Mutinensem, & Guilielmum ad S. Facundi in Gallæcia Abbatem. Sæcul. XIII. A. C. 1243. *Sent. in Frid. to. XI. conc. p. 640.*

Petro, cujus sæpe jam meminimus, natale solum erat Campaniæ Italicæ locus quidam *Collis medius* nomine, quod ille hinc traxit. Honorio III. & Gregorio IX. a sacello fuit, ad plura negotia in Anglia primum apud Pandulphum Nuncium, deinde in Occitania contra Albigenses adhibitus. Archiepiscopatu Turonensi, Episcopatu Tarvannensi aliisque recusatis, Præpositi Audomarensis munere contentus fuerat: quin etiam hoc abdicavit, ut Canonicus Regularis in Monte S. Eligii prope Atrebatum fieret. Postquam Mauritius Archiepiscopus Rothomagensis 13. Jan. an. 1234. mortem obierat, suffragiis absque effectu initis sedes supra 18. menses vacavit. Anno sequente die Veneris intra Octavam Paschatis nempe 13. Apr. Petrus Collimedius una omnium voce in Archiepiscopum postulatus, cum repugnaret, a Papa per legationem rogato vi obedientiæ jussus, mense Octobri Parisiis in ædibus *Ughell. to. I. Gall. Chr. to. I. p. 586.* *Chr. Rotho. to. I. bibl. Lab. p. 376.*

Sæcul. XIII. A.C. 1243.

Templariorum tandem consensit. Inauguratus vero non est nisi Dominica decima post Pentecosten mense Augusto an. 1236, nimirum postquam Papa ipsum ab imposita per imperium necessitate ad consecrationem Romam veniendi absolverat. Pallium ei attulerunt illi, quos ea de causa miserat, & in Metropolitana Ecclesia sua solenni ritu consecratus fuit, Anno 1241. cum ad concilium a Papa Gregorio IX. convocatum iter faceret, in triremi Genuensi captus & dimissus cum aliis est: atque ita apud Papam erat.

p. 377.

Sup. Lib. LXXIX. §. 7.

Guilielmus Episcopus Mutinensis erat is ipse, qui relicto hoc Episcopatu, in Livonia cæterisque septem trionum partibus tam diutinos labores exhauserat.

Rayn. 1239. n. 41. 42. &c.

Abbatem ad S. Facundi tanquam hominem fidum Papæque ac Cæsari reconciliandis idoneum ad Gregorium IX. Ferdinandus Castellæ Rex an. 1239. miserat. Cum enim Papa ad suppetias sibi contra Fridericum mittendas Ferdinandum sicut reliquos Principes stimulasset, is per bellum sibi cum Mauris gerendum se excusabat, præterquam quod sibi in emolumentum filii sui amicitia Imperatoris fovenda esset: atque hæc Abbatem ad Papam referre jusserat. Tales erant tres Nuncii, quos Innocentius IV. ad Fridericum misit, & paulo post in Cardinalium numero collocavit.

Man-

Mandatorum, quæ illis dedit, hæc erat ſumma. Poſcerent libertatem omnium Præſulum cæterorumque Eccleſiaſticorum, quos Genuenſibus in triremibus captos Imperator adhuc in cuſtodia detineret. Acciperent ea, quæ ad abolendas anathematis in ſe contorti cauſas agere paratus eſſet. Offerrent ſatisfactionem Eccleſiæ nomine, ſiquam Friderico injuriam attuliſſet, dicerentque, Papam eſſe promptum ad convocandos ſecurum in locum Reges, Præſulesque ac Principes tam profanos quam ſacros, eorumque judicio relicturum, utra pars conquerendi rationes haberet. Poſtularent etiam, ut pax ad cunctos Papæ amicos & cultores extenderetur. Sed operam luſerunt, Cæſare ejusmodi querelas & petitiones faciente, quibus haud cedendum putabat Innocentius. Interim multæ Italiæ urbes, inter alias Viterbium ad officium & ſub ditionem Papæ redierunt, Friderici fama ad metas hærente. Summum Pontificem ſub finem Octobris relicta Anagnia Romam delatum Senatus populusque magno excepit honore; & Raymundus Toloſanus Comes etiamnum in Italia commorans illum adiit de conficienda inter ipſum & Cæſarem pace acturus.

Sæcul. XIII. A. C. 1243.

Rayn. 1243. *n.* 14.

Ibid. n. 17.

Ric. S. Ger. p. 1041.

Matth. Par. p. 557.

Ric. p. 1042.

Sæcul. XIII. A. C. 1243.

§. III.

Diœceſes Boruſſiæ.

Chr. Pruſſ. p. 477.

Guilielmus Epiſcopus Mutinenſis, cum Anagniæ Papam edocuiſſet de Religionis progreſſu in Boruſſia, ubi Legatum egerat, per victorias Equitum Teutonicorum facto, illam plures in Epiſcopatus partiri, & ſingulorum fines deſignare juſſus, id effectum reddidit per patentes litteras Anagniæ 4. Julii an. 1243. datas. Omnem ibi regionem quatuor in Diœceſes dividit: primam nominat Culmenſem, & ad occidentem per Viſtulam concludit: alteram vocat Pomeſanienſem, longius ad ſeptem triones porrectam, ejusque Eccleſiam Cathedralem in inſula Mariæ ſeu Marienverda collocat: tertiam appellat Varmienſem, ad occaſum mari, ad ortum Lituania terminatam, & illius ſedem Brunsbergæ figit: quartam nuncupat Sambienſem, præ cæteris ad ſeptem triones prolatam, cujus ſedem Fiſchuſii ad mare ponit: hic tractus nondum Chriſtianus erat. Sic conſtitutis Epiſcopatuum limitibus Legatus addit:

n. 123.

Et quia Equitibus Teutonicis ſumptuum & pugnarum onus totum incumbit, terrasque tanquam prædia beneficiaria permultis incolis poſſidendas tradere

dere coguntur, quamlibet Boruſſiæ ter- Sæcul.XIII.
ram tres in partes diviſimus, quarum u- A.C.1243.
nam, quamcunque volet, Epiſcopus, reliquas Equites habebunt cum plena jurisdictione cunctisque juribus, exceptis rebus ſpiritualibus, quæ etiam in duabus tertiis Equitum partibus ad Epiſcopum pertinebunt. Hanc partitionem Papa ratam habuit per litteras eodem anno 8 Octobris ad Magiſtrum ac Equites Ordinis Teutonici datas. Sed 30 Julii Epiſcopo Boruſſiæ ſcripſit, mandatum Legato impoſitum, & quomodo hic illud confecerit, declarans, jubensque Epiſcopum novarum Diœceſium aliquam ſibi eligere, alienationes forſitan factas retexere, ac temporalia Eccleſiæ ſuæ bona e manibus Legati Eccleſiam Romanam exhibentis accipere. *p. 479.* *p. 480.* *Rain. 1243. n. 32.*

Hic Boruſſiæ Epiſcopus, Chriſtianus nomine, antea monachus Ciſtercienſis, per triginta jam annos hujus provinciæ ethnicis ad ſanam fidem adducendis operam dabat. Elegit Diœceſin Culmenſem, & cum paulo poſt mortem oppetiiſſet, ei Henricus ex Ordine Fratrum Prædicatorum ſucceſſit. Primus Varmienſium Antiſtes fuit Anſelmus Misnienſis Ordinis Teutonici Religioſus. Brunsbergæ primum, dein Elbingæ ſedit. Proſtravit quercum, quam Boruſſi Curcho idolo ſuo dicaverant. Erneſtus ex Ordine *Sup. Lib. LXXVII. §. 19.* *Sup. Lib. LXXIX. §. 6.* *Sup. Lib. LXXX. §. 2.* *Chr. Pruſſ. diſſ. p. 222. p. 213.*

Sæcul. XIII. A.C. 1243.

ne Fratrum Prædicatorum Pomeraniæ Sedem primus & 22 annis scilicet ab anno 1247. usque ad 1269. tenuisse fertur.

p. 225. p. 227.

Denique Sambiensibus primus præfuit Henricus Brunensis, cum Ottocaro Bohemiæ Rege in Borussiam delatus. Hi Episcopi effecerunt, ut multæ Ecclesiæ, nec pauca monasteria, etiamnum celebria, conderentur.

§. IV.

Ecclesia Anglica.

Ad sedem Cantuariensem ab obitu S. Edmundi vacuam Rex Henricus Bonifacium Reginæ Eleonoræ conjugis suæ avunculum, jam electum Episcopum Bellicensem promoveri volebat. Itaque monachi Cantuarienses illum anno 1241. in Archiepiscopum suum elegerunt. Haud compererant, eum doctrina, probis moribus, ac dexteritate tantum ad munus necessaria pollere: solummodo Reginæ avunculum, ac egregia tum oris specie tum corporis statura esse sciebant: sed Regi gratificabantur, qui Papæ conjunctissimus, si alium cooptarent, ad abrogandam electionem facile obtentum aliquem inveniret. Nonnullos tamen monachos hujus suarum mentium imbecillitatis pœnituit, quam vindicaturi ad Ordinem Carthusianorum transibant. Rex, ut

M. Par. p. 494.

p. 455.

p. 535.

ut Bonifacii electionem fulciret, suaden- Sæcul.XIII.
te Regina eum tanquam virum a litte- A.C.1243.
ris & moribus suis maximopere commen-
dandum, etsi nihil de iis sciret, describi
curavit; & huic scripto per suum ac ple-
rorumque Angliæ Episcoporum & Abba-
tum sigilla authoritatem addidit, multis
id testimonium contra conscientiam suam
dare recusantibus. Hac testificatione
Romam missa Papa Innocentius Cantua-
riensem Bonifacii electionem approbavit
an. 1243.

Interea Vinconienses monachi a Gui- *Matth. Par.*
lielmo Sabaudo Bonifacii fratre liberi, *p.* 495. 509.
nixique litteris Papæ suffragiorum liber-
tatem tuentis, Guilielmum Relium, tunc
Episcopum Norvicensem, constanter cu-
piebant, & in Episcopum suum postula-
verant. Rex indignatus quosdam ho-
mines an. 1241. Vinconiam misit feroci-
ter quæsituros, quinam essent ii, qui obe-
dientiam detrectantes, in postulatione
Guilielmi Relii animos obfirmassent? I-
gitur post indagationem aliquam illi mo-
nachi, qui fontes videbantur, nulla sa-
crorum Ordinum, aut senectutis, alia-
rumve qualitatum ratione habita in car-
cerem missi, fame, frigore, variisque in-
commodis vexati, verberibus ac injuriis
affecti sunt. Volebat simul Rex, ut Nor-
vicensis Episcopus per sui postulationem
ad sedem Vinconiensem obtentum jus
(con-

Sæcul. XIII. A.C. 1243.

(consenserat enim) scripto abdicaret. Sed is hoc renuens, si a Pontifice Maximo illuc transferatur, ei morem a se gerendum dicebat. Quæ repulsa Regis iram exacuit, præsertim, cum Papa Innocentius Vinconiensem Guilielmi electionem

p. 535.

an. 1243 ratam habuisset, ac monachi Norvicenses alium Episcopum, nempe Gualterium Suseldium Regi sisterent.

p. 536.

Is suam hunc novum in Antistitem iracundiam non dissimulavit. Et primo quidem post suum ex Aquitania reditum toto Nobilium maximeque Præsulum ordine ad osculum admisso, illum unicum arcens ne verbo quidem amico dignabatur. Deinde milites præsidiarios in Episcopatus terras misit, quibus plus mali,

p. 537.

quam jussi erant, intulerunt. Sed & portas Vinconiæ, ne Episcopus eam intraret, arcte custodiri voluit. Etiam edici præconis voce curavit, ne quis illi tectum, nequis victum seu gratis, seu pretium solventi daret, ni Regis ac Regni hostis haberi velit. Omnem sustentationem illi adempturus, Episcopatus Norvicensis proventus occupari jussit, & Romæ per nuncium petiit, ut illius translatio irrita redderetur velut per dolum impetrata. Præsul sic secum agi videns, nudis pedibus ad aliquam Vinconiæ portam cum Clero suo venit, ac Ecclesiam suam adeundi copiam demisse postula-

stulavit: sed clausa erat, & Consul ac ministri Regii superbe rejectum injuriis onerabant. Eodem modo ad singulas portas accessit; & singulis exclusus, urbe cum templo Cathedrali aliisque omnibus interdicto affectis, e monachis illos, qui partes ipsius deseruerant, anathemate perculit. Sæcul. XIII. A.C. 1243.

§. V.

Petrus Charlotus Episcopus Noviodunensis.

Per triennium S. Ludovicus instabat, ut cognati sui Petri Charloti electio ad Episcopatum Noviodunensem approbaretur. Is erat filius illegitimus Regis Philippi Augusti, atque ut beneficia obtinere posset, Patris sui rogatu a Papa Honorio III. ingenuis adscriptus, & cum quindecim annorum esset, Turonibus ad S. Martinum thesauro præfectus fuit, ut Poëta Guilielmus Brito præceptor ejus testatur. Nicolao Raugensi Episcopo Noviodunensi mortuo, quod 13. Februarii 1240, factum, Petrus Charlotus successit assentiente Archiepiscopo Remensi: & quia tantum Hypodiaconus Ecclesiæ Romanæ erat, a Legato Jacobo Episcopo Prænestino in Diaconum consecratus est. Verum Papa Gregorius asserebat, Petrum ob sui traductionem inter ingenuos

Gall. Chr. to. 3. ep. 8. 9. Du Tillet. p. 103.

Duchesne to. 5. p. 256. Alberci. 1240.

Sæcul. XIII. A. C. 1243.

nuos potuisse solum dignitates minores suscipere, non Episcopatum, cujus expressa mentio in facta legis gratia fieri debuisset. Itaque per litteras 5 Jul. 1240. ad Archiepiscopum Remensem datas & electionem & approbationem declaravit nullam: Legatum quoque reprehendit, quod Petro Diaconatum contulerit. Gregorius tunc in S. Ludovicum haud satis æquo erat animo, quia eum ad bellum Imperatori inferendum permovere haud potuerat. Sed Innocentius tractabilior in S. Ludovici gratiam an. 1243. electionem Petri ratam habuit, qui sedem Noviodunensem sex annis tenuit.

XIV. ep. 115 *ap. Rain.* 1240. *n.* 30.

l. ep. 254. 262 *Rain. n.* 31.

§. VI.

Errores condemnantur.

Matth. Par. p. 541.

Eodem anno 1243. post diem festum S. Michaëlis inchoatis rursum exmore studiis damnati sunt multi errores, quos Theologiæ Professores docuerant, ii præcipue, qui inter Fratres Prædicatores Minoresque eminebant, & curiositati æque ac subtilitati suarum inquisitionum nimis indulserant. Huic malo medicina ut fieret, congregati Præsules authoritati sacri Codicis insistentes condemnarunt decem puncta sequentia. 1. Essentia divina non videtur in se vel ab homine glorificato, vel ab Angelo. 2. Quamvis essentia

essentia divina sit eadem in Patre, Filio & Spiritu Sancto; non tamen sub ratione formæ in Spiritu Sancto eadem est, quæ in Patre ac Filio simul sumptis. 3. Spiritus Sanctus, quatenus est amor sive nexus, non procedit a Filio, sed a Patre solo. 4. Ne sanctissimæ quidem Virginis, multo minus alius Beati corpus aut anima cum Angelis in cœlo empyreo erit, sed in aqueo seu crystallino supra firmamentum. 5. Malus Angelus a primo creationis instanti malus fuit. 6. Haud una tantum veritas, quæ non erat Deus, ab omni æternitate fuit. 7. Angelus in eodem puncto temporis diversis in locis, immo ubique, si velit, esse potest. 8. Primum instans, principium, creatio & passio nec creator sunt nec creatura. 9. Angelus malus, fulcrum seu adminiculum, quo subsisteret, nunquam habuit, uti nec Adamus in statu innocentiæ. 10. Qui meliores habet dispositiones naturales, habebit necessario majorem gratiam & gloriam. Sæcul. XIII. A.C. 1243.

Præsules, dum hæc errata damnabant, simul in illos, qui ea defenderent, anathema intorquebant, cuilibet errori veritatem contrariam, quæ credenda esset, opponentes. Ita rem Matthæus Paris refert; sed alibi legimus, anno 1240. Guilielmum Episcopum Parisiensem eosdem errores in quibusdam scriptis inven- *Bibl. PP. Paris. to. 4. p. 1142.*

Sæcul. XIII. A.C. 1243.

tos condemnasse, cum hunc in finem omnes Professores Parisienses convocasset. Non tamen id obstat, quin illi post triennium numerosiore in consessu damnari potuerint.

§. VII.

Querelæ de Religiosis Mendicantibus.

Matth. Par. p. 540.

Eodem tempore inter duos Ordines Mendicantes exorta est controversia, uter potiores haberet partes? Fratres Prædicatores dicebant: *Nos sumus priores: vestimur honestius: ad verbi divini præconium, quod est munus Apostolicum, destinati sumus, & ab illo nomen cepimus.* Fratres Minores reponebant: *Amore Dei genus vivendi austerius ac demissius & hoc ipso sanctius amplexi sumus. Unde factum, ut vos transferre ad nos possitis.* Ad ea Prædicatores: *Verum est, vos nudis pedibus male amictos & cinctos funibus incedere. At quis vetat, ne carnibus ut nos vescamini, & palam quidem, ac victu lautiore utamini? Quare negamus, nobis transire ad vos licere: potius contrarium asserimus.*

Matthæus Paris hanc litem referens suo nomine addit: *Magnæ illa offensioni fuit, sicut dissidium Templarios inter ac Hospitalarios in Terra sancta; & ista Fratrum*

Sæcul.XIII. A.C.1243.

trum Mendicantium discordia eo periculosior est Ecclesiæ, quod sint viri litterati, & studiis dediti. Res auditu molesta! Id hominum genus, quod ad summum octoginta abhinc annis in Anglia ponere domicilia cœpit ab instituto suo magis descivit, quam Ordo Monasticus per annos plures quadringentis. Illi ædificia jam palatiorum instar erecta indies extendunt, ibique inæstimabiles ostentant opes contra paupertatem suæ professionis basin & fundamentum. Optimatibus ac opulentis viris, morti proximis, non sine damno pastorum ordinariorum studiose assistunt lucro intenti, secretaque testamenta extorquent, suum duntaxat ordinem posthabitis cæteris commendantes, ita, ut nemo credat æternam salutem se posse consequi, nisi curæ Prædicatorum Minorumve se committat. Conantur immunitates ac prærogativas acquirere: Regum ac Procerum consiliis se immiscent: illorum cubicularios agunt, & thesauros custodiunt, nuptiasque conciliant. Exequuntur exactiones Papæ: adulantur & mordent in suis concionibus, ac per correctiones imprudentes sacras confessiones produnt. SS. Benedicti & Augustini Ordines ab Ecclesia approbatos despiciunt; suum reliquis omnibus præferunt: Cistercienses monachos rudes, agrestes, & hemilaicos, Cluniacenses superbos ac Epicuræos appellant. Matthæus Paris, qui sic loquebatur, antiquus

p. 541.

Sæcul. XIII. A.C. 1243.

monachus Benedictinus erat, quod meminisse oportet.

l. ep. 37.

Inter epistolas Petri de Vineis, qui Cæsari Friderico a secretis erat, invenimus aliquam nomine Cleri scriptam, & huic Imperatori, ut videtur, missam, graves de Fratribus Mendicantibus querimonias continentem. *Jam inde ab origine sua*, dicit hæc epistola, *eos odium in nos conceptum impulit ad nostram vivendi agendique rationem in concionibus suis infamandam, juraque nostra ita imminuerunt, ut ad incitas redacti simus. Olim ex authoritate munerum nostrorum Principibus imperavimus, metumque populis incussimus: nunc irrisui eis ac ludibrio sumus. Illi Fratres, dum alienam in messem involabant, nostras paulatim functiones nobis præripuerunt, sacrum tribunal, baptismum, extremam unctionem, ac cæmeteria sibi arrogantes. Et modo, ut eo magis attenuarent jura nostra & bonam privatorum hominum voluntatem a nobis avocarent, duo sodalitia nova instituerunt, in quæ viros ac fœminas tam generatim suscipiunt, ut fere nemo alterutri non sit insertus. Ita sodales in eorum templa cum conveniant, in nostris parochianos solennibus præsertim diebus habere non possumus: &, quod pejus est, male se putant agere, si verbum divinum ex aliis, quam his e Fratribus audiant. Quamobrem decimis ac donis privati*

Sæcul.XIII. A.C.1243.

vati labore manuum, arte mechanica, vel lucro illicito quærere victum cogemur.

Jam nullum nos inter & laicos discrimen, immo conditio nostra deterior est, quia nobis nec Clericos cum honore, nec laicos esse per conscientiam licet. Quid restat igitur, nisi ut a fastigio ad ima fundamenta diruantur templa nostra, ubi præter æs campanum & fumosam quandam imaginem nihil supereſt? Heu! multa loca alias pro invisentium pietate in superos miraculis numerosis celebria privatorum hominum utensilibus repleta sunt: altaria quondam probe ornata vix operit linteum rude idemque lacerum: pavimentum antehac lotum solicite, bellisque herbis ac floribus constratum pulvis & sordes tegunt. Interea nobis potiores facti Fratres Mendicantes, qui casas primum & tuguria incolebant, altis suffulta columnis, & in peculiares divisa sedes palatia construxerunt, quorum sumptus ad indigentiam pauperum impendi debuerant: hi Fratres, qui inter initia suorum Ordinum res caducas & vanam gloriam calcare pedibus videbantur, contemptum resumunt fastum; nihilque habentes omnia possident, ipsis divitibus ditiores: & nobis, qui fortunis non immuniti dicimur, victus precario conquirendus est. Igitur ad Majestatis tuæ pedes accidimus, ut promptum malo remedium adhibeat, ne invalescente nos inter & Fra-

Sæcul. XIII. A C. 1243.

tres illos odio fides ex ipsis incrementi sui causis creditis periclitetur. Clerus his in querelis majus commodorum temporalium, quam animarum salutis studium commonstrat.

§. VIII.

Comes Tolosanus Papam sibi reconciliat.

Ric. S. Ger. p. 1040. 1042

Raymundus Tolosanus Comes an. 1242 mense Septembri in Apuliam ad Imperatorem delatus, transacta ibi hyeme, toto insuper anno sequente in Italia mansit, identidem Romam proficiscens, ut pacem inter Papam & Cæsarem conficeret. Absolutionem quoque tum per se ipsum, tum per Legatos postulabat, se mandatis ejus obtemperaturum spondens. Ergo Papa 2. Decembris anno 1243. Archiepiscopo Bariensi præcepit, ut Comitem audito ipsius juramento solito absolveret. Etiam credibile est, Principis hujus precibus adscribendum, quod Papa Innocentius per litteras Inquisitores Galliæ juberet hæreticorum reditum promovendi causa cunctos, qui non damnati nec convicti Ecclesiæ reconciliationem ultro poscerent, nulla imposita pœna recipere, idque in locis, quæ functiones suas obituri peterent, post adventum suum edicere, certum statuentes tem-

L. epist. 266. ap. Rain. 1243. n. 31.

L. epist. 3. 6. ap. Rain. ibid.

tempus, quo elapso, qui sponte non ve- Sæcul.XIII.
nissent, severius haberentur. Dabat 12 A.C.1243.
Decembris an. 1243.

Episcopus Tolosanus pariter Romam *G. Pod. Laur. c. 46.*
vocatus est; & interim Petrus Amelinus
Narbonensis Archiepiscopus, Durandus
Episcopus Albigensis, & summus Carcas-
sonæ Prætor Montis Securi Tolosana in
Diœcesi arcem, quæ inexpugnabilis vide-
batur, hæreticisque ac facinorosis publi-
cum præbebat perfugium, obsessam occu-
pavere. Ducenti hoc loco hæretici vestiti
capiebantur nec viri tantum sed & fœmi-
næ. Hæretici declarati vocabantur ve- *Cang. Gloss.*
stiti. Erat inter eos Bertrandus Marti- *hæret.*
nus, quem agnoscebant Episcopum suum:
& cum hæresin suam ejurare nollent, e-
rectum fuit palorum septum, ubi combu-
sti sunt. Castri hujus expugnatio bello
adversus Albigenses finem fecit.

Comes Raymundus ab anathemate,
quod Fratres Prædicatores contra ipsum
pronunciaverant, per Archiepiscopum
Bariensem absolutus Papæ præsentem
se stitit, & luculenta demissionis suæ ob-
strictique animi specimina dabat. Papa
sereno vultu exceptum in gratiam san-
ctæ Sedis ex consilio Cardinalium resti-
tuit, eo quod ille per suam inter Princi-
pes dignitatem, potentiam & dexterita-
tem Ecclesiæ perutilis esse posset. Etiam
commendatio S. Ludovici Regis pro eo-

Sæcul. XIII. A. C. 1244

dem orantis grave apud Papam pondus habuit, quod hic illi per litteras 1. Januarii an. 1244 datas indicat, suadens, ut cum Comite tam benigne agat, ut is Sedi Apostolicæ, Regique ipsi fidelis semper maneat.

§. IX.

Pactio inter Papam & Cæsarem.

Matth. Par. p. 545.

Raymundi sic in gratiam reducti operam adhibuit Imperator ad agitanda pacis cum Papa ineundæ consilia, duosque Curiæ Cæsareæ Judices Petrum de Vineis, & Thaddæum Suessienſem illi adjunxit. Papa hoc ad negotium Episcopum Ostienſem, ac tres alios Cardinales, Stephanum, Ægidium, & Ottonem elegit. *p.* 555. Præcipuæ pacis conditiones erant, ut Fridericus redderet omnes terras ante dissidium Papæ subditas, aut Ecclesiæ, seu Papæ fœderatis ereptas: & ut quaquaversus scribens declararet, se obedientiam sententiæ contra se a Gregorio IX. pronunciatæ debitam haud omisisse per contemptum, sed quia sibi denunciata non fuisset: qua tamen in re deliquisse se agnosceret: *Fateor enim*, addebat, *Papam, etiamsi vitiosus esset, plenam potestatem, quod ad spiritualia, in omnes Christianos Clericos laicosque ac ipsos in Reges habere.* Imperator se hanc noxam expiaturum per eleemosynas, jejunia aliaque

liaque bona opera, & sententiam, donec absolveretur, executurum spondebat. Sæcul. XIII. A.C. 1244.

Præsulibus captis ablata omnia restituere, cæteris illatas injurias omnes compensare, templa & hospitales domos condere, salva Imperii Regnorumque suorum possessione Papæ per omnia obedire, etiam quævis decreta contra partes ejus facta retexere, omnes captivos in libertatem asserere, cunctis in patriam & ad bona sua reditum permittere se velle affirmabat; denique quod ad injurias ante sublatam pacem sibi factas spectaret, id se Papæ & Cardinalium judicio relinquere. In hæc puncta tres Oratores Cæsarei palam jurarunt Romæ die Cœnæ Domini sacro 31 Martii an. 1244 in præsentia Balduini Imperatoris Constantinopolitani, Cardinalium, multorum Præsulum, Senatorum, populique Romani præter extraneos, qui ad diei solennitatem pro more venerant. Notatu dignum est, inter pacis conditiones nullam mentionem fieri vel de reddenda Friderico dignitate Imperatoria, quam ei Gregorius IX. abrogaverat, vel de populis illi rursum subjiciendis, sed de sola absolutione a censuris. Nec effectum habuit illa abrogatio: nam Fridericum & Imperatorem, & Regem Siciliæ non tantum populi sui, verum etiam S. Ludo-

Innoc. lib. I. epist. 645. ap. Rain. n. 21.

Sæcul. XIII. A.C. 1244.

vicus ac Rex Angliæ cæterique Principes exteri agnovere.

Matth. Par. p. 556. 560.

Cæsarem mox pœnituit se Papæ ita submisisse; atque post dies paucos recusavit exequi, quod per Oratores suos tam solenniter promiserat. Qua de re Papa Provincialem Thuringiæ Comitem ultimo Aprilis edocuit, ut Apostolicæ Sedi fidus permaneret, adhortans. Interim Fridericus Papam abstrusis ex insidiis haud opinantem capere conabatur; quibus detectis Innocentius cautiones adhibendo sibi consuluit, etiam suis diffidens. Ut partes augeret suas, festo SS. Trinitatis die 29 Maji decem Cardinales creavit, inter alios Joannem Toletium Anglum Cistercienſem monachum eruditione sua conspicuum, quem Cardinalem Presbyterum ad S. Laurentium in *Lucina* renunciavit. Cæteros tunc promotos nobilitas sua potius, quam mores aut doctrina commendaverat.

D. ep. 645.

Ughell. to. 1. *p.* 158. *Matth. Westm. p.* 315

§. X.

Episcopi Norvicensis in Angliam reditus.

Rex Angliæ Guilielmum Relium ab Episcopatu Norvicensi ad Vinconiensem translatum exagitare pergebat, ita, ut hic Præsul, cum aliquamdiu Londini abditus hæsisset, 20. Febr. 1244. consen-

Matth. Par. p. 542. 544. 545.

sa

sa clanculum Tamesis nave in Galliam delatus Abbatis villam peteret, quo S. Rex Ludovicus virum spectabilem misit, qui ipsius præsidium illi offerret, urbisque Consuli diceret, ut cives juberet paratos esse ad hospitem armata etiam manu tuendum, siquis Anglorum Regis nomine eum vexare vellet. Interim Principis hujus Orator Romæ contra illum stabat, sed incassum; Et Papa pro eodem Regi Angliæ litteras scripsit, quarum hæc summa est: *Non solum nullam nostrarum precum rationem duxisti, quas jam adhibuimus, ut hunc Præsulem in gratiam reciperes; sed & in reverentiam, quam ut filius nobis debes, peccasti, cum diceres, nullam in Anglia postulationem a sancta Sede te invito admitti posse, teque eandem habere potestatem in temporalia, quam nos in spiritualia, ita, ut nullus Episcopus temporalium suorum possessionem absque tuo consensu adire possit: cum tamen secundum communem omnium Christianorum sensum Apostolica Sedes a Deo liberam cunctis Ecclesiis providendi facultatem acceperit, nec Principes hac de re consulere, aut eorum consensum in electiones vel postulationes petere teneatur.* Dabat 28. Febr. Nescio, an hodie Principem Christianum invenias, qui his principiis assentiatur.

Sæcul. XIII. A. C. 1244.

p. 558. 559.

ap. Rayn. n. 18.

Papa

Sæcul. XIII. A.C. 1244.

Papa scripsit etiam Reginæ Angliæ, Archiepiscopo Cantuariensi ejus avunculo, Episcopis Vigornensi ac Herefordiensi, ut Antistiti Vinconiensi in Regis gratiam reducendo efficacem navarent operam. Igitur Rex huic Præsuli, quas habere se putabat, conquerendi causas octo punctis comprehensas misit, decensque ac modestum responsum nactus, mitius cum illo agere cœpit. Denique in Angliam eum redire ac de favore suo ereptorumque omnium recuperatione securum esse jussit. Guilielmus S. Regi Ludovico pro ejus auxilio & beneficentia gratiis actis ingressus viam 5 Aprilis an. 1244 Dorobernium advenit. De reditu ejus tota gaudebat Anglia, exceptis quibusdam Aulicis, qui eum Regi exosum reddiderant: cæteri omnes minime dubitabant, quin prudentia maturoque judicio suo non tantum suam Diœcesin, sed Regnum universum in statum pristinum restituturus esset. Rex tam benigne acceptum, ac si nulla unquam inter ipsos dissensio fuisset, majore indies studio prosequebatur.

Matth. Par. ibid.

Id. p. 562.

§. XI.

Initia S. Richardi Episcopi Cicestrienſis.

Vita ap. Boll. to. 9. p. 288.

Verum hic Princeps alium sanctum Episcopum similem ob causam infectari

ctari cæpit. Radulpho Novavillano Antistite Ciceſtrienſi mortuo, Regi gratificantes Canonici elegerant Robertum Paſſelevium Archidiaconum, & Aulæ aſſeclam perſtudioſum, qui ſagaciter inventis exactionibus ærarium Regium magnopere auxerat. Archiepiſcopus Cantuarienſis Bonifacius Sabaudus, ac Episcopi provinciæ indignati, cum in examine ad difficiles, quales volebant, quæſtiones a Roberto Capitone Epiſcopo Lincolnienſi propoſitas reſpondentem Paſſelevium inhabilem judicaſſent, electionem irritam declararunt. Deinde haud petito conſenſu Regio in Epiſcopum Ciceſtrienſem elegerunt Doctorem Richardum Drutvicenſem ſpectatæ virtutis ac eruditionis virum, ſed Regi exoſum, quia S. Edmundo Cantuarienſi addictus fuerat. Rex in oppido S. Albani menſe Junio an. 1244 re comperta Richardo ac Epiſcopis ejus electoribus vehementiſſime iratus Ciceſtrienſis Cathedræ bona temporalia ſuo nomine occupari juſſit. Richardus, quod ſecundum Canones electus eſſet, jus ſuum ſibi tuendum ratus ad Summum Pontificem ſe convertit, a quo amanter exceptus fuit.

Sæcul. XIII. A.C. 1244.

Matth. Par. p. 574.

Id. p. 562.

Primam lucem aſpexerat an. 1197 circiter Drutvichii Diœceſeos Vigornenſis pago, cujus nomen illi adhæſit. Cedente fratre adultiore, quidquid pater

Boll. p. 285. 279.

relique-

Sæcul. XIII. A.C. 1244.

reliquerat, possidenti optabilis sponsa offerebatur: sed invidiam fratris cernens, huic totum vicissim patrimonium cessit, illi nuncium remisit, & litteris operam daturus Oxonium primo, dein Parisios adiit; ubi magna rerum penuria laborans Logicam & Rhetoricam ita didicit, ut dignus, qui doceret, omnibus videretur. Rediit Oxonium, ubi professorem egit. Posthæc Bononiæ in Italia per septem annos Jus Canonicum audiit eo successu, ut ægrotans Professor suas ei partes per octodecim menses committeret, filiamque unicam in matrimonium cum omnibus bonis suis offerret. At Richardus altiora cogitans se excusavit, & in Angliam reversus Universitatis Oxoniensis Tabularii sanctioris Præses seu Cancellarius evasit.

Exploratæ doctrinæ ac probitatis virum S. Edmundus tunc temporis Archiepiscopus Cantuariensis, simulque Robertus Capito Episcopus Lincolniensis Ecclesiæ quisque suæ Cancellarium creare volebant: neuter tamen alterius intentionem noverat. Richardus S. Edmundum prætulit; & tanti momenti munus mira cum modestia obiit ab omni cupiditate alieniissimus. Nec prosperis modo, sed & adversis in rebus S. Præsuli arctissime semper adhæsit, exulemque secutus est. Post ejus obitum adjecto rursus

ad

ad litteras animo, quas negotia interruperant, Aurelianum profectus Fratres Prædicatores Theologiam & totum pene Codicem sacrum explicantes audiit. Eo tempore a Guilielmo Bussiacensi Episcopo Aurelianensi sacerdotio dignus habitus & inauguratus fuit; & ab illa die modestiore utens amictu vitam tam austeram duxit, ut ex amicorum consilio moderatione opus haberet. In Angliam cum rediisset, unico contentus beneficio, parœciæ præerat, indeque ad Sedem Ciceſtrienſem accersitus est. Sæcul.XIII. A.C.1244.

§. XII.

Papa Genuam fugit.

Innocentius IV. cum Cæsare, si posset, pacem confecturus, octiduo ante festum S. Joannis diem Tifernum Roma sex tantum leucis sive octodecim passuum millibus distans, & in pervigilio S. Petri 28 Junii Sutrium venit, Friderico semper magis appropinquans. Sed hic eidem dici curavit, se nulla pactione staturum, antequam absolutionis litteras obtinuisset. Papa id haud æquum esse reposuit: atque ita pacem irritam fecere. Tum Innocentius occultæ fugæ consilium cepit, & clam omnibus habuit, ne Imperator obstacula poneret. Eodem die Martis 28 Junii an. 1244. comperit, se proxima *Matth. Par. p.* 561.

Sæcul. XIII. A.C. 1244.

ma nocte per trecentos equites Hetruscos captum iri. Consternationem animi facies prodebat. Igitur hora primi somni relictis suæ dignitatis insignibus, leviter armatus eximiæ velocitatis equum conscendit, ac impositis ei pecuniis in viam se dedit nemine conscio præterquam ministris cubicularis. Equum porro suum tam acriter urgebat, ut ante horam primam undecim leucas seu triginta quatuor millia passuum conficeret, nec esset quisquam, qui tantam celeritatem assequeretur.

Media nocte cognito Papæ abitu stupebant omnes, præter paucos Cardinales arcani participes. Petrus Capuanus eum unico cum homine secutus exantlatis aliquot periculis, eodem die Mercurii 29 Junii Civitate Vetere reperit. Illuc Papæ obviam venerant tres ac viginti triremes Genuenses, sexaginta quæque militibus bene armatis, & centum quatuor remigibus præter apparatum instructæ, ac insuper lembi sedecim. Quod indicio est, Papam dudum sibi providisse. Triremibus imperabant una cum classis Præfecto primores Genuæ, qui omnes sibi gloriæ ducebant se Papæ propinquos aut fœderatos esse. Is vesperi cum septem Cardinalibus & modico comitatu se classi commisit: sed vix in altum provecti erant, cum eundem tenentes cursum,

Sup. Lib. LXXXI. §. 46.

sum, in quo Præsules tribus abhinc annis capti fuerant, tempestas atrox excepit, quæ die Veneris 1 Julii eos in quandam Pisanorum insulam exscendere, noctemque ibi traducere coëgit. Postquam sequente sabbato a peccatis suis absoluti, sacro de Beatissima Virgine interfuerant, præ metu Pisanorum remigibus summo conatu ad aliquam Genuensium insulam contendere jussis, illo die centum viginti quatuor millia reluctante procella emensi Portum Veneris attigere, ubi per biduum commorabantur. Tandem die Martis 5 Julii Genuam gaudio perfusi advenerunt, & inter sonitus omnis æris campani, concentus musicos, & maximas acclamationes recepti fuere. Sic Papa quindecim dierum itinere Roma remotus in patria cum cognatis & amicis suis versabatur. Sæcul.XIII. A.C.1244.

§. XIII.

Papa pecunias ab Anglis postulat.

Imperator fuga Papæ comperta, furenter iratus excubiis, quas in portubus & civitatibus sibi subjectis collocaverat, Genuæ aditus præsertim ex parte Galliæ diligentissime custodiri jussit, ne Papæ pecunia afferretur, veritus. Reapse is unum e Clericis suis cubiculariis Martinum nomine in Angliam miserat cum *Matth. Par. p. 565.*

Sæcul. XIII. A. C. 1244.

epistola 7. Jan. ad Abbates Diœceseos Cantuariensis data, in qua dicebat: *Supplicationes, quas Papa Gregorius beatæ memoriæ ex Anglia cæterisque Regnis Christianis obtinuit, non sufficerunt ad expungenda nomina, quæ sancta Sedes pro libertate Ecclesiastica & patrimonio suo tuendo contraxerat. Quamobrem volumus, ut nos juvetis tanta pecuniæ summa, quantam vobis Doctor Martinus nostro nomine dixerit, eamque intra tempus, quod vobis assignaverit, illi tradatis.* Hic Nuncius plures alias litteras habebat secum, ut collatorum beneficiorum, aut fructuum ex iis provenientium diplomata, prout opportunum censeret, Papæ cognatis daret. Unde conclusum est, illa folia fuisse puras tabulas chirographo & sigillo Pontificio munitas, ut eas verbis, quæ sibi placerent, impletas, cum occasio tulisset, o-

p. 563. stenderet. Deinde Papa Genuæ subsistens Episcopis totique Clero Angliæ 29 Julii scripsit, ut liberaliter Regi suo sumptus publici status suggererent, quem

p. 565. conservari Ecclesiæ interesset. Ita hic Clerus simul duabus ex partibus a Papa & Rege premebatur.

Tunc Imperatoris Legati Londinum advenerunt cum litteris, quæ coram Rege Cleroque congregato repugnante Nuncio Martino legebantur. Hac in epistola Fridericus de tractatu pacis cum Papa purga-

purgare se conabatur, Ecclesiæ, quod æquum esset, tribuere ac obedire se velle affirmans. *Sed Papa*, addebat Cæsar, *pro arrogantia sua mitti vult in possessionem quarundam urbium, arciumque ac terrarum, de quibus nondum constat, utrum Imperii, an Ecclesiæ sint. Vult liberari quosdam captivos, quos pro deceptoribus habeo. Vult servari pacta, priusquam a censuris absolvar. Metuens proin, ne deceptus Papæ laqueis constringar, Regum Franciæ Angliæque, ac utriusque Procerum seu Baronum judicio me submitto: Papa vero ne talem quidem submissionem accipere voluit.* De hac recusatione magnopere querebatur Cæsar, & in fine epistolæ Clerum Anglicum vehementer orabat, ut ne ipsius damno ullas Papæ suppetias mitteret. Adjungebat: *Si Rex vester mea sequi consilia velit, liberabo Angliam a tributo, quod ei Innocentius tertius imposuit, & ab omnibus reliquis Aulæ Romanæ vexationibus. Si fidem ille mihi non habeat, ulciscar eum graviter in cunctis sibi subditis, quos in terris meis invenero.* Multorum Anglorum animos Cæsari conciliavit hæc epistola juncta litteris Balduini Imperatoris Constantinopolitani, & Raymundi Tolosani Comitis, illum ad pacem propendere testantium.

Sæcul. XIII. A.C. 1244.

p. 566.

Sæcul. XIII. A.C. 1244.

§. XIV.

Frater Elias a Papa condemnatus.

Vading. 1244. *n.* 4.

Papa Innocentius Genuæ agens universalia Fratrum Minorum comitia illuc convocavit tam ad eligendum Ministrum Generalem, quam Ordinem contrarias in partes sciſſum recolligendi gratia. Haimoni, qui ei quintus & quinquennio quidem præfuerat, vita functo Frater Elias succedere volebat tanquam inique loco motus. Numerosas habebat partes, solutiori disciplinæ ac mitigationi regulæ faventes, quam cæteri stricte observari cupiebant zelotæ tunc dicti, vel spirituales aut Cæsariani ob Cæsarium ducem suum, quem Elias tantopere dive-

n. 1. 3. xaverat. Horum numerus comprehendebat multos S. Francisci discipulos vel primos comites, qui adhuc vivebant, ut Ægidius Assisinas, Leo, ac Ruffinus. Zelotæ, qui veteranorum consiliis utebantur, septuaginta duos Fratres probissimos doctissimosque elegerunt, qui Summum Pontificem, Defensorem suum, & totam Curiam Romanam de vero statu suo edocerent. Pars altera hos Zelotas vocabat parum sanos, & rixosas, Eliæ authoritatem prædicans, qui tanquam unus e primis S. Francisci sociis, & ab ipso cæteris

cæteris præpositus, ejusdem intentiones maxime nosset; qui longam regendi Ordinis experientiam jam inde ab ejus initiis haberet; qui denique Papam inter ac Cæsarem consilia pacis agitans, Ecclesiæ utilem præstitisset operam. Sæcul.XIII. A.C.1244.

Igitur Genuæ generalia agebantur comitia ab obitu S. Francisci octava: invitaque Eliæ præsentis factione in Ministrum Generalem electus est Frater Crescentius Diesius ex Marchia Anconitana, in qua tunc Minister Provincialis erat, vir ob doctrinam & senectutem suam venerabilis, qui Ordinem sero ingressus, antea per annos multos Jurisprudentiam & artem Medicam professus fuerat. Electus autem fuit die S. Francisco sacra 4. Oct. an. 1244. eratque sextus Minister Fratrum Minorum Generalis. n. 6.

Elias cum partibus suis ad Papam vocatus est, qui detectis ejus artificiis omni prærogativa & gratia exutum, simplicem declarans fratrem Ministro Generali parere jussit, vetuitque, ne vagabundus esse pergeret, ac nequis ei obediret, aut eum pro Superiore haberet. At Elias hoc in animum inducere nequibat, & relicto Ordine ad Imperatorem profugit. Ergo Papa Innocentius illum tanquam Religionis desertorem ac in Ecclesiam seditiosum a piorum cœtu excluſit, & immunitate n. 7.

Sæcul. XIII. A. C. 1244.

Clericis conceſſa privavit, ne veſtem religioſam geſtaret, prohibens.

§. XV.

Alexander Alenſis.

Monaſt. Angl. to. 1. p. 928.

Paulo poſt Ordo Minorum quoddam e magnis luminibus ſuis amiſit, nempe Alexandrum Alenſem, qui hoc nomen traxerat a patria ſua Comitatus Gloceſtrienſis pago, ubi deinde anno 1246. Richardus Cornubiæ Comes monaſterium Ciſtercienſe condidit. Alexander humaniores litteras in Anglia edoctus, Pariſiis Philoſophiæ ac Theologiæ operam navavit. Jam Doctoris inſignibus ornatus in magnam exiſtimationem venerat, cum inſtitutum Fratrum Minorum anno 1222 amplexus eſt. Compoſuerat Theologiæ Summam, quam Scholæ magno cum applauſu receperunt. Etſi vero Joannes Parentius tertius Miniſter Fratrum Minorum Generalis poſtea interdixerat, nequis eorum Magiſtri vel Doctoris nomen acciperet, Alexander Alenſis id ſemper ſervavit, & multi alii ejusdem Ordinis deinde ſibi aſſumpſerunt, ita ut hunc titulum acriter defenderent contra Doctores religioſis legibus ſolutos, qui eum ipſis & Fratribus Prædicatoribus concedere nolebant, ut brevi videbimus.

Nic. Trivet. an. 1222. to. 8 Spicil. Vading. an. eod. n. 26. Id. an. 1230. n. 13. Duboulai. p. 201.

Alexan-

Sæcul.XIII. A. C. 1244.

Alexander Theologicæ Fratrum Minorum ſcholæ Pariſiis præfuit, donec eam cederet Fratri Joanni Rupellenſi, qui jam Profeſſor erat an. 1238, cum ſuam de conjunctione beneficiorum ſententiam diceret. Succeſſit ei F. Guilielmus Melitenſis; huic F. Joannes Parmenſis, antequam ad clavum Ordinis admoveretur, quod an. 1247 factum. Alexander Alenſis & Joannes Rupellenſis erant inter quatuor Doctores, qui declarationem regulæ S. Franciſci juſſu comitiorum provincialium a ſe compoſitam Generali Ordinis Miniſtro ac Definitoribus, ut vocant, inſcripſere. *Haud cogitamus*, inquiunt, *novam regulæ expoſitionem facere, ut quidam per fervorem nimium de nobis aſſerunt, ſed illam ſolummodo per verba ſua explicare.* Nempe S. Franciſcus in teſtamento ſuo expreſſe interdixerat, ne regulæ ſuæ ulla interpretatio adderetur. Sed nondum quatuor anni ab ejus morte effluxerant, cum Papa Gregorius nonus declaravit, Fratres Minores ad obſervandum teſtamentum non adſtrictos eſſe, ac regulam pluribus in articulis expoſuit. Alexander Alenſis vivere deſiit 21 Aug. an. 1245 & Pariſiis in templo Franciſcanorum ſepultus eſt. Ejus opera ſunt numeroſa, nimirum Commentarii in totum Codicem ſacrum, & in Magiſtrum

Vading. an. 1222. n. 29.
Id. 1238. n. 8.
Sup. Lib. LXXXI.
Echard. Sum. S. Th. p. 243.
Vading. 1242. n. 2.
Opuſ. to. I. p. 123.
Sup. Lib. LXXIX. §. 25. 64.
Echard. p. 245.
Vading. Scrip. n. 8.

Sæcul. XIII. A. C. 1244.

strum Sententiarum, ac præsertim Summa Theologiæ.

Sup. Lib. LXX. §. 34.

Est opus vastissimum, quantum hac de materia alias nunquam hactenus in lucem venit. Author ibi eandem ideam, ac eundem pene ordinem, quem Magister Sententiarum, sequitur: at multo liberius ratiocinatur, & quæstiones magis curiosas quam utiles tractat. Opus suum pariter quatuor in partes dividit, quarum quælibet grande volumen est. In prima post præviam de Theologia quæstionem de attributis, tum de Trinitate differit. In secunda de causis generatim, de creatione, de Angelis, de creatis rebus corporeis, ac de opere sex dierum agit. Ibi quæstionem movet, an detur cœlum empyreum, cumque id per authoritatem probandum esset, quoniam experientia nihil de hoc docet, idem credendi rationes afferre contentus est. E creatione hominis occasionem capit plurima dicendi de natura animæ rationalis, ac de statu primi hominis: cujus a lapsu in malum generatim & in peccatum excurrit. Asserit, ethnicis imperium in Christianos non esse permittendum, ne hi amittendæ fidei periculo exponantur; hæreticos manifestos non tolerandos, sed bona eis sua adimenda esse; denique cives Principi apostatæ subditos fidelitatis juramento solutos pronunciat: quo in puncto S. Am-

q. 42.

q. 10. *q.* 44.

q. 47.

q. 59.

q. 88.

q. 94.

q. 162. *memb.* 2.

q. 163. *memb.* 11.

q. 165. *m.* 4.

S.Ambrosii authoritati authoritatem Papæ Gregorii VII. opponit. Sæcul.XIII. A.C.1244.

In parte tertia de natura divina humanæ conjuncta loquitur. SS. Virginem, nec ante conceptionem, nec in ea, sed ante natalem suum Dei gratiam esse consecutam perhibet. Tum de lege naturæ, Moysis & Evangelii, de gratia & fide disputat: & dum de ordine Judicum sermo est, Hugonem a S.Victore sequens, statuit, potestatem spiritualem profana superiorem esse ob dignitatem suam & antiquitatem, ac propter benedictionem alteri a se dari solitam; quo solennem Regum inunctionem refert. Addit sacræ potestatis esse, ut profanam instituat, & judicet, Papamque e Dei solius judicio pendere. *q.9.m.2.* *q.26.27.&c.* *q.56.* *q.61.68.* *q.40.m.5.* *q.48.m.1.a.3*

Quarta in parte de Sacramentis agit: & de Evchariſtia loquens, laicos fere ubique sub sola panis specie sacram Communionem accipere perhibet. Ex occasione pœnitentiæ de indulgentiis loquens, Papam omnes remittere pœnas posse dicit, sed non debere nisi ob causam gravem, veluti ob expeditionem in Terram sanctam. Jejunium Latinorum unica refectione utentium præfert jejunio Græcorum plures modicas adhibentium: horam mensæ assignat Nonam, nimirum tertiam pomeridianam; sed non esse præceptam dicit. Ab eleemosyna sumit *q.11.m.2.a.4* *q.28.m.3.a.3* *M 8. a.2.3.* *Thomass. jeunes 2.par. c. 8.* *q.31. q.32. m. 4. a. 3.*

Sæcul. XIII. A.C. 1244.

ansam tractandæ quæstionis de mendicitate spontanea recentium Religiosorum: easdemque rationes applicat, quæ postea sunt adductæ: id quod indicat, jam illius ætate positam fuisse hanc quæstionem, quæ post ejusdem obitum multo ferventius agitata fuit. Et quia Religiosorum Mendicantium facultas concionandi & sacras audiendi confessiones, etiamsi eis a Papa demandata esset, in controversiam vocabatur, illius authoritati singulariter insistit, affirmans, hanc esse plenam, absolutam, cunctisque legibus & consuetudinibus superiorem; denique omnem Præsulum inferiorum potestatem a Papa emanare, qui tanquam caput in membra influat, non modo ex ordine hierarchico, sed etiam pro ratione emolumenti in Ecclesiam redundantis. Huc multa Gratiani capitula potissimum falsis e decretalibus adducit.

§. XVI.

S. Ludovicus in Comitiis Cisterciensium.

Eodem hujus anni 1244 tempore, quo Fratres Minores solennissimum habebant conventum, etiam Cistercienses generalia celebrabant comitia, die festo S. Michaëlis ex more cæpta. Quo venturum esse S. Ludovicum Regem cum mature com-

Matth. Par. p. 571.

comperiſſet Papa Innocentius, excogitatam ſcripſit epiſtolam, in qua omnes Abbates, qui ibi adeſſent, efflictim orabat, ut flexis genibus manibusque junctis Regem obteſtarentur, ut contra Fridericum, quem Satanæ filium vocabat, Papam pro veteri Galliæ more defenderet, atque, ſi neceſſe foret, ſuum in Regnum reciperet, ſicut Alexander III. contra inſectationem Imperatoris Friderici I, & S. Thomas Cantuarienſis contra vexationem Henrici II. Anglorum Regis aſylum ibi inveniſſent. Sæcul. XIII. A.C. 1244. *Sup. Lib. LXX. §. 57.*

S. Ludovicus ad comitia Ciſtercienſium revera ſe contulit, monachis in omnia ſancta ſe commendaturus. Habebat ſecum Reginam Blancam matrem ſuam, cui Papa domos Ordinis Ciſtercienſis cum duodecim fœminis ſacrarum precum cauſa intrandi copiam fecerat. Etiam fratres illum ſui, Robertus Arteſiæ Comes, & Alphonſus Comes Pictavienſis cum ſex aliis Franciæ Comitibus ſequebantur. Quando ab Eccleſia Cœnobii baliſtæ jactu aberant, religionis gratia relictis equis, in ordinem adducti pias inter precationes ad templum ibant. Cuncti Abbates cum quingentis monachis obviam procedebant, quo dignius exciperent Regem tunc primum ad monaſterium venientem. Ipſe in comitio Abbates inter ac Proceres medius conſedit, primum

Sæcul. XIII. A. C. 1244.

mum matri locum honoris causa tribuens. Tum omnes Præsules ac monachi ingenua provoluti junctis manibus profusisque lachrymis obsecrationem a Papa præscriptam fecerunt. Rex vicissim coram eis in genua subsidens, *Quantum mihi*, ajebat, *per famam meam licebit, tuebor Ecclesiam contra Friderici injurias, & Papam exulem libenter recipiam, si Proceres id mihi suaserint; nam Reges Galliæ eorum sententiam negligere haud possunt.* Abbates in gratias effusi eum in peculiarem bonorum operum suorum partem vocarunt. Intererant autem his comitiis etiam Cæsaris Legati, qui se Papæ petitioni opponerent.

§. XVII.

Papa Lugdunum venit.

Matth. Westmunst. p. 318. Alberic. p. 575. Marlot. to. 2 p. 529. 531. 533.

Itaque S. Ludovicus Optimates Regni sui convocavit, eorum consilia hac super re auditurus. Cum conveniissent, Papa per Nuncium poposcit facultatem adeundi Remos, quorum sedes tunc vacabat; quippe Archiepiscopus Henricus Bronienſis 16 Julii an. 1240 post tredecim annos & quatuor menses pontificatus sui e vita demigraverat. Interregni diuturnitas e dissensione Canonicorum, & ex competitorum ambitione provenit, quos inter memoratur Robertus Torotius, qui eodem

eodem anno 1240 ab Episcopatu Lingonensi ad Leodiensem translatus, ut Archiepiscopus Remensis evaderet, subditis & Clero suo grandes pensiones imperaverat (nam pecuniis in ejusmodi casibus non parcebatur) neque tamen votorum metam attigit. Denique hoc ipso anno 1244 Juhel Meduanensis ex Archiepiscopo Turonensi Remensis est factus. Sæcul. XIII. A. C. 1244. *Ægyd. Aur. Val. c. 134.* *Duchesne to. 5. p. 342.*

Franciæ Proceres dixerunt, se non permissuros, ut Papa sedem in Regno ponat. Ne ejus præsentia dignitatem Regiam obscuraret, veriti, juvenem Regem suum inter ac virum in negotiis versatissimum discrimen nimium videbant, sciebantque, Aulam Pontificiam hospitibus suis oneri esse. Rex igitur ex Procerum sententia respondit, verbis tamen humanissimis. Tum Papa misit, qui ab Arragoniæ Rege idem poscceret, pariterque repulsam accepit. *Matth. Par. p. 576.*

Ad Regem Angliæ quod attinet, huic Cardinales quosdam quasi ultro scribere Papa jussit hunc in modum: *Tanquam amici utile Tibi ac honorificum damus consilium, Papam per legationem orandi, ut Regnum tuum, ad quod peculiare jus habeat, præsentia sua honoret. Nos eum in vota tua flectere pro viribus conabimur. Immortali tibi gloriæ erit, si summus Pontifex ipse in Angliam adibit. Sane nunquam id hactenus, quod sciamus, accidit.*

West-

Sæcul. XIII. A.C. 1244.

Westmonasterii delicias & Londini opes spectandi desiderio se teneri aliquando dixit, quod non sine gaudio meminimus. Jucundum Regi fuit hæc legere; facileque se induisset in laqueum, nisi prudentes viri eum cohibuissent dicendo: *Romanorum usuris & sacrilegis mercatibus jam nimium infecti sumus: nec opus est, ut Papa huc veniat Ecclesiæ ac Regni bona direpturus.*

Sic exclusus Innocentius Lugdunum petere statuit, urbem neutrius partis suoque Archiepiscopo tunc subditam. Ergo relicta Genua tanquam asylo non satis certo, terras Comitis Sabaudiæ transiit; ubi sub diem festum S. Lucæ, nimirum medio Octobri versabatur: denique circiter medium Decembrem Lugdunum advenit comitante Sabaudiæ Comitis Amati IV. fratre Thoma. Hic prima conjuge sua Joanna Flandriæ Comite, Balduini Imperatoris Constantinopolitani filia an. 1244 sine liberis mortua, alteras ad nuptias cum Beatrice Fiesca Summi Pontificis nepte processit, e qua alias inter soboles suscepit Amatum V. postea Sabaudiæ Comitem.

Mon. Pad. an. 1244.

§. XVIII.

S. Ludovicus ægrotat.

Paucis antea diebus, quam Papa Lugdunum adveniret, Rex S. Ludovicus Pon-

Pontoesiæ in febrem ac dysenteriam violentam incidit. Tentaverant eum sabbato ante festum S.Luciæ, nempe 10 Decembris; & gravi mox in periculo esse credebatur. Rumor ea de re sparsus Gallos summa affecit tristitia: is enim Princeps nondum triginta annos natus jam Religionis defensor est habitus. Multi Præsules Proceresque Pontœsiam properarunt: & postquam ibi biduo hæserant, malum invalescere videntes, ad omnes Ecclesias Cathedrales nuncios miserunt, ut pro salute Regis eleemosynæ, preces, ac supplicationes publicæ fierent. Cum Medici ejusdem vitam desperarent, ipse ac Regina mater ejus Odonem Clementem Abbatem ad S. Dionysium orabant, ut SS. Martyrum corpora e cryptis in lucem proferret; nam post Deum & SS. Virginem in illis maxime Rex confidebat. Abbas proin die Jovis ante Christi Natalem, scilicet 22 Decembris abiit, ut templum curaret ornandum eodem modo, quo id ad ferias solennissimas fieri solebat: & populus Parisiensis rem edoctus turmatim accurrit. Postero die Veneris Sanctorum corpora attollebantur præsentibus Carolo seu Petro Caroleto Episcopo Noviodunensi, & Petro Cuissio Meldensi Episcopo. Lipsanothecæ aris impositæ sunt. Qui dein eas in supplicatione per Ecclesiam & cœnobium

Sæcul.XIII. A. C. 1244.

Nang. Duchesne to.5. p.341. Chr. S. Dion. Spicil.to.2. p. 815.

Sæcul. XIII. A. C. 1244.

bium portabant, multas inter lachrymas nudis pedibus incedebant: eoque die Rex melius se habere cœpit.

Salus ejus in tanto discrimine fuerat, ut nobilium fœminarum advigilantium quædam extinctum rata, faciem ejus panno contegere vellet. Sed alia ad alterum lecti latus assidens id non ferebat, nec de sepulchro mentionem fieri patiebatur, eum adhuc vivere dicens: & tum Regi vox rediit. Lugdunum usque credebatur mortuus; ubi res Papam graviter afflixit. Ille sibi redditus Episcopum Parisiensem vocari voluit, ac præsentem orabat, ut trans mare peregrinantium crucem tesserariam ipsius humero imponeret. Duæ Reginæ mater & conjux ejus flagitabant, ut plenam curationem expectaret, postea, quidquid placeret, facturus. Sed asseverabat, se nihil cibi sumpturum prius, quam crucem accepisset. Eam proin Episcopus, cum denegare non auderet, illi annexuit, una cum Episcopo Meldensi, cunctisque adstantibus in lachrymas solutus. In annum tertium voti solutionem distulit: sed recepta valetudine pristina per litteras Christianis transmarinis se cruce signatum indicans animos addidit, ut urbes & arces suas fortiter tuerentur, donec ipse suppetias ferret.

Joinville p. 22.

Duchesne p. 487. Chr. Sen. to. 3. Spicil. p. 368. Sanut. p. 217.

§. XIX.

Sæcul. XIII.
A.C. 1244.

§. XIX.

Coresmiani Hierosolymis.

Erat illis sane auxilium magis quam unquam alias necessarium: novi enim homines barbari Christianis antea incogniti Terram sanctam occupaverant. Scriptores ejus temporis eosdem varie quidem, plerumque tamen Coresmianos nuncupant: & probabilissima opinio est, e regione Covarcena Corasaniæ ad septem triones finitima eos veniisse. Cum eorum Princeps Sultanus Mahometes Couarzem-schach dictus abhinc tres ac viginti annos circiter a Ginguiscano pulsus, & vastata terra esset, hæc natio huc illuc errans, & agros, unde viveret, quærens, Hierosolymam usque pervenit eo modo, qui refertur in epistola, quam Ptolemaide 25 Nov. 1244 Robertus Patriarcha Hierosolymitanus, Henricus Archiepiscopus Nazarenus, aliique regionis illius Antistites ad cunctos Franciæ Angliæque Præsules dederunt. Ejus summam vide!

Bibl. Orient. p. 1001.

v. Sanut. p. 217.

ap. M. Par. p. 556.

Tartari Persiam depopulati Coresmianos ex ipsorum patria ejecerant: quibus, cum domicilium a nonnullis Principibus Saracenis frustra flagitassent, Sultanus Babylonius Terram sanctam assignavit, suam promittens opem. Igitur

Sæcul. XIII. A.C. 1244.

cum numeroso equitum exercitu, cum uxoribus ac familiis venerunt, & tam subito, ut ne illi quidem, qui in propinquo erant, id prævidere potuerint. E tractu Sapheti ac Tiberiadis Hierosolymitanam ingressi provinciam, Turio Equitum Gazam usque omnem sibi agrum vendicarunt. Tum Damasci & Chameliæ Sultanos fœdere nobis conjunctos & Coresmianis infensissimos in auxilium vocare statuimus, concorditer ita sentientibus Magistris Equestrium Ordinum Templarii, Hospitalarii & Teutonici, atque Nobilibus provinciæ viris. At illo subsidio moras trahente, cum neutiquam munita sit Hierosolyma, incolæ Christiani se Coresmianis impares rati, relicta cum suorum pauciſſimis urbe sexies mille ac plures numero ad Christianos reliquos abibant.

Per montes cum familiis & bonis suis faciebant iter, fidentes induciis, quas cum Sultano Caracensi, & cum monticolis Saracenis rusticis pepigerant: cum isti contra euntes eorum alios trucidarunt, alios in servitutem abstractos, & inter hos etiam Virgines Deo sacras suæ gentis hominibus vendiderunt. Quosdam elapsos postquam in Ramæ planitiem descenderant, adorti Coresmiani obtruncabant: & tanto de populo vix trecenti fuga salutem inveniebant. Denique

P. 557.

Hiero-

Hierosolymam pene desertam ingressi Coresmiani Christianis reliquis in templo sacri sepulchri abditis ipso loco viscera eximebant: Sacerdotibus ad aras rem divinam facientibus ferro demetebant capita: dicebatque alter alteri: Spargamus hic sanguinem Christianorum, ubi vinum Deo suo offerunt, quem hic e cruce pependisse dicunt! Sacro sepulchro multis modis deformato, avulsoque marmore, quo exterius cingebatur, Montem Calvariæ totamque Ecclesiam implebant omni sordium genere, & columnas ad Christi sepulchrum positas ad Mahometanum mittebant. Disruptis monumentis Regum eodem in templo sepultorum, scilicet Godefridi Bullionii & successorum ejus ossa dispergebant. Profanabant montem ac templum Sion, & in valle Josaphat Ecclesiam SS. Virginis sepulchro claram: templum vero Bethlehemiticum, ac præsepe nascentis Domini execrandis flagitiis, quæ dicere non ausim, contaminabant, pejores omnibus Saracenis, erga loca sacra aliquam semper reverentiam conservantibus. Hac ex narratione patet, quanta cautione legendæ sint hodiernæ de iisdem locis sacris relationes. Sæcul. XIII. A.C. 1244.

Epistola sic continuatur: Tanta mala ferendo minime pares, Coresmianis, ne toti regioni vastitatem inferrent, cum me-

Sæcul. XIII. A. C. 1244.

moratis duobus Sultanis obsistere decrevimus. Quarto Octobris exercitus noster prope Ptolemaidem in viam se dedit, & juxta littus per urbem Cæsaream locaque maritima processit. Coresmiani ad Gazam castra posuere, a Sultano Babylonio subsidium expectantes. Quo accepto propius admotos invasimus pridie festum S. Lucæ, nimirum die Lunæ 17 Octobris. Saracenis, qui nobiscum erant, profligatis ac terga vertentibus, nostri tum soli Coresmianis simul & Babyloniis expositi tam parvo erant numero, ut irritis conatibus suis omnibus succumberent. De tribus Ordinibus militaribus tantummodo tres ac triginta Equites Templarii, sex ac viginti Hospitalarii atque tres Teutonici evadebant salvi, regionis Procerum ac Equitum plerisque cæsis aut captis.

Regem Cypri & Antiochiæ Principem oravimus, ut copias mitterent, Terram sanctam in hac necessitate ultima defensuras: sed, quid acturi sint, incertum. Graviſſima passi pejora metuimus. Regio, quam Christiani sibi armis comparaverant, omni ope humana caret. Ethnici in planitie Ptolemaidis bis mille passibus ab urbe castra metati sunt. In omnem agrum Nazarethum ac Saphetum usque libere excurrentes a rusticis cæterisque incolis pensiones Christianis debitas

tas accipiunt: nam hi omnes indigenæ, ut se Coresmianis addicerent, in nos consurrexerunt. Nostris nihil supereſt præter aliquot arces, quas ægerrime tuentur. Finitur epistola asserendo, Terram sanctam esse perditam, nisi per trajectum maris mense Martio faciendum suppetias obtineat. His cum litteris Galeranus Episcopus Berytensis & Arnoldus Ordinis Prædicatorum an. 1244 prima Adventus Dominica 27 Novembris posthabita temporis inclementia se pelago committebant; & post sex mensium navigationem oppido periculosam sub festum Ascensionis diem, qui hoc anno 1245 duodecimus Maji erat, Venetias advenerunt.

Sæcul.XIII. A.C.1245.

Imperator Fridericus Coresmianorum irruptionem mox comperit, ut ex duabus epistolis, quas hac de materia scripsit, apparet. In priore ad omnes terræ Principes missa dicit, se hac de re rumorem primo aliquem, dein ejus notitiam a Patriarcha Antiocheno accepisse; nec nisi Coresmianorum adventum, Christianorum fugam in urbem Hierosolymam, stragem eis illatam, locorumque sacrorum profanationem commemorat. Asserit, se summo flagrare desiderio sciendi, quo successu Christiani se Sultanis Damasceno & Caracensi junxerint: sed queritur, quod turbatæ fuerint induciæ Cornubiæ

Petr.de Vin. I. ep. 28. ap. Rayn. 1244. n. 2.

Sæcul. XIII. A.C. 1245.

Comitem inter & Sultanum Ægyptium initæ; & quod bellum Italicum ſuæque cum Papis controverſiæ obſtiterint, ne Terræ ſanctæ ſuccurreret.

Matth. Par. ann. 1244. p. 546.

Alteram epiſtolam ad Cornubiæ Comitem affinem ſuum Foveæ 26. Febr. indictione tertia, ſcilicet an. 1245 dedit. Ibi infauſtam diem 17 Octobris deplorat, & calamitatis culpam conjicit in Patriarcham Hieroſolymitanum, qui, cum honorem victoriæ ſolus habere vellet, prælium alieno tempore indixiſſet. Queritur denuo de violatis induciis, quas cum Sultano Ægyptio pactus eſſet, ac de credulitate illorum, qui Sultanorum Damaſceni & Caracenſis fœderi confidiſſent. In fine perhibet, ſe detineri bello Italico, & accuſat Papam, quod honorificas pacis conditiones reſpuerit.

§. XX.

Convocatio concilii generalis.

Interim Papa Innocentius generalis concilii convocandi gratia ad Archiepiscopos epiſtolas circummiſit, in quibus ita loquitur: *JEſus Chriſtus Eccleſiæ ſuæ eam contulit prærogativam, ut ipſius miniſterio juſtitia effectum obtineat ſuum, & bella reſtinguantur. Itaque Eccleſiam horribili tempeſtate agitatam in ſplendorem priſtinum*

to. XI. conc. p. 636. ap. Rayn. 1245. n. 1. ap. Matth. Par. p. 976.

stimum restituere, Terram sanctam e peri- Sæcul.XIII.
culo eripere, Imperium Romaniæ attollere, A.C.1245.
Tartaros cæterosque ethnicos reprimere, ac dissidium Ecclesiam inter ac Principem componere volentes, congregare Reges, Præsules, atque reliquos Principes statuimus. Quamobrem vos ipsos festo S. Joannis Baptistæ die nostrum in conspectum venire volumus, ut Ecclesiæ salubria suggeratis consilia. Sciatis autem, illum Principem, scilicet Fridericum a nobis publice vocatum esse, ut in concilio per se aut per suos compareat, ad querimonias de se auditas respondeat, & pro iis satisfaciat. Equorum hominumque comitatus vestri numero ponetis modum, ne Ecclesiæ nimio sitis oneri. Etiam Suffraganeos vestros eodem die hic adesse, ac eorum Collegia Oratores huc suos mittere nostro nomine jubebitis. Dabat Lugduni, aliquas ineunte, exeunte cæteras Januario anni 1245. Singillatim Ecclesiarum Metropolitanarum Collegiis, Cardinalibus absentibus, Regibusque inscriptæ erant. Notatu dignum est, Papam ab Episcopis consilia tantum petere, velut si non Judices cum ipso esse in concilio deberent.

Sæcul. XIII. A. C. 1245.

§. XXI.

Suantopulcii defectio a fide Christo data.

Dusbourg. Chr. part. 3. c. 31. 32. &c.

Hoc interim spatio Papa Innocentius Borussiæ Christianorum apostasiam edoctus, hujus authori Suantopulcio Pomeraniæ Duci scripsit. Malus hic & subdolus Princeps Equitibus Teutonicis infensus, quamvis ipse Christianus esset, novis Borussiæ Christianis persuasit, ut hos Equites cæterosque Christianos omnes e regione abigerent, libertatem pristinam recepturi. Hæc seditio contra Equites Teutonicos prima fuit, & an. 1242 contigit. Anno sequente ad Apostolicam Sedem evectus Innocentius IV, postquam per Hermannum Salsulanum Generalem Ordinis Magistrum rem compererat, Legatum in Borussiam remisit Guilielmum, qui cum esset Episcopus Mutinensis, ibi annos abhinc viginti circiter Evangelium promulgaverat.

epist. ap. Rayn. 1243. n. 32.

Sup. Lib. LXXIX. §. 6.

Rayn. 1245. n. 85.

Fungentem hac legatione Papa Innocentius anno 1244 Cardinalem Episcopum ad S. Sabinam creavit, & anno proximo Suantopulcium per litteras acriter reprehendit, quod contra Religiosos Hospitalarios Ordinis Teutonici, & contra peregrinantes, nimirum cruce

signa-

signatos arma adhiberet. *Cave*, inquit, *ne iram Dei, ac Sedis Apostolicæ adversus te provoces! Ut ajunt, ante octo jam annos ob impia & horrenda scelera contortum in te anathema parvipendens, Ecclesiæ te submittere non cogitasti. Redi ad bonam frugem! sin minus: ea tecum ratione, quæ te tibi reddat, agemus.* Dabat 1. Febr. 1245. Scripsit simul Archiepiscopo Gnesnensi ejusque Suffraganeis hunc in modum: *Ne ille Dei hostis dignitate Christiani nominis abutens, recte credentibus perniciem impune attulisse se glorietur, præcipimus, ut post acceptas has litteras intra quindecim dies eum commoneatis; & nisi a violentis injuriis suis destiterit, eundem ac complices ejus singulos a piorum communione sejunctos vestris in Diœcesibus denuncietis; ac denique profanæ potestatis opem contra illum imploretis.*

Sæcul. XIII. A.C. 1245. n. 88.

Anno 1243 Papa Fratrum Prædicatorum per Germaniam Magistro Provinciali, aliisque Religiosorum Superioribus scripserat, ut e provinciis Magdeburgensi ac Bremensi, & ex Diœcesibus Ratisbonensi, Passaviensi, Halberstadiensi, Verdensique Religiosos seligerent, qui populos ad capienda pro Religione arma exhortarentur, ut augeretur JEsu Christi gloria, ac ethnicorum insolentia retunderetur. Nempe militiæ sacræ classicum canendum erat contra ethnicos Borussiæ

ap. Rayn. 1243. n. 34.

Sæcul. XIII. A.C. 1245.

vicinorumque locorum. Etiam Legatus Guilielmus ipse hoc fecit, & nominatim adversus Suantopulcium frustra admonitum: id quod plurimos Germaniæ viros nobiles permovit, ut Equitibus Teutonicis & Borussiæ Christianis succurrerent, & Suantopulcius post plures pactiones, a quibus recesserat, haud semel tantum victus, denique pacem petere cogeretur. Et vero impetravit opera Opizonis Abbatis Messanensis, quem Papa mense Octobri 1243 eum in finem miserat, ut scilicet dissidia partium componeret, quarum alteram Episcopus Cujaviæ, Equites Teutonici in Borussia, Duces Poloniæ & Camini, alteram Pomeraniæ Dux Suantopulcius, novique Borussiæ Christiani conficerent. Hæc pax inita fuit an. 1246. Suantopulcius fœdere ethnicis renunciato a censuris, in quas incurrerat, est absolutus.

Dusb. c. 33. 45.

c. 54. 55.

§. XXII.

Papæ ratio agendi.

Matth. Par. p. 575.

Sub initium verni jejunii hoc anno 1245. primo Martii factum Papa totam per Franciam repeti jusserat anathema contra Imperatorem, cognatos ipsius & viros Ecclesiasticos denuo adortum. Accepto hoc mandato Parisiensis Parochus quidam Cæsaris amans, Curiamque Romanam,

manam, ubi male habitus fuerat, perosus, in parœcia ſua ſolenni quodam die publice dixit: *Imperatorem Fridericum a piorum cœtu ſecluſum denunciare ſum juſſus. Rei cauſam ignoro: ſcio tamen, Papam inter ac illum magnam eſſe diſcordiam. Uter recte aut perperam egerit, neſcio. Sed execratione, quantum poſſum, devincio e duobus illum, qui facit injuriam: alterum, qui eam patitur, abſolvo.* Hæc cavillatio usque ad Cæſaris aures pervenit, qui Parocho dona miſit: Papa vero hominis imprudentiam caſtigavit. Sæcul. XIII. A.C. 1245.

Papa amicis arcanorum arbitris Ecclesiam alieno ære oppreſſam conquerens, ſibi haud mediocre auxilium argentarium maxime opus eſſe ſignificaverat. Re divulgata multi Præſules opulenti eum adiere; cumque ſe curis ejus ac periculis commoveri dixiſſent, gratulabantur, quod evitatis Friderici laqueis ad devotos ſibi filios veniſſet. Offerebant ſimul munera ſummi pretii, equos, vaſa, veſtes, ſupellectilem ex auro & argento. Hugo Abbas Cluniacenſis illi grandem pecuniæ ſummam ex ærario ſui monaſterii, & huic junctorum Prioratuum ſolvebat; & illius opera Episcopatum Lingonienſem ab anno 1240, cum Robertus Torotius ad ſedem Leodienſem translatus eſſet, vacantem an. 1244 obtinuit. *Id. p. 581.* *Duchesne to. 5. p. 342.*

Etiam

Sæcul. XIII. A.C. 1245.

Etiam Petrus Collimedius Archiepiscopus Rothomagensis eximium Papæ donum attulit, & hoc fine se ac Ecclesiam suam magno ære obstrinxerat: quem Innocentius an. 1244 Cardinalem Episcopum Albanensem creavit; & Archiepiscopatum Rothomagensem Odoni Clementi ad S. Dionysium in Gallia Abbati contulit, a quo pretiosa pariter munera acceperat. Hic instructus litteris ad Canonicos Rothomagenses Lugduni 30 Martii an. 1245 datis, in Ecclesiam suam quarta Dominica post Pascha 15 Maji receptus est, sed biennio tantum ei præfuit. Ægydius Cornutus Senonensis Archidiaconus eodem anno 1244 Senonum Archiepiscopus evasit loco Gualterii Cornuti fratris sui 21 Aprilis an. 1241 mortui, decemque annis sedit. Emericus Archiepiscopus Lugdunensis jam senio confectus, eodem anno dignitate sua in Papæ manibus depositа, in cœnobium Grandimontanum se abdidit, ubi post annos duodecim mortem obiit. Interim Papa Lugdunensem Archiepiscopatum Philippo Sabaudo, jam in Episcopum Valentinum electo tribuit, & singularem legis gratiam fecit. Nondum enim sacris Ordinibus initiato Archiepiscopatus Lugdunensis simul ac Episcopatus Valentini, sacræ Præfecturæ Brugensis, amplorumque beneficiorum complurium, quæ in Flan-

Gall. Chr. to. 1. p. 587.
Ibid. 338.
Duch. p. 342.
Ibid. 323.

Flandria Angliaque habebat, proventus annuos percipiendi facultatem dedit. Subjecerat copias suas huic Principi egregia corporis specie ac bellicis artibus insigni, & concilii Lugdunensis custodiam demandaverat. Ejus fratrem Bonifacium Lugduni Archiepiscopum Cantuariensem inauguravit. Sæcul. XIII. A.C. 1245.

Alios etiam duos Angliæ Episcopos, Doctorem Richardum Drutvicensem pro Ecclesia Cicestriensi, & Doctorem Rogerium Veschamium Lincolniensem Decanum pro sede Cestriensi consecravit. Eorum scientia & virtus fecere, ut Papa nullam Procuratoris rationem duceret, quem Rex Anglorum miserat oppositurum, eos sine consensu Regio promotos esse. Responsum illi fuit, hunc Principem per privilegii sui abusum eo se indignum reddidisse. At Rex id edoctus illorum Episcopatuum bona fisco addixit. *Matth. Par.* p. 578.

Interim quosdam fructus annuos in Ecclesia Lugdunensi vacantes Papa extraneis cognatis suis inconsulto Canonicorum Senatu collaturus erat: sed in faciem ei obsistebant, Deum testem facientes, nec Archiepiscopum, nec se posse impedire, quin illi exteri, si Lugduni comparerent, in Rhodanum dejicerentur. Sub idem tempus civis Lugdunensis aditu ad Papam humaniter petito ejus satelliti cuidam se duriter repellenti manum

Sæcul. XIII. A.C. 1245.

num abscidit: & Philippus Sabaudus, ut Papæ honori consuleret, satisfactionem quidem aliquam sed ægerrime obtinuit.

§. XXIII.

Concilium Lugdunense.

Festo S. Joannis die ad celebrandum concilium statuto quam plurimi Præsules ac duo Principes profani, Balduinus Imperator Constantinopolitanus, & Tolosanus Comes Lugduni aderant. Balduinus Constantinopoli in templo S. Sophiæ mox post adventum suum, scilicet mense Decembri an. 1239 coronatus fuerat. Quamvis autem anno sequente de Græcis terra marique haud levis momenti victorias retulisset: postea tamen bello continuando maxime propter ærarii angustias par non erat; & exeunte anno 1244 cogebatur in Italiam venire flagitatum opem a Papa Innocentio & ab Imperatore Friderico, quos inter pacis consilia una cum Comite Tolosano agitabat modico successu, ut vidimus. Interea Græcus Imperator Vatacius Regno Thessalonicensi, quod Joannes Comnenus tenuerat, in ditionem redacto, suam indies potentiam augebat. Concilio etiam Friderici Cæsaris Legati intererant, quorum primus erat Thaddæus Sues-

Ducang. hist. C. P. p. 120.

p. 130.

Matth. Par. p. 582. to. XI. Conc. p. 658.

Sueſſius Eques ac legum Doctor; nomine Regis Anglorum Comes Bigodus, aliique viri nobiles, & quorundam Principum Oratores. Sæcul.XIII. A.C.1245.

Comparebant centum quadraginta Præſules tum Epiſcopi tum Archiepiſcopi, quos authoritate præcedebant tres Patriarchæ Latini Conſtantinopolitanus, Antiochenus, & Aquilejenſis ſeu Venetus. Multi etiam Procuratores Præſulum abſentium, quos excuſabant, & Cathedralium Collegiorum Nuncii aderant. Abbas ad S. Albanum in Anglia monachum miſit, quem Clericus comitabatur: & ex his ſine dubio Matthæus Paris ejusdem cœnobii Religioſus ſingulas hujus concilii res comperit, quas in hiſtoria ſua enarrat. Ex Hungaria a Tartaris vaſtata nemo, ex Germania pauci Præſulum venere ob diſſidium inter Papam & Imperatorem, per quem illud eis non licebat. Præſules Terræ ſanctæ ne vocari quidem poterant ob incurſionem Coreſmianorum. Solus Epiſcopus Berytenſis adfuit, triſtis hujus rei nuncius, & omnium illius regionis Chriſtianorum Procurator.

§. XXIV.

Congregatio præmiſſa.

Die lunæ poſt feſtum S. Joannis, vigeſimo ſexto Junii an. 1245 Papa concilii 26. *Jun.*

Sæcul. XIII. A. C. 1245.

cilii materiam præparaturus, in triclinio Religioſorum S. Juſti, apud quos habitabat, congregationem habuit. Patriarcha Conſtantinopolitanus exponebat ſtatum Eccleſiæ ſuæ, quæ antea Suffraganeos plures quam triginta numeraſſet, quorum vix tres ſupereſſent. Græcos aliosque Romanæ Eccleſiæ inimicos totum pene Romaniæ Imperium usque ad portas Conſtantinopolis occupaſſe. Sic Eccleſiam ſuam in ſummum contemptum venire, quamvis per privilegium præcedat Antiochiam primam S. Petri ſedem, ſed tunc Græcorum Imperio ſubjectam.

Deinde mentio fiebat de Edmundo Archiepiſcopo Cantuarienſi inter Cælites referendo, cujus ſanctitatem Deus per miracula evidentia demonſtraret ſecundum teſtimonia octo Archiepiſcoporum, & viginti circiter Epiſcoporum: petebatur etiam, ut ille actus, quo ſolennior eſſet, in concilio fieret. Sed Papa dixit: *Urgent nos ponderoſa Eccleſiæ negotia, quæ moram non patiuntur: hoc proin differendum eſt, quod haud negligemus, ſi Deus vitam noſtram conſervaverit.*

Thaddæus Sueſſius afferebat, Imperatorem Fridericum Dominum ſuum, ut pacem & Papæ amicitiam recuperet, velle Eccleſiæ legibus Imperium Romaniæ rurſum ſubjicere; ſe Tartaris, Coresmia-

mianis, Saracenis, cæterisque Ecclesiæ hostibus opponere; suis sumptibus Terram sanctam adire; eam a præsente periculo liberare, ac priorem in statum pro viribus redigere; denique Ecclesiæ Romanæ ablata reddere, atque injurias ei factas compensare. Papa exclamabat: *O grandia promissa! sed nunquam servata sunt, nec servabuntur unquam. Satis constat ea fieri ad evitandum ictum imminentem, & ad illudendum postea concilium. Dominus tuus nuper pacem juravit: observet eam secundum formulam juramenti sui: & acquiesco. At si, quæ offert, acciperem, & ille revocaret, ut plane metuendum, quis vadem ageret? quis eum dicto stare cogeret? Rex Gallorum ac Rex Angliæ*, reposuit Thaddæus. Tum Papa, *Nolumus*, inquiebat. *Nam si a pactis discederet, ut ex præteritis prævidemus, promissorum fidem ab his Regibus exigere cogeremur; ac Ecclesia tres potentissimos Principes profanos sentiret hostes.* Thaddæus neque satis amplam potestatem accipiendæ conditionis a Papa oblatæ, neque tempus sufficiens ad conficiendum negotium habens, ad triste silentium compulsus est. Sæcul. XIII. A.C. 1245. 26. Jun.

Galeranus Episcopus Berytensis, qui Coresmianorum incursus notitiam attulerat, Fratrem Arnoldum Dominicanum itineris sui socium legere jussit Præsulum litteras, illius calamitatis relationem con-

Sæcul. XIII. A. C. 1245.

tinentes, quæ præsentibus omnibus lachrymas exciverunt. Atque hæc sunt, quæ in hoc concilii præludio agebantur.

§. XXV.

Sessio prima.

28. *Jun.* *p.* 637. 638.

Prima sessio solennis biduo post fiebat, nimirum die Mercurii 28 Junii in pervigilio S. Petri. Eo die Papa cæterique Præsules omnes Pontificiis insignibus instructi in metropolitanum S. Joannis templum se contulere: ubi Papa, cum sacrificium peregisset, elatum conscendit locum; ad dextram Imperator Constantinopolitanus, ad lævam alii Principes profani considebant; tum Procancellarius Martinus Neapolitanus Cardinalis Diaconus cum Notariis, Auditoribus, Correctoribus, Præfectis sacrarii, Hypodiaconis, & quibusdam aliis. In loco minus alto sedebant Præsules hoc modo; ex adverso Papæ tres Patriarchæ, Constantinopolitanus ex parte dextera, deinde Antiochenus, & Aquilejensis tertius. Is etiamnum erat Bertholdus Moraviæ Ducis filius, summis Pontificibus diu exosus velut addictus Friderico Cæsari, & postea pacis fœdere an. 1230 comprehensus. Reliqui duo Patriarchæ perhibebant, non convenire, ut ille sibi assideat, cum non esset e numero quatuor vete-

Conc. p. 666.

Ughell. to. 5. *p.* 88.

veterum: ejusque ſedem tolli juſſere: ſed hæc offenſionis vitandæ gratia mandante Papa, ut opinio ferebat, reſtituta eſt. In Eccleſiæ navi locisque altis a dextro latere Cardinales Epiſcopi, a ſiniſtro Cardinales Presbyteri, poſt hos Archiepiſcopi & Epiſcopi ſellas habebant ſuas: ſedes navim replentes Epiſcopi quidam, Collegiorum Cathedralium Nuncii, Friderici Cæſaris, ac Regum Legati, multique alii occupabant. Sæcul. XIII. A.C. 1245.

In ſuo quisque loco cum eſſet, Papa inchoabat canticum: *Veni Creator;* quo ab omnibus decantato, Cardinalis Ægidius dixit: *Flectamus genua;* Octavianus reſpondit: *Levate!* Papa recitavit Orationem. Tum ſacelli Præfectus Galeas incepit litanias, quibus Orationem de Spiritu Sancto Papa ſubjunxit. Is deinde ſermonem habuit, cujus in materiam ſumpſit quinque dolores ſuos cum quinque Chriſti vulneribus comparatos. Primus erat immoderatio Præſulum ac populorum ex iis pendentium; alter inſolentia Saracenorum; tertius Græcorum ſchisma; quartus crudelitas Tartarorum; quintus Friderici Cæſaris inſectatio. Poſtremum in punctum excurrit latius, & ob oculos poſuit mala, hoc a Principe Papæ Gregorio anteceſſori ſuo ac Eccleſiæ illata. Fridericus, addebat Papa, in litteris per omnem terram miſſis dicebat

Sæcul. XIII. A.C. 1245.

quidem publice, se non Ecclesiæ, sed Gregorio adversari: sed contrarium manifesto patet ex eo, quod vacante Sede Apostolica Ecclesiam divexare non destiterit.

Conc. p. 660. 638.

Sermonis finem Papa fecit Fridericum hæreseos & sacrilegii arguendo; atque inter alia, quod urbem novam Christiano in Regno conditam Saracenis incolendam dederit; quod cum Sultano Ægyptio aliisque Principibus ethnicis amicitiam contraxerit; & eadem ex natione concubinas aleret. Denique perjurii eum ac violatæ sæpius promissorum fidei accusabat; remque ultimam demonstraturus scripta multa legi jubebat; & primum quidem obsignatas auro litteras Papæ Honorio missas, per quas Fridericus tunc solum Rex Siciliæ se tanquam clientem beneficiarium illi fidem juraſſe fatebatur; deinde alias, in quibus Siciliam sibi ab Apostolica Sede fiduciaria lege collatam adhuc agnoscens, omni de jure, quod in electiones Ecclesiarum hujus Regni habere posset, decedebat, easque ab omni obligatione liberas declarabat. Plura alia diplomata aurea recitari Papa voluit, per quæ Fridericus tam ut Rex quam ut Imperator Ecclesiæ Romanæ donabat & confirmabat Marchiam Anconitanam, Umbriam, Penta-

Pentapolin, regionem Æmiliam seu Romaniolam, & Comitis Mathildis terras. Sæcul. XIII. A.C. 1245.

Tum Thaddæus Suessius medio in consessu se vultu intrepido erigens producebat litteras Pontificias, quæ ad enervandas Papæ exprobrationes opportunæ videbantur: sed post maturum examen diplomatum utriusque partis, nulla in eis contradictio inventa est; Pontificiis enim conditio, non item Cæsareis erat addita: & Fridericum promissa fefelliss constabat omnibus. Thaddæus, ut responderet, exhibebat Papæ litteras, quarum sententiam eum non executum esse perhibens, Imperatorem promissis suis non magis obstrictum fuisse concludebat. Quod ad objectam hæresin spectabat, concilium intuens, *Domini!* ajebat, *hoc tanti momenti punctum patere nemini potest, nisi Imperator Dominus meus adsit, & animi sensa ore declaret. Sed eum non esse hæreticum argumento probabili defendo; estque istud, quod fœneratores in terris suis non toleret.* His verbis Thaddæus oblique Romanam perstringebat curiam, quæ hoc vitio infecta esse dicebatur. Quod attinet ad Friderici fœdus cum Sultano Ægyptio cæterisque Saracenis, quibus habitationem in Regno permittit suo, *id consulto & prudenter agit*, inquiebat Thaddæus, *ut subditos rebelles contineat in officio, & sanguini*

Sæcul. XIII. A.C. 1245.

Christiano in bellis parcat, & quæ his ethnicis utitur. Fœminæ Saracenæ grato tantum spectaculo ei fuere: illasque malarum suspicionum materiam esse videns, dimisit nunquam revocandas. Denique Thaddæus a concilio dilationem modicam flagitavit, Domino suo per litteras persuasurus, ut vel ipse adveniret, vel ampliorem illi potestatem faceret. Tum Papa, *Absit*, ajebat: *Timeo laqueos, quos tam ægre effugi. Si veniret, abirem protinus: nondum me ad martyrium vel ad vincula paratum sentio.* Sic prima concilii sessio finita est.

§. XXVI.

Altera Sessio.

5. *Jul. p.* 630.

Secunda octiduo post habebatur scilicet 5 Julii, ac eædem preces atque cerimoniæ fiebant. Ibi Udardus e Cistercienſi monacho Calvensis in Apulia Episcopus, qui missus in exilium fuerat, surrexit, & totam Friderici vitam describens, nec vitia ejus, nec probra omisit, dixitque, illum eo maxime tendere, ut Præsules omnemque Clerum ad paupertatem Ecclesiæ primævæ redigat; idque indicasse litteris quaquaversus missis. Deinde quidam Hispaniæ Archiepiscopus Papam, ut ne Imperatori parceret, fortiter hortabatur, hunc multa contra Ecclesiam

Ughell. to. 6. *p.* 603.

cleſiam molitum, eamque, quantum poſſet, deprimere ſemper conatum eſſe memorans. Promittebat ſimul, ſe cæteroſque Hiſpaniæ Præſules per ſe ac per bona ſua Papæ, quantam cuperet, opem eſſe laturos. Hiſpani autem ad concilium majore venerant numero, & ampliorem comitatum adduxerant, quam ulla alia natio. Multi alii concilii Præſules eadem offerebant. Sæcul.XIII. A.C.1245.

Surgens poſtea Thaddæus, & ad Calvenſem Epiſcopum converſus, *Verbis tuis*, ajebat, *non habenda fides, ac ne aures quidem præbendæ ſunt. Es frater proditoris, qui in curia Imperatoris Domini mei juridico ritu convictus & in patibulum actus eſt: & tu veſtigiis ejus inſiſtis.* Tacente Præſule, Thaddæus pari vehementia aliorum quorundam accuſationes repulit. Multi cognati amicique illorum, qui quatuor abhinc annis in mare merſi, vel in carceres contruſi fuerant, de hac Imperatoris ſævitia conquerebantur. Ad ea Thaddæus: *Illorum calamitas eum vere afflixit, ac præter ejus intentionem accidit: ipſe vero impedire non potuit, quo minus in navalis prælii calore Præſules cum hoſtibus ejus confuſi eisdem ærumnis involverentur. Liberaſſet eos, ſi adfuiſſet.* Papa objecit: *Cum Fridericus eos comprehendiſſet, cur innocentes non dimiſit retentis cæteris?* Reſpondit Thaddæus: p. 661. 662.

Sæcul. XIII. A. C. 1245.

dæus: *Papa Gregorius mutata convocandi concilii ratione, cum eos tantum, quibus esset opus, accersere debuisset, declaratos Imperii hostes acciverat laicos, qui venirent armati, velut Provinciæ Comes aliique. Apparebat, non pacis conficiendæ gratia, sed ad excitandas turbas vocatos esse. Itaque Imperator per litteras quaquaversus missas Præsules, ut ne fraudulentum adirent concilium, peramanter orabat, cum inimicis suis eos impetitum iri prævidens, seque illos in terrarum suarum transitu securos redditurum negabat. Divina proin justitia eos tradidit in manus illius, cujus monita contempserant. Comprehensos tamen Præsules cæterosque dimissurus inermes erat: cum Episcopus Præneslinus & alii quidam insolenter in faciem minis illum & anathemate, quamvis essent captivi ejus, insectati sunt.* Papa opponebat: *Si Dominus tuus causæ fidisset suæ, a concilio tot proborum hominum se absolutum potius quam condemnatum iri credidisset. Sed agendi ratio, quam tenuit, quid illi conscientia sua objecerit, declarat.* Subjecit Thaddæus: *Cum Imperator sibi minas ipsis a captivis suis intendi cerneret, quomodo sperare poterat favorem concilii, in quo inter alios etiam inimicos suos fore, & Papam Gregorium capitalem hostem suum regnaturum sciebat.* Papa reposuit: *Si e captivis unus se libertate*

tate indignum reddidit, cur innocentes eodem modo habuit? Cauſæ ſunt nimiæ, cur coronas turpiter amittat ſuas. Sæcul.XIII. A.C.1245.

Hac altera in ſeſſione Thaddæus efflictim oravit, ut tertia prorogaretur, eoquod Cæſarem expectaret, quem iter ad concilium ingreſſum eſſe certos per nuncios comperiſſet. Regum Angliæ Franciæque Legati eidem petitioni inſiſtebant, præſertim Anglici, qui Cæſari tanquam ſui Regis affini magis ſtudebant. Denique conceſſa fuit dilatio per duodecim dies usque ad diem Lunæ poſt octavam a ſecunda ſeſſione nempe in decimam ſeptimam Julii. Quod vehementer diſplicuit multis Præſulibus, qui Lugduni magnis ſumptibus commorabantur, præcipue Templariis & Hoſpitalariis, qui milites miſerant Papæ, concilii & urbis cuſtodiam acturos. Inter hæc Imperator cum filio ſuo Conrado & quibusdam Germaniæ Proceribus Veronam delatus, ibi comitia habebat, quibus intererant Lombardiæ Optimates illius partes ſecuti. Poſtea iter ad concilium ſimulans, Taurinum usque proceſſit. Sed quid Lugduni actum ſit, edoctus commota acriter bile, *Sole clarius eſt*, ajebat, *Papam conatum omnem impendere, ut ignominia me afficiat. Nempe Genuenſes piratæ, cognati ejus, veteres Imperii hoſtes in mari una cum Præſulibus, quos vehebant, meo*

Conc. p.639.

p. 661.

Mon. Pad. an. 1245.

Conc. p.661.

Sæcul. XIII. A. C. 1245.

sunt jussu capti. Ideo vindictam spirat. Hunc solum in finem convocavit concilium. Sed dedecet Imperatorem sententiæ talis conventus se submittere, præsertim quando adversis eum partibus adhærere intelligit. Postquam vero Lugduni compertum est, Fridericum nec adire concilium, nec mittere Legatos sufficiente cum potestate velle, plurimi eorum, qui hactenus illi faverant, ab eodem descivere.

§. XXVII.

Sessio tertia.

17. Jul. Tertia concilii sessio fuit memorato die lunæ 17. Julii. In illa Papa concilio approbante statuit, ut deinceps Natalis SS. Virginis per octiduum celebretur. Dein septendecim præscriptiones legi jussit, quarum pars major ad actiones judiciarias pertinebat: ultimæ quatuor res majoris momenti tractabant. Singularum sanctionum enumeratio lectu molesta foret, iis præcipue, qui judiciorum formulas non didicerunt. Sed apparet ibi amor captiosarum litigandi artium tunc in Clericis regnans, quorum plerique agendis vel dijudicandis causis distinebantur. Id concilia cogebat tam fuse pertractare ejusmodi materias, quæ melioribus sæculis attentione Præsulum indignæ fuissent visæ. Quædam ibi sanctio

p. 639.
p. 645.
c. 13.

ctio Episcopos, cæterosque, qui Ecclesiarum bona administrarent, earum debita expungere, ac, ne nova contraherent, cavere jubebat. In sexto Decretalium libro & alibi leguntur plures aliæ constitutiones concilio Lugdunensi ascriptæ. Sæcul. XIII. A.C. 1245. *Conc. p.* 666. 671.

Decrevit, ut dimidia pars fructuum provenientium e cunctis beneficiis, quorum possessores ipsi saltem sex menses in locis suis non residerent, per triennium in suppetias Imperio Constantinopolitano mittendas impenderetur. Excepit illos, qui per canones præsentiæ lege soluti essent; adstrinxit tamen ad dandam tertiam partem proventus, si centum argenti selibras excederet. Ad eam rem pecunias contribuentibus eandem Indulgentiam, quam terræ sanctæ succurrentibus, concessit. Ex hoc decreto colligi potest, quam multi beneficiarii suis in locis tunc temporis non residerent. Papa (nam ipse semper est, qui his in decretis cum approbatione concilii loquitur) Papa, inquam, exhortatur Præsules, ut populos ad summam pecuniæ aliquam Terræ sanctæ vel Romaniæ Imperio per testamenta sua relinquendam suis in concionibus & in tribunali sacro stimulent, atque has pecunias fideliter asservandas curent. Deinde multas Christiani orbis regiones, Poloniam, Russiam, Hungariam, a Tartaris vastatas ob oculos ponit, & ad

p. 650. *c.* 14.

c. 15.

c. 16.

Sæcul. XIII. A. C. 1245. ad inhibendos eorum progressus, omnes aditus per fossas, muros, aliaque opera pro ratione locorum præcludi jubet. Pollicetur fore, ut pecuniam ad compensandos hos sumptus & ipse magnifice, & pro rata parte omnes Christianæ regiones ipsius admonitu contribuant. In puncto ultimo de auxilio Terræ sanctæ ferendo loquitur. Præcipit omnibus cruce signatis, ut se præparent ad loca decentia eo tempore, quod indixerit, petenda. Per ea, quæ subjungit, ad verbum repetit decretum concilii Lateranensis anno 1215 habiti. Pensiones in emolumentum Constantinopolis & Terræ sanctæ solvendas quod attinet, eas hominibus a Papa constitutis tradi quibusdam tam parum placuit, ut ipso præsente reclamarent. Frequenter enim auditæ fuerant querimoniæ, quod Aula Romana collectas illas subduxerit.

to. XI. Conc. p. 224.

Sup. Lib. LXXVII. §. 56.

Matth. Par. p. 595.

Conc. p. 640. Recitatis his decretis Papa dixit, se omnium privilegiorum, quæ Imperatores, Reges, cæterique Principes Ecclesiæ Romanæ concesserint, apographa confici, omniumque Præsulum præsentium sigillis obsignari curasse, ut eandem, quam autographa, authoritatem haberent. His Papæ verbis Legati Regis Angliæ intercedebant, ne authoritas accederet quibusdam concessionibus in Anglia Romanæ Ecclesiæ factis, in quas Regni Optimates

mates haud consensisse causabantur. Vi- Sæcul.XIII.
debantur Regis Joannis donationem tan- A. C. 1245.
gere. Conquesti etiam de Curiæ Roma- p. 663.
næ exactionibus, epistolam nomine to-
tius Angliæ Papæ scriptam legi curabant,
cujus hæc erat summa.

§. XXVIII.

Anglorum querelæ.

Ecclesiæ Romanæ matri nostræ æquum subsidium tributarium, quod denarium S. Petri vocamus, a longo tempore pependimus: sed illo contenta non fuit, & postea tam per Legatos quam per Nuncios suos alia tributa petiit, quæ liberaliter contulimus. Nec ignoras, Majores nostros condidisse ac dotasse monasteria, iisque jus designandi Parochos quosdam tribuisse. Verum antecessores tui, ut ditarent Italos, quorum numerus fiebat nimius, his illorum paræcias assignarunt, quarum nullam isti curam gerunt, sive directionem animarum, sive cœnobiorum, e quibus pendent, defensionem spectemus. Non exercent hospitalitatem, non eleemosynas largiuntur, percipiendis tantum & ex Regno asportandis fructibus intenti non sine damno nostrorum fratrum & propinquorum, qui possidere hæc beneficia deberent, ac per se, non per alios administrarent. Hi vero Itali, ut rem dicamus, quotannis ab Anglia supra sexagies mille

Sæcul. XIII. A.C. 1245.

mille ſelibras argenti accipiunt; nec ipſi Regi ſuo tantam illa ſummam dependit.

Cum thronum Apoſtolicum conſcendiſſes, te rem tam indignam correcturum eſſe ſperabamus. Sed e contrario noſtra onera increverunt. Doctor Martinus nuper ſine permiſſu Regio Angliam intravit tanta cum poteſtate, quantam nullus unquam Legatus habuit, quamvis hunc ille titulum ſibi non adſcribat. Vacua beneficia ſupra triginta ſelibras ferentia in Italos contulit, pro quibus, cum eſſent mortui, alios ſubſtituit inſciis Patronis, qui ſuum eligendi jus violatum dolent. Etiam de aliis ejusmodi beneficiis ſtatuere vult, eaque ſanctæ Sedis arbitrio reſervare, poſtquam vacaverint. Extorquet a Religioſis penſiones inimias, in obſiſtentes interdicta & anathemata jaciens. Non credimus, eum tuo juſſu ſic agere, & ut remedia prompta adhibeas, ſupplicamus, alioqui tales vexationes diutius ferendo pares non futuri.

p. 665. Lecta hac epiſtola magnum tenebatur ſilentium: & Papa, quantumvis inſtarent Legati Angliæ, nihil repoſuit aliud, quam tanti momenti negotium maturam poſcere deliberationem.

§. XXIX.

Sententia contra Fridericum.

p. 640. Tum Thaddæus Sueſſius, Papam contra Imperatorem ſententiam dictu-

rum

rum videns, surrexit, &, ut pluribus privilegiis authoritas daretur, petiit: declaravit etiam, si Papa contra Cæsarem pronunciet, se ad Papam futurum, & ad generale concilium provocare. Papa reponebat leniter: *Hoc concilium est generale, quia cuncti Principes tam profani quam sacri huc invitati sunt: sed Imperator sibi obnoxios advenire passus non est: tuam proin appellationem non admitto.* Sub hæc verba cœpit exponere, quantopere Fridericum amaverit, priusquam Papa fieret, quantum ei indulserit etiam post convocationem concilii, honorifice semper de illo loquens, ita, ut quidam ægre crederent, judicium contra eundem latum iri. Denique illum exauthoravit viva voce, ac insuper in concilio hanc sententiam legi jussit. Sæcul. XIII. A.C. 1245.

Primum consilia a principio sui Pontificatus inita, ut per Petrum Collimedium, Guilielmum Mutinensem, & Abbatem ad S. Facundi cum Friderico de pace ageret, dein promissa die Cœnæ Domini anno præterito 1244 Cæsaris nomine jurata, sed neutiquam soluta refert. *Ejus iniquam agendi rationem,* inquit, *diutius si ferremus, nos ipsos faceremus reos. Itaque muneris nostri ratio exigit, ut illum puniamus.* Tum Friderici crimina ad quatuor præcipua redigit, quæ omnibus manifesta esse dicit, perjurium, *Ibid. & Ad. Apostol. 2. de sent. &c. in sexto.* p. 641. v. Duchesne to. 5. p. 343. Sup. Lib. LXXIX. §. 55.

Sæcul. XIII. A. C. 1245.

rium, sacrilegium, hæresin, & perfidiam. Demonstrat perjurium per violationes pacis an. 1230 cum Ecclesia, nempe cum Papa Gregorio IX. initæ, ac per plura alia juramenta læsa. Sacrilegium per captivitatem Legatorum cæterorumque Præsulum ad concilium in Genuæ triremibus proficiscentium. Hæresin per contemptum censurarum, quibus affectus divino sacrificio interfuerit; per ejus conjunctionem cum Saracenis, ac fœdus cum Imperatore Vatacio schismatico, cui filiam nuptui dederit, & per alias conjecturas, quæ suspicionem vehementem moveant. Perfidiam per vexationem Regni Siculi ab Ecclesia Romana clientelæ beneficio accepti, per bellum contra Ecclesiam ipsam, & per omissum novem annis tributum.

Conc. p. 644.

p. 645.

Propter omnia hæc delicta, & plura alia, pergit Papa, *post sedulam cum fratribus nostris & cum concilio deliberationem per potestatem ligandi & solvendi a Christo JEsu in S. Petro nobis datam, memoratum Principem omni honore ac dignitate, quibus indignum se per crimina sua reddidit, exutum denunciamus, & per hanc sententiam exuimus: absolvimus etiam pro quovis tempore a juris jurandi religione cunctos, qui ei fidem jurarunt, ac severe interdicimus, nequis deinceps ei ut Imperatori vel tanquam Regi pareat, aut has dignita-*

gnitates adſcribat: volumusque, ut, quisquis cum ob alterutram prærogativam conſilio vel reipſa in poſterum juverit, ipſo facto ab Eccleſiæ communione ſit excluſus. Cæterum Imperatorem libere eligent illi, ad quos id attinet: Siciliæ vero adhibitis in conſilium fratribus noſtris providebimus, prout expedire viſum nobis fuerit. Actum Lugduni decimo ſexto Calendas Auguſti anno Pontificatus noſtri tertio; nimirum 17. Jul. an. 1245. Sæcul.XIII. A. C. 1245.

Hac ſententia lecta Papa ſurgebat,& incepit *Te Deum;* quo cantato concilium ſolutum eſt. Durante lectione Papa & Præſules accenſos tenebant cereos, præſentesque omnes erant attoniti, velut ſi ea ictus fulminis inter fulgura fuiſſet. Legati Cæſarei amare gementes pectora feriebant ſua; Thaddæus illud e ſacris litteris dicebat: *Hic eſt dies iræ, calamitatis, & miſeriæ:* atque pudore affecti diſcedebant. Notandum tamen, Papam in titulo ſententiæ ſolum dicere, ſe illam pronunciare *præſente concilio,* non autem: *cum ejus approbatione,* ſicut in decretis reliquis. Adhæc Papa in Imperium Germanicum a tempore Ottonis primi jus peculiare ſe habere affirmabat, quod Gregorium VII. & ſucceſſores ejus ſibi aſſeruiſſe vidimus. Siciliam conſtat fuiſſe Regnum beneficiarium e Romana Eccleſia pendens. Igitur e Friderico II.

p. 640.

p. 665.

Sophon. I. 15

Sup. Lib. LVI. §. 1.

Sup. Lib. LXIII. §. 11.

Sæcul. XIII. A.C. 1245.

exauthorato capiendum non est exemplum contra reliquos Principes supremos: præterquam quod potestas Ecclesiastica generatim se non extendat ad res profanas, ut alibi demonstravi.

3. *Dis.* §. 11.

§. XXX.

Facta post exauthoratum Fridericum.

Matth. Par. p. 593.

Papa, cum Imperium declarasset viduum, declaravit etiam Germaniæ Principes, quos hæc tunc agnoscebat Electores; nempe laicos, Austriæ, Bavariæ, Saxoniæ, ac Brabantiæ seu Lovanii Duces; Præsules, Archiepiscopos Colonienſem, Moguntinum, & Salisburgenſem. In quandam Rheni insulam conveniendum solis erat, nec permittendus cuiquam alii accessus, donec de futuro Rege consentirent. Papa per litteras eos vehementer oravit, ut Imperatorem alium cooptarent, suum & totius Ecclesiæ subsidium, ac mox quindecim argenti selibrarum millia spondens: At Friderici oppositio hos Principes, præsertim Austriæ Ducem ipsi fœdere junctum per aliquantum tempus cohibuit.

Matth. Par. p. 595.

Imperator comperto, se exauthoratum esse, ira excandescens, ac præsentes obliquis intuens oculis dixit: *Iste Papa in concilio suo de gradibus dignitatum meorum*

rum me dejecit, measque mihi coronas abripuit: unde hæc illi audacia? Apportate mihi ciſtellas meas! Quibus apertis, *Videte*, inquiebat, *an coronas meas amiſerim!* Earum altera capiti ſuo impoſita ſuperbiens ſcintillantibus oculis & terribili voce, *Coronam meam*, ajebat, *nondum perdidi, quam non niſi fuſo ſanguine vel Papa mihi vel concilium adimet. Mediocris ſortis homo Imperatoriam mihi dignitatem abrogare audeat, inter Principes parem non habenti? Conditio tamen mea ſit melior. Obedientiam illi, vel ſaltem venerationem aliquam debebam; nunc nihil debeo.* Ex eo tempore ſtudioſius conatus eſt Papæ in bonis, cognatis & amicis ipſius, quidquid malorum poſſet, afferre. Taurini erat, cum exauthoratum ſe audiit: & quamprimum Cremonam reverſus Imperii res compoſuit: dein propere in Apuliam profectus, filium ſuum Conradum mox in Germaniam miſit.

Sæcul. XIII. A.C. 1245.

Mon. Pad. an. 1245. p. 591.

Principes a Papa ad ſe converſurus, geminas eis epiſtolas ſcripſit. In priore, ut exemplo ipſius ſapiant, exhortans, *Quid a tali Papa*, inquit, *ſingulis veſtrum non timendum eſt, dum me poſt ſolennia Principum ſuffragia tota Eccleſia probante Dei nutu coronatum Imperatorem, tot alia ſane grandia Regna gubernantem movere gradu molitur, cum tamen nullum jus habeat, contra nos, quantum ad profana ſpectat,*

Petr. de Vin. lib. 1 ep. 2. Matth. Par. p. 596.

Sæcul. XIII. A.C. 1245.

ctat, ſeveritatem aliquam adhibendi, etiamſi fingamus, legitimis & manifeſtis illum cauſis eo adductum eſſe? At nec primus ſum, quem Clerus poteſtate abutens ſua ſic invaſit, nec ultimus ero. A vobis hoc malum naſcitur, dum geritis morem his hypocritis, quorum ambitio limites neſcit. Quot crimina, quæ pudor ne recitari quidem patitur, ſi velletis attendere, in Romana curia detegeretis! Magni e regnis multis proventus eos divites ſimul & inſanos reddunt. Quam remunerationem, quod gratarum mentium ſpecimen vobis dant pro decimis ac eleemoſynis, quibus eos ſuſtentatis? Et poſtea: *Ne credite, me ob ſententiam Papæ abjecto eſſe animo! Conſcientiæ meæ puritas, cujus teſtis eſt mihi Deus, mihi affirmat eum eſſe mecum. Semper cogitavi Eccleſiaſticos, præſertim ſummos, in Eccleſiæ primævæ ſtatum redigere vitam ducentis Apoſtolicam, & Dominicam demiſſionem imitantis. Tum Clerus videbat Angelos, ſanabat infirmos, reſuſcitabat mortuos, Reges ac Principes non armis ſed virtute ſua ſibi ſubmittebat. Hodiernus rebus fluxis addictus, ac deliciis ebrius contemnit Deum, & opes ninia omnem in eo Religionem ſuffocant. Itaque charitatis opus eſt, pernicioſas ei divitias, quas illum opprimunt, adimere: atque hoc eſt, quod omnes mecum agere debetis.*

§. XXXI.

Sæcul.XIII.
A. C. 1245.

§. XXXI.

Friderici ad S. Ludovicum litteræ.

Alteram epistolam Imperator Fridericus ad sanctum Regem Ludovicum dedit, in qua præcipue conatur sententiam Papæ nullam demonstrare diversis exrationibus. Prima est jurisdictionis penuria. *Nam*, inquit, *quamvis secundum catholicam fidem agnoscamus, Deum Papæ plenam potestatem in res spirituales dedisse: nusquam tamen legimus divinam vel humanam legem aliquam, ex qua possit pro arbitrio suo imperium transferre, Reges ac Principes in rebus profanis judicare, ac terris privando punire. Per jus & consuetudinem ad eum pertinet nos inaugurare: sed nos movere gradu non ideo magis potest, quam alii cæterorum Regnorum Præsules, qui Reges inungunt suos.* *P. Vin. 1. ep. 3. Matth. Par. p. 614. v. Rayn. 1246. n. 21. &c.*

Deinde ad vitia judicii venit. *Non id accusatio*, ait, *non denunciatio, non inquisitio præcessit, sed prætensa notitia publica, quam nos negamus; & quam quilibet Judex obtendere posset ad condemnandum, quemcunque vellet, absque ordine judiciario. Ut ajunt, adversum nos in concilio consurgebant testes quidam pauculi, quorum unus, scilicet Episcopus Calvensis nos oderat, quippe cujus frater ex justa sententia nostra*

Sæcul. XIII. A. C. 1245.

stra e patibulo suspensus, nepos proditionis convictus erat: alii, ut Archiepiscopi Tarraconensis & Compostellanus ab extrema advecti Hispania, & rerum Italiæ prorsus inscii facile subornari potuerant. Sed si adfuissent cum actore testes, accusatum quoque comparere, aut contumaciæ juridico ritu damnari oportuisset. Non legitime acciti miseramus oratores, qui absentiæ nostræ causas exponerent: non auditi sunt. Constat vero, actionem contra nos civilem, non capitalem fuisse; quia, cum vocaremur, nobis libertas relicta est per nos aut per Oratorem comparendi. Ipsa contumacia, si ponamus aliquam, non punienda est per judicium decretorium sine cognitione causæ condemnans. Etiam forma pronunciationis sententiam fuisse nullam ostendit, quia non Orator noster præsens, sed nos absentes damnabamur.

Sententiæ iniquitatem plane exhibemus per monumenta publica, uti præsentium lator sigillatim proponet. Papæ præmatura festinatio ad ferendum judicium patet ex eo, quod ne triduo quidem expectaverit Episcopum Frisingensem, Magistrum Ordinis Teutonici, ac Petrum de Vineis, quos postremo ad concilium conficiendæ pacis gratia miseramus. Demum pœnæ qualitas malevolentiam & vanitatem Judicis declarat. Crimine læsæ Majestatis condemnans Imperatorem Romanum, legi subjicit illum,

quæ

qui per dignitatem ſuam legibus ſolutus, pœnis profanis a Deo ſolo puniri poteſt nullum ſupra ſe hominem habens. Spirituales, nempe peccatorum noſtrorum pœnas cum demiſſione accipimus, & fideliter perſolvimus non tantum a Papa, quem ſpiritualem patrem ac Dominum noſtrum agnoſcimus, verum etiam a quolibet Sacerdote nobis impoſitas. Quæ res manifeſtum facit, quo jure ſuſpecti de Religione reddamur, cui firmiter adhæremus, & quam ſimpliciter profitemur (teſtamur Deum) ſecundum approbationem Catholicæ ac Romanæ Eccleſiæ. Sæcul. XIII. A.C. 1245.

Conſidera proin, an obedire debeamus huic ſententiæ non ſolum nobis, ſed cunctis Regibus, Principibus, ac Proceribus profanis, tam noxiæ ac pronunciatæ non conſulto quoquam Principum Germaniæ, a quibus noſtri electio ac deſtitutio pendet. Conſidera effectus hujus moliminis! A nobis initium Papa ducit; in te finem faciet, & gloriatur palam, poſt ſubrutam potentiam noſtram nullius renixum eſſe metuendum. Jus igitur tuum una cum noſtro tuere, atque jam nunc provide tuorum ſucceſſorum commodis! Abſit, ut adverſario noſtro, vel Legatis aut Nunciis ejus publice aut ſecreto faveas! Reſiſte illi fortiter pro viribus tuis, nec in terras tuas recipe ex emiſſariis ejus quenquam, qui tibi ſubditos concitare in nos velit. Nec dubita,

Sæcul. XIII. A. C. 1245.

quin juvante Regum Rege, qui aquam semper causam protegit, his initiis ita nos opposituri simus, ut effectus rei tibi minime sint timendi. Rationem hujus perturbationis, quæ totum orbem Christianum in discrimen conjicit, Deus ab eo exiget, qui materiam illius præbet. Dabat Taurini ultimo die Julii 1245. Misit etiam Anglorum Regi, & probabiliter aliis Principibus.

Matth. Par. p. 596.

Prior epistola Fridericum reddiderat odiosum, ut qui minuere vellet Ecclesiæ libertatem ac excellentiam, ab opibus & splendore profano separari non posse tunc visam; & hæresis suspicionem de illo conceptam firmaverat. Sed altera contrarium habuit effectum, & a Papa multorum Principum animos avertit, si Fridericus succumberet, Aulæ Romanæ dominationem timentium.

Id. p. 516.

§. XXXII.

Papa sententiam tuetur suam.

Generalia Cistercienſium comitia festo Exaltatæ sanctæ Crucis die 14 Septembris ex more cum agerentur, ad illos Papa epistolam dedit, in qua dicebat: *Ecclesia in horribile venit periculum, quod precum duplicationem postulat. Non amplius soliciti erimus, ut contra Fridericum,*

cum, antea Imperatorem, materialem adhibeamus gladium, ſed ſpirituali ſolum utemur. Non vos tangant ſermones ob ignorantiam veritatis perhibentium, nos contra hunc Eccleſiæ inimicum ex præmatura feſtinatione tuliſſe ſententiam. Nec enim meminimus, ullam aliquando cauſam tam ſedulo examinatam, & a viris tam doctis probisque expenſam eſſe, usque adeo, ut ſecretis in conſultationibus aliquot Cardinales perſonam advocati, quidam pro eo, alii contra illum gererent, quo penitius veritas ſicut in diſputationibus ſcholaſticis indagaretur: & nos nullum invenimus medium ſine offenſa Dei, damno Eccleſiæ, ac conſcientiæ læſione agendi aliter, quam fecimus cum dolore ac commiſeratione Principis. Hoc proin judicium inſuperabili conſtantia tuebimur, atque ſi nobis & fratribus noſtris id opus erit, vitam dabimus pro cauſa Dei ac Eccleſiæ. Monachi Ciſtercienſes acceptis his litteris deteſtabantur Friderici partes, ac Summo Pontifici ſe arcte conjungebant, orantes Deum, ut ſuam conſervaret Eccleſiam. Eorum vero authoritas adhuc magna in orbe erat.

Sæcul. XIII. A.C. 1245.

§. XXXIII.

Sacri milites in Francia.

Menſe Auguſto 1245. Papa ob preces S. Ludovici Pariſios ut Legatum miſe-

Duchesne to. 5. p. 344. Matth. Par. p. 600.

Sæcul. XIII. A.C. 1245.

miserat Odonem Castro-Radulphianum Cardinalem Episcopum Tusculanum, & Jacobi Vitriacensis successorem. Odo Castri Radulphii in Gallica Biturigum provincia natus, Ecclesiæ Parisiensis Canonicus fuerat & Cancellarius. Causa legationis erat Gallorum Nobilium exhortatio ad sacram militiam, ut Hierosolyma Coresmianis eriperetur. Postquam advenerat, Rex octavo a festo S. Dionysii die scilicet sub medium Octobrem Parisiis magnum habuit Senatum, in quo plurimi Præsules Proceresque Franciæ comparebant. Ibi Legato ac Rege authoribus tesserariam crucem induerunt Juhel Archiepiscopus Turonensis, Philippus Archiepiscopus Bituricensis, Robertus Episcopus Bellovacensis, Garnerius Laudunensis, Guilielmus Aurelianensis, Robertus Artesiæ Comes, Regis frater, Hugo Castellionius Poliacensis ac Blesensis Comes, Gaucherius ejus nepos, Joannes Comes Barensis, Petrus Britanniæ Comes, Joannes ejus filius, Hugo Marchiæ Comes, Joannes Montefortius, Radulphus Coccius, ac permulti alii tam Clerici quam laici, qui diversis diebus symbolicæ crucis militiam iniere.

§. XXXIV.

Sæcul.XIII.
A.C.1245.

§. XXXIV.

Legatio Friderici ad S. Ludovicum.

Imperator Fridericus interim Petrum de Vineis, & Clericum quendam Gualterium Docrium nomine in Galliam cum epistola misit, in qua dicebat: *Papa & aliqui antecessores ejus, nobis, multisque aliis Principibus justas conquerendi causas dederunt, attribuendo sibi potestatem instituendi, ac exauthorandi Imperatores, Reges, ac quosvis Dominos profanos, & absolvendi clientes beneficiarios a juramento fidelitatis, dummodo sententia anathematis contra Dominos pronunciata fuerit. Præterea, quando inter Dominos & clientes beneficiarios, vel inter duos Dominos vicinos controversia oritur, Papa orante parte una conciliatorem agens, alteram invitam ad compromissum suas inter manus faciendum adstringere vult; aut causam unius partis suscipit, ut alteram ad ineundam pacem compellat: Denique hominum privatorum gratia causas temporales & fiduciarias non sine damno jurisdictionis profanæ supprimit, vel ad tribunal Ecclesiasticum devolvit.* *Du Cang. sur Joinv. p. 56.*

Ut his molitionibus evidentia accedat, & remedia afferantur, Petrum de Vineis, & Gualterium Docrium ad Regem Galliæ charissimum amicum nostrum mittimus, vehementer

Sæcul. XIII. A.C. 1245.

menter orantes, ut Pares Franciæ laicos caterosque Regni ſui Nobiles convocet, noſtra hujus rei argumenta ſe præſente auditurus. Si ſubterfugiat id negotii, nobis conficiendum relinquens, non opponat ſe nobis, vel ſubditorum quenquam obſiſtere patiatur, nec ſubſidium Papæ aliquod durante hac controverſia ferat, precamur. Si vero ſuam interponendo operam Papam ad compenſandas has injurias ac præcipue ad retexendam ſententiam contra nos in concilio Lugdunenſi latam adducere opportunum ſuaque perſona dignum, ut eſt, exiſtimet, pro honore Dei ac ſingulari noſtra erga Regem Franciæ affectione noſtram cum Papa controverſiam inter illius manus deponimus, parati ad præſtandam Eccleſiæ talem ſatisfactionem, qualem ex conſilio ſuorum Procerum convenire cenſuerit. Ad finem epiſtolæ Imperator Regi ſuas offert ſuppetias ad exequendam ſacram expeditionem, etiamſi ſua cum Papa reconciliatio non eveniret. Inſcriptam omnibus Gallis dabat Cremonæ 22. Septembris 1245. quarta indictione inchoata.

§. XXXV.

Papæ ac Regis colloquium Cluniacenſe.

Chr. Senon. c. 9. to. 3.

Sanctus Ludovicus, cui non placebat Fridericum exauthoratum eſſe, eum cum

cum Papa in gratiam reducendi consilium cepit: & hæc præcipua congressus eorum causa esse credebatur. Nam Rex Papam, ut Cluniacum iret, oravit, eumque interiora Franciæ intrare noluit. Papa medio Novembri, sub hujus finem Rex illuc se conferebat. Die Festo S. Andreæ Papa divinum sacrificium peregit ad aram principem majoris Ecclesiæ Cluniacensis præsentibus duodecim Cardinalibus, duobus Patriarchis Latinis Antiocheno & Constantinopolitano, tribus Archiepiscopis, Remensi, Lugdunensi ac Vesuntino, quindecim Episcopis, & multis Abbatibus tam nigris, quam candidis. S. Ludovicum comitabantur Regina Blanca mater cum Isabella sorore, ac tres fratres sui Robertus Artesiæ, Alphonsus Pictonum, & Carolus Andegaviæ Comites. Aderant quoque Balduinus Imperator Constantinopolitanus, Regii Principes Arragoniæ & Castellæ, Dux Burgundiæ, Comes Pontinensis, multique alii Proceres. Plerique intra cœnobii ambitum habitabant nullo monachorum incommodo: tot ædificia continebat.

Sæcul. XIII. A. C. 1245.

Spicil. p. 367 Matth. Par. p. 598. Bibl. Clun. p. 1666.

Colloquia Papæ ac Regis secretissima erant sola Regina Blanca conscia: sed nemo dubitabat, quin de pace inter Papam & Imperatorem consultarent. Nam Rex in expeditionem sacram educere copias

Matth. Par.

Sæcul. XIII. A.C. 1245.

pias ſtatuerat, quæ hac ſine pace nec mari nec per terras Imperatoris iter facere tuto poterant; & tranſitus liber ſi foret, non decebat ethnicos in terra ſancta bello aggredi, atque inter Chriſtianos diſcordiam tam periculoſam relinquere. Credebantur etiam egiſſe de pace inter Gallos & Anglos, vel ſaltem de prorogandis induciis, ut Regi ſuum iter ſecurius fieret, qui cum Papa quintum decimum a Paſchate die novo congreſſui deſtinavit, cui Fridericum affore ſperabant.

Id. p. 600. Antequam Papa Lugdunum repeteret, Abbas Cluniacenſis ab eo facultatem obtinuit unius anni proventuum decimas toto ex Ordine colligendi, ut ſeindemnem præſtaret tam ab amplis muneribus Papæ Lugdunum advenienti datis, quam ab hoſpitalitate per menſem fere integrum exhibita, ipſum & comitatum *p. 604.* ejus omnem magnifice habendo. Sed de his decimis ter mille argenti ſelibræ Papæ tradi debebant.

Sanctus Rex Ludovicus Pariſios ſub Chriſti Natalem rediit. Ferebat autem mos Principum ad ſolenniores ferias adminiſtris ſuis veſtes donare, quæ togæ novæ vocabantur. Rex trabeas (erant pallia illius temporis) majore quam alias numero ex optimo panno confici, & murium Ponticorum pellibus inſtrui, ſed no-

ctu

ctu supra humeros crucibus ex auro & ferico arte Phrygia eleganter pictis signari, illosque Nobiles his trabeis indutos divinum ad sacrificium ante lucem secum venire jussit. Aperiente se die cum in vicini humero, deinde in suo quisque crucem cernerent, jucunda novitate capti, non deprecandam sibi ducebant sacram militiam, ad quam a Rege hoc innocente artificio inducti essent. Sæcul. XIII. A. C. 1246.

§. XXXVI.

Henricus Comes Provincialis in Regem Romanorum electus.

Interim Papa Imperium reputans viduum, Germaniæ Principes, ut Romanorum Regem cooptarent, urgebat, Henricum Provincialem Thuringiæ Comitem, Ludovici an. 1227 extincti fratrem singulariter commendans. An. 1246. *p.* 602.

Et vero Electores aliqui consentiebant, præcipue Conradus Archiepiscopus Colonienſis. *Mon. Pad. p.* 602.

At Comes id ægre in animum induxit, cupiens in parva provincia sua pace frui potius, quam exponere se periculis belli præsertim contra Fridericum virum callidum, & in gerendo militari imperio exercitatum. *Sup. Lib. LXXIX.* §. 36.

Papa per litteras 21 Aprilis 1246 datas Electores ad præferendum reliquis Henricum animavit, spondens, se, si monenti pareant, assidue conaturum facere, ut *Lib.* 3. *ep.* 4. *ap. Rayn.* 1246. *n.* 2. 3.

Sæcul. XIII. A.C. 1246.

ut ipsorum res prospere succedant. Scripsit simul Bohemiæ Regi Wenceslao quarto, & Bavariæ, Brabantiæ, Brunsvigæ, ac Saxoniæ Ducibus, electionem recusantibus, asseverans, hanc esse medium Ecclesiæ ac Imperio pacem restituendi.

Rayn. n. 6. 7.

Legatum in Germaniam misit Philippum Fontium electum Episcopum Ferrariensem, virum rebus gerendis idoneum & animosum, cui magnam dedit potestatem, etiam per pœnas profanas Dominos laicos, qui electi Regis jussa abnuerent, ad officium adigendi. Fratribus Prædicatoribus quoque ac Minoribus, qui in magna existimatione & authoritate apud populum erant, 22 Aprilis scripsit, ut a novo Rege starent, & cum primum electus esset, exhortationibus publicis ac privatis, & pœnarum condonationem promittendo Germanos illi submitterent.

Alb. Stad. an. 1246. Siffrid. eod. Matth. Par. p. 616.

Tandem Archiepiscopi Moguntinus & Colonienſis ac quidam viri Principes laici prope Würzeburgum die festo Ascensionis Domini 17 Maji 1246 Henricum Provincialem Thuringiæ Comitem in Romanorum Regem elegerunt. Moguntino mox contra omnes heterodoxos, quibus Fridericus annumerabatur, bellicum solenniter canente, hujus conventus Principes Nobilesque cuncti tessellariam induere crucem. Ab eodem Præsule de electio-

electione per litteras edoctus Papa, dum 9 Junii respondebat, illi suum hac de re gaudium significabat, ut novum Regem ad susceptum consilium fortiter exequendum, ac Germaniæ Principes ad ejus defensionem animaret, suadens, spondensque, se omne auxilii genus laturum. Et vero magnas pecuniæ summas Henrico misit: quo comperto Fridericus occupandas curabat vias, hoc subsidium in rem suam versurus. Qui ejus partes sequebantur, Henricum Regem Sacerdotum vocabant. Papa etiam anathema contra Fridericum denuo promulgari, eique parentium terras interdicto affici jussit. Sæcul. XIII. A.C. 1246. *Rayn.* 1246. *n.* 5. 6.

§. XXXVII.

Conspiratio contra Fridericum.

Papa non segnius in Sicilia ante Regis Henrici electionem rem gerebat. Duos illuc Cardinales ut Legatos misit nempe Stephanum Presbyterum tit. S. Mariæ trans Tiberim, & Rainerium Diaconum tit. S. Mariæ in Cosmedin: & ad omnes Præsules, Nobiles, populumque hujus Regni epistolam misit, in qua eos prorsus liberos declarat a servitute Friderici, quem novum Neronem vocat, & *approbante concilio* exauthoratum dicit, quamvis sententia sonet: *concilio præsente:* ut jam notavimus. Hortatur, & *III. ep. 8. ap. Rayn. n.* 11.

Sæcul. XIII. A.C. 1246.

ad impetrandam noxarum veniam præcipit, ut hujus hominis condemnati jugum excutiant, & sub ditionem Ecclesiæ Romanæ, cujus filii peculiari quadam ratione sint, sincere redeant, libertate integra, & fausta tranquillitate fruituri. Dabat 26 Apr. 1246.

Petr. Vin. II. ep. 10. Matth. Par. p. 622. Rayn. n. 14.

Sed jam antea hoc in Regno quædam contra Fridericum conspiratio facta erat, ut cernitur in epistola, quam ad Reges ac Principes ita scripsit: *Quidam e nostris servis in necem nostram conjuraverant, scilicet Theobaldus, Franciscus, & Jacobus de Morra, Pandolfus Fasanellius, Guilielmus a S. Severino, & alii. Sed aliqui complices conspirationem nobis detexerunt: & dum veritatem rei indagabamus, Pandolfus & Jacobus, qui nobiscum versabantur, se subducebant: Theobaldus & Guilielmus, cum essent in Regno, & nostræ mortis nuncium expectarent, duas ex arcibus nostris, Caput Aqueum & Scalin ex insidiis occupavere.* Addit deinde, Scalin esse receptam, atque conjuratos e suis manibus elabi non posse. Indicat mandata pro securitate Italiæ a se edita. Tum ait: *Celaremus libenter conjurationis authorem, si publica vox, & factorum evidentia illum non proderet. Nam fontes fugerunt, obsidentur, comites habent Fratres Minores, a quibus tesseraria cruce induti sunt, & monstrantes Papæ epistolas libere dicunt, se Eccle-*

Ecclesiæ Romanæ rationibus consulere. Qui Scali comprehensi fuerant, idem locuti sunt in confessione voluntaria, quam publice fecerunt ad moriendum parati. Episcopus Bambergensis Roma post venalem sui consecrationem rediens, antequam a servis nostris in Germania caperetur, etiam palam dixit, nos certo certius a domesticis nostris brevi de medio sublatum iri. Episcopos tam atrox consilium posse capere nunquam putassemus. Nam hactenus (Deus scit) etiam post Lugdunense concilium nunquam consensimus in necem Papæ vel Cardinalium cuiquam afferendam, quamvis e servis nostris aliqui pro suo salutis nostræ studio id sæpe a nobis flagitaverint. Tueri nos sine vindicta contenti sumus. Dabat Salerni 25 Aprilis.

Sæcul. XIII. A.C. 1246.

§. XXXVIII.

Sultani Ægyptii ad Papam epistola.

Papa Innocentius scripsit etiam Sultano Ægyptio Melic-Saleh, ut Friderico fœdus renunciaret, persuasurus. Respondit ille hunc in modum: *Accepimus vestram epistolam, & Legatum vestrum audivimus. Locutus est nobis de JEsu Christo quem præ vobis & cognoscimus, & honoramus. Pacem, quam omnes inter populos conciliare cupitis, nos pariter optamus.*

ap. Rayn. n. 52. Matth. Par. p. 621. Alb. Stad. fol. 618.

Sæcul. XIII. A.C. 1246.

mus. Sed noſtis fœdus mutuamque amicitiam jam tempore Sultani patris noſtri, quem Deus in gloria ſua collocet, nos inter & Imperatorem junctam. Quamobrem nobis pactionem cum Chriſtianis aliquam ſine Principis hujus conſenſu facere non licet: ac Legato, quem in ejus aula habemus, ea, quæ veſter nobis expoſuit, ſcripſimus. Viva vobiscum voce conſultabit: & ad ejus reſponſum nos ita conformabimus, ut non deflectamus ab utilitate publica, & a Deo gratiam ineamus. Dabat die ſeptimo Arabici menſis Moharram, qui hoc anno 1246 menſis Auguſtus erat.

§. XXXIX.

Fridericus de hæreſi purgare ſe vult.

ap. Rayn. n. 18.

Interim Fridericus ſe purgare voluit de ſuſpicione hæreſis, cauſa, cur condemnatus ſit, odioſiſſima. Hunc in finem examen ſubiit Archiepiſcopi Panormitani, Ticinenſis Epiſcopi, Caſſinenſis, Cavenſis, & Caſa Novæ Abbatum, & duorum Fratrum Prædicatorum Rolandi ac Nicolai, qui eum de articulis Symboli Apoſtolici, atque de reliquis fidei catholicæ punctis interrogarunt. Juravit, ea ſe firmiter credere, & viros illos conſtituit procuratores ſuos, ut ipſius nomine idem jurarent, ac præſenti Papæ faciendam

dam in loco idoneo purgationem de hæ- Sæcul.XIII.
resis suspicione offerrent. Hac de re A.C.1246.
Præfectus tabularii Lucanæ Diœceseos tabulas confecit publicas, quas Fridericus una cum suis litteris auro obsignatis illis septem viris tradidit, atque ita munitos Lugdunum misit. Sed Papa primum eos audire renuit, in anathema incurrisse censendos dicens, tanquam Friderici fautores, eo quod ab eo missi litteras attulissent, in quibus se Regem ac Imperatorem falso diceret. Cum vero se Friderici non ut Imperatoris vel Regis, sed solum ut hominis Christiani nuncios assererent, Papa tres Cardinales, qui eos auscultarent, selegit, Episcopos Portuensem & Albanensem, atque Hugonem a S. Charo Tit. S. Sabinæ Presbyterum.

Nuncii, postquam tabulas eis litterasque monstraverant, ad jusjurandum Friderici nomine dicendum, ut purgaretur, sese offerebant. Sed Papa per Cardinales id edoctus dixit, examen fuisse temerarium utpote sine potestate factum; & tabulas non mereri fidem, eo quod illarum scriptor in anathema incurrerit Fridericum agnoscendo Regem ac Imperatorem. Negabat igitur, se velle vim sententiæ contra Fridericum latæ infringere: & accersitis septem viris dicebat, eos nec procuratores, nec nuncios esse ha-

Sæcul. XIII. A. C. 1246.

bendos, sed ob audacem alieni juris læsionem castigandos. Tum eis in præsentia Cardinalium pluriumque aliorum Præsulum affirmabat, se illorum examen ac Friderici purgationem reputare frivolam & nugatoriam, quippe nec in loco, nec de materia, nec coram viris idoneis factam, eo quod una cum propinquis suis sub tyrannide ac de curia ejus essent. Quare hanc agendi rationem purgationemque irritam declarabat. Addebat: *Quantum ad illud attinet, quod sui purgationem coram nobis faciendam offerat, quamvis ob dictas rationes audiendus non sit, non renuimus tamen eum recipere, si de jure possumus, dummodo legitimo tempore ipse sine armis & cum modico comitatu veniat; & cavebimus, ne vel in se, vel in suis lædatur.* Hæc sunt, quæ continent ejus litteræ ad omnes Christianos Lugduni 23 Maji datæ.

§. XL.

Alterum Papæ cum Rege colloquium.

Interim sanctus Rex Ludovicus Cluniacum rediit, ut cum Papa decimo quinto a Paschate die, scilicet exeunte Aprili, sicut inter ipsos convenerat, loqueretur. Fridericus per conjurationes in Germania & Italia contra se factas demissior

Matth. Par. p. 610.

missior redditus, sancto Regi tanquam conciliatori potestatem dedit pacem cum Papa conficiendi his conditionibus. Dicebat, se velle Terram sanctam petere, ibi reliquam vitam agere, Regnoque Hierosolymitano integre recipiendo vires omnes impendere, si a Papa ipse quidem plenam absolutionem acciperet, filius autem Imperator coronaretur. Papa reposuit: *Quoties promissa fecit æque aut magis salubria, etiam jurejurando firmata! sed tantum aberat, ut fidem præstaret suam, ut postea pejus, quam antea ageret.* Deinde Sanctum humiliter intuens addebat: *Rex! non hic agitur mea tantum, sed totius Christiani orbis utilitas. Considera, quam sæpe Fridericum reconciliandum acciverimus, toto concilio expectare jusso! venire tamen non magis voluit, quam promissa & juramenta servare sua. Omnem sibi fidem ademit.* Sæcul.XIII. A.C.1246.

Ad ea Rex: *Domine! nonne secundum doctrinam Evangelicam misericordiam flagitanti semper brachia tendere oportet? Expende difficilem rerum statum! Terra sancta in periculo est; nec eam liberandi spes restat, nisi saventem nobis reddamus hunc Principem, portuum, insularum, & tot maritimarum regionum Dominum, omnia, quæ nostrum promovere iter possunt, cognoscentem. Grandia facit promissa: oro & suadeo, ut accipias, tam mea causa, quam*

Sæcul. XIII. A. C. 1246.

in gratiam tot millium ſacræ peregrinationis ergo tranſitum maris facilem opperientium, aut potius ob emolumentum totius Eccleſiæ. Recipe Principem, qui ſe demittit, & imitare clementiam illius, cujus vicarius in terra es! Papa ſe erigens in repulſa perſtitit: & Rex ejus duritiam indignatus abiit. Hic tamen probabiliter congreſſus erat, in quo Rex a Papa omnium Regni ſui proventuum Eccleſiaſticorum partem decimam ad ſuſtinendos transmarini itineris ſui ſumptus obtinuit; ſed & plures ejusmodi decimas intra regiminis ſui ſpatium impetravit.

Matth. Par. p. 620.

§. XLI.

Concilium Biterrenſe. Inquiſitio.

to. XI. Conc. p. 676. 688.

Guilielmus Delabrovius Archiepiſcopus Narbonenſis, qui anno priore Petro Amelino ſucceſſerat, hoc anno 1246. die Jovis poſt octavam Paſchatis 19 Aprilis concilium Biterris habuit, cui intererant octo ejus Suffraganei, Raymundus Toloſanus, Clarus Carcaſſonenſis, Berengarius Helenenſis, Guilielmus Lutevanus, Petrus Agathenſis, Raymundus Biterrenſis, Raymundus Nemauſenſis, ac Pontius Uzerienſis, & Abbates, cæterique provinciæ Præſules. Hoc in concilio editæ ſunt ſex & quadraginta ſanctiones, quarum quindecim priores ad hære-

hæreticos ſpectant, & maximam partem e prioribus conciliis repetuntur: multæ ad executionem concilii Lateranenſis ſub Innocentio tertio celebrati, multæ ad conſervanda Eccleſiæ jura pertinent. Sæcul. XIII. A.C. 1246.

Fratres Prædicatores, in provinciis Arelatenſi, Aquenſi, Embrodunenſi, ac Viennenſi conſtituti a Papa Inquiſitores, hujus concilii Præſules conſulebant, qua ratione munus ſibi ſuum exercendum eſſet. Concilium juſſu Papæ longum eis præſcriptum dedit triginta ſeptem puncta continens ac ſimile illi, quod undecim abhinc annis, ſcilicet anno 1235 concilium Narbonenſe in pari caſu confecerat. Et hæc ſunt fundamenta rationis agendi, quæ in tribunalibus inquiſitionis ex eo tempore obſervata fuit. Vide ſummam præſcriptionis a concilio Biterrenſi conditæ! In territorio veſtræ inquiſitionis eligetis locum, in quem Clericos & populum congregetis: & habebitis ſermonem, in quo veſtrum officium explicabitis, ac hujus litteras legetis: tum omnes, qui ſe de hæreſi reos ſentiunt, vel alios hac in re fontes cognoſcunt, intra certum ſpatium, quod tempus gratiæ dicetis, ad declarandam veritatem coram vobis comparere jubebitis. Qui huic mandato paruerint, effugient pœnam mortis, perpetui carceris, exilii, & publicationis bonorum. Curabitis, ut

p. 688.

Sup. Lib. LXXX. §. 51.

v. Direct. Inquis. par. 3. p. 407.

c. 1. 2.

c. 4.

c. 5.

Sæcul. XIII. A.C. 1246.

jusjurandum interponant; ut eorum confessiones ac testimonia vir publico fungens munere litteris consignet, ut illi, qui se velle reverti ad Ecclesiam dixerint, falsas opiniones suas ejurent, faciantque promissum vobis jubentibus detegendi hæreticos ac infectandi. Nominatim accersetis eos, qui se vobis intra tempus gratiæ non stiterint: ac errata doctis sua defendendi se libertatem, ac legitimas dilationes permittetis. Nisi recte se defenderint, & sint fassi errores suos, sine misericordia, etiamsi Ecclesiæ arbitrio se submitterent, condemnabitis.

c. 6. 7. 8. 9.

c. 14. Tum, quid contumaciter absentibus fieri debeat, statuitur. Deinde additur: Hæreticos Declaratos seu Vestitos coram viris Catholicis & prudentibus secreto examinabitis, & ad Religionem sanam per lenitatem adducere pro viribus conabimini: nam istius modi homines multum lucis ad hoc negotium attulere. Si obstinati permaneant, eos errata sua fateri publice ad horum detestationem cogetis: postea reos damnabitis in præsentia civilium Magistratuum, eorumque ministris relinquetis. Ad perpetuos carceres condemnabitis hæreticos post sui damnationem relapsos, fugitivos, qui redire voluerint, & illos, qui non nisi post tempus gratiæ comparuerint, aut suppresserint veritatem. Nihilominus

minus post aliquod captivitatis tempus pœnam commutare poteritis de consilio Episcoporum, quibus obnoxii sunt, postquam vobis de complenda pœnitentia sua satisdederint. Hi captivi parvis incubiculis separatis erunt ita, ut nec alios inclusos, nec extraneos depravare possint. Sæcul. XIII. A.C. 1246. c. 23.

Illis, qui non includi debebunt, in pœnam injungetis, ut per certum tempus seu per se, seu per alios, cis vel trans mare, contra Saracenos aut hæreticos, cæterosve Ecclesiæ hostes fidem defendant; ut in veste superiore geminas cruces flavas, alteram anterius, a tergo alteram portent; ut Dominicis ac festis diebus sacro, vesperis, & concioni adsint, atque inter Epistolam & Evangelium Sacerdoti cum virgis in manu se sistant; Sacerdos autem, postquam eos castigaverit, exponet populo, ob qualem hæresin hanc pœnam subeant. Et postea: Curabitis, ut bona hæreticorum, qui vel condemnati, vel carceri inclusi fuerint, publicentur; ut illis, qui eos comprehenderint, merces solvatur; ut observentur omnia, quæ ad extirpandam hæresim, & ad propagandam fidem pertinent; inter alia, ut libros Theologicos laici ne latino quidem in sermone, ipsique Clerici vernacula in lingua non habeant. c. 26. c. 35. c. 36.

§. XLII.

Sæcul. XIII. A. C. 1246.

§. XLII.

Concilia in Catalonia.

EOdem anno 1246 Petrus Albalatus Archiepiſcopus Tarraconenſis duo celebravit concilia. Illi, quod primo Maji habebat, intererant ſex Epiſcopi, Pontius Dertoſanus, R. Ilerdenſis, Petrus Barcinonenſis, Arnoldus Valentinus, Rodericus Cæſarauguſtanus, & Berengarius Gerundenſis. Iteratum ibi eſt anathema in illos, qui bona vel homines Eccleſiaſticos per vim caperent; ſtatutumque, ut Saraceni captivi, qui baptiſmum peterent, apud Rectorem Eccleſiæ, ad quam veniſſent, aliquot dies agerent, ut ſpecimen caperetur, utrum voluntas eorum ſincera eſſet ac ſeria, vel an ſolum e ſervitute eximi cuperent. Aliquot dies ad hoc experimentum oppido pauci erant.

Marca Hiſp. p. 532.

Alterum concilium Ilerdam convocatum eſt ad reconciliandum Jacobum Arragoniæ Regem anathemate percuſſum hanc ob cauſam. In juventute ſua commercium cum illuſtri fœmina (Thereſia Vidaura vocabatur) habuerat; quæ dein cum Regina Violanta ſeu Yolanda conjunctum videns, in Romana curia accuſavit tanquam nuptias ſecum faciendas pollicitum. Sed quia clam ſpoponderat,

Mariana lib. 13. c. 6. Gomes lib. 14. p. 511.

rat, Thereſia id probando impar, repulſam tulit. Igitur ad Berengarium Epiſcopum Gerundenſem, quem rei veritatem edoctum ſciebat, confugiens, impetravit; ut hac de materia ad Papam Innocentium quartum ſecreto ſcriberet. Tum cœpit ſpargi rumor, Thereſiæ conjugium denuo examinari. Quo comperto Rex Papam non potuiſſe rem cognoſcere niſi ex Berengario cenſuit, cui eam ſacro in tribunali confeſſus eſſet. Ira proinde percitus, Epiſcopo accerſito & in conclave ſuum introducto linguam reſecari juſſit, atque Gerundam eum remiſit. Sæcul.XIII. A. C. 1246.

Verum a Papa ſe proſcriptum, Regnumque ſuum interdicto affectum audiens, agnoſcere ſuum peccatum cœpit; minuere tamen cogitans, Papæ ſcripſit: *Epiſcopus, poſtquam apud me gratia permultum valuerat, contra me machinam commolitus, etiam confeſſionem meam prodidit. Peto itaque abſolutionem a cenſuris, & ut Epiſcopus e Regno meo exeat.* Papa reſpoſuit: *Non debebas leviter credere crimen tam difficile probatu, quale eſt ſacræ confeſſionis arcanum detegere: atque ſi Episcopus te offendiſſet etiam, neutiquam tibi licebat vindictam ab eo ſumere: ſed oportebat juſtitiam poſcere ab illo, qui ejus Dominus eſt ac Judex. Necdum ergo pœnitentiæ ſpiritum in te videntes, abſolutionem, quam poſtulas, impertiri nondum poſſumus:* III.ep. cur. ap. Rayn. n. 44.

ſed

Sæcul. XIII. A. C. 1246.

ſed mittimus ad te Fratrem Deſiderium, qui nobis a confeſſionibus eſt, ut tui ſceleris atrocitatem tibi ob oculos ponat, & ſalutare conſilium ſuggerat. Dabat 26 Junii.

Cum Rex Andream Albalatum Episcopum Valentinum cum litteris plenam ſubmiſſionem declarantibus Lugdunum miſiſſet, Papa ad eum legavit Epiſcopum Camerinenſem, qui una cum Fratre Deſiderio negotium conficeret. Hunc in finem Ilerdæ concilium habebatur, cui aderant Archiepiſcopus Tarraconenſis, ac Epiſcopi Cæſarauguſtanus, Orgienſis, Oſcenſis, ac Helenenſis cum quibusdam Abbatibus ac Proceribus. Ibi Rex in magna populi frequentia confeſſus crimen ſuum, ſinceram ejus pœnitentiam ſecundum formulam a Legatis præſcriptam ſignificavit, aſſeruitque, ſe Numinis placandi cauſa velle cœnobium Boniſacianum in Dertoſano monte a ſe conſtrui cœptum perficere, ac monachis Ciſtercienſibus cum ducentarum argenti ſelibrarum proventibus annuis tribuere; etiam hoſpitalem domum, quam prope Valentiam erigere cœpiſſet, abſolvere, ſexcentarumque ſelibrarum reditibus inſtruere; demum in Gerundenſi Eccleſia Cathedrali ſacellum condere, atque fructibus annuis donare. His conditionibus Papa per litteras 22 Septembris ſcriptas Regem abſolvendi copiam Legatis fecit;

fecit; quod Ilerdæ 19 Octobris solenniter executioni datum. Sæcul.XIII. A.C.1246.

§. XLIII.

Gienna Mauris erepta.

Ab anno priore Ferdinandus Castellæ Rex Maurorum victor Giennam Andalusiæ urbem media etiam hyeme obsidebat, pluvias & frigus ferens. Rex Granatensis, cum Giennæ succurrere nequiret, profectus ad Ferdinandum, se submisit, & in obedientiæ signum ejus manum osculatus, obsessam urbem tanquam fidei suæ pignus eidem tradidit medio Aprili an. 1246. Ferdinandus omni cum Clero illam instructo ordine ingressus, delubrum majus adiit, curavitque in Ecclesiam sub patrocinio SS. Virginis consecrari per Guterium Episcopum Cordubensem, qui ex consensu Papæ copiis quibusdam hoc in bello præfuerat. Ecclesia hæc Cathedralis Giennæ fuit; nam Rex novum ibi erexit Episcopatum, cui urbes, arcesque ac terras sufficientes subdidit. Primus Episcopus Petrus nomine introductus est an. 1249, postquam novam sedem Papa Innocentius IV. approbaverat.

Chron. ap. Boll. 30. Maj. to. 18. p. 338.

III. ep. 410. ap. Rayn. 1246. n. 48.

§. XLIV.

Sæcul. XIII. A. C. 1246.

§. XLIV.

Sanctius Lusitaniæ Rex a Papa sacris interdictus.

Alphonsus Regis Ferdinandi filius, qui ad bellicos patris progressus multum contulerat, apud Papam de Alphonso Bononiæ Comite, Regis Lusitaniæ fratre conquestus est. Hic Rex erat Sanctius secundus, cognomento Capellus, homo imbecillis, & qui uxori suæ Menciæ Lopesii de Haro Cantabrorum Domini filiæ per omnia parebat. Eadem instigante quorundam hominum ignobilium consilia sequebatur, quibuscum illa de muneribus & dignitatibus, de pœnis ac favoribus decernebat, sæpe inscio Rege. Indignabantur Proceres, ac Præsules quidam ad Papam Gregorium IX. querimonias deferebant: qui post plura monita, & longam expectationem Regnum interdicto, Regem anathemate perculit. His censuris diu observatis Rex asseruit, se statuisse fraudes illas tollere, damna compensare, & ex Papæ præscripto agere, elegitque viros, qui id executioni darent. Sed hæc plane defuit, atque Rex Sanctius nihilo melius quam antea se gerebat.

Mariana 13. c. 4.

Inn. lib. 3. epist. cur. 29. ap. Rayn. 1245. n. 68. De suppl. negl. c 2. in 6.

Igitur Lusitaniæ Præsules Proceresque apud Papam Innocentium quartum denuo

denuo querebantur hunc in modum: *Rex Ecclesias & monasteria exactionibus intolerandis opprimit: ejus negligentia in vindicandis sceleribus est tanta, ut bona tam Ecclesiastica quam profana impune diripiantur, incendiaque, ac Clericorum, quos sæculares vocamus, Abbatum, & monachorum cædes libere fiant. Nobiles, & horum exemplo alii matrimonia in gradibus prohibitis contrahunt: proscriptionem spernunt, nec omittunt rei divinæ assistere, ac suscipere sacra mysteria: de præcipuis Christianæ Religionis dogmatibus audacter disputant, veterisque ac novæ legis loca exponenda sibi arroganter sumunt non absque hæresis suspicione. Ecclesiarum ac cœnobiorum Patroni, aliique, qui se Patronos falso perhibent, illorum bona suis filiis spuriis tribuunt, & in locis religiosis, cœnobiis, ac tricliniis homines indignos, quin immo equos collocant. Rapiuntur impune fœminæ etiam Deo sacræ: agricolæ ac mercatores crudeliter cruciantur, ut eis extorqueantur pecuniæ. Rex arces terrasque suæ ditionis pessumire, ac Saracenos e confiniis in agros Christianorum involare patitur.* De his querelis Papa Innocentius litteras monitorias ad Regem Lusitaniæ dedit 20 Martii 1245 indicans, se Episcopis Portuensi in Gallæcia, & Conimbricensi, atque Priori Fratrum Prædicatorum Conimbricensium injunxisse, ut in concilio Lugduni

Sæcul.XIII. A. C. 1246.

II. ep. 439. ap. Rayn. 1245. n. 16.

Sæcul. XIII. A.C. 1246.

proxime celebrando se certiorem redderent, qualem agendi rationem Rex teneret.

Has querimonias præcipue promovebat Alphonsus Lusitaniæ Regis frater, per conjugem suam Mathildem Bononiæ maritimæ Comes, & jure fraterno coronæ hæres proximus: nam Sanctio non erant liberi. Haud omisit ille urgere Papam, ut Regis cum Mencia conjugium ob cognationem rescinderet: & Papa Archiepiscopo Compostellano, ac Episcopo Assuricensi mandavit, ut in rem inquirerent: sed hæc actio effectu caruit. Tum Alphonsus ipse Lugdunum profectus Papam permovit, ut finito concilio ad Lusitaniæ Proceres omnesque populos litteras mitteret: in quibus, postquam querelas de Rege Sanctio ad Apostolicam Sedem delatas exposuit, dicit, se hoc Regnum Ecclesiæ Romanæ tributarium per solertem viri sapientis administrationem sublevari cupere, ac Lusitanis omnibus imperare, ut Bononiæ Comitem cunctas in urbes, arcesque & alia Regni loca, quoquo venerit, recipiant, ejus imperiis per omnia morem gerant, contra obsistentes eidem subveniant, & omnes Regni proventus tradant, alioquin cogendi per censuras Ecclesiasticas pro potestate, quam Archiepiscopo Braccarensi ac Episcopo Conimbricensi faciat.

II. ep. 244. R. n. 10.

III. ep. cur. 29. R. n. 68.

n. 71.

Qua

Qua in re, adjungit Papa, *non Regi aut legitimo ejus filio, siquem susciplat, Regnum adimere, sed nostra providentia & illum, & Regnum ipso vivente conservare volumus.* Dabat 24. Julii anno 1245.

Hinc ortum, quod expectari debuerat, bellum civile. Quantumvis contemptus fuerit Rex Sanctius, non deerat tamen quorundam Procerum in eum fides: & Alphonsus civitates plures non nisi per vim in potestatem redigere potuit. Denique Lusitania potitus; Sanctius Toletum ad Ferdinandum Castellæ Regem confugere coactus est.

Sed inter loca, quæ Alphonsus Bononiæ Comes subegit, erant aliqua, quæ Rex Sanctius Alphonso Regis Ferdinandi filio donaverat. Hic proin sibi factam injuriam Papæ conquerebatur; qui ei reposuit: *Administrandum quidem Bononiæ Comiti Regnum commisimus, ut indignissimis rebus ibi perpetrari solitis finem imponi curet: nihil tamen juri vel dignitati Regis, si per se imperando par fiat, derogare cogitavimus. Quapropter Comiti scribimus, ut mox injuriam, siqua te affecit, compenset, atque si positos sibi a nobis limites in iis, quæ ad Regem attinent, transgressus sit, errata corrigat.* Dabat 25 Jun. 1246. Nihilominus Rex Sanctius exutus Regno ac exul diem obiit: & Al-

III. ep. 593. ap. Rayn. an. 1246. n. 42.

Sæcul. XIII. A.C. 1246. phonsus Lusitaniam triginta tribus annis tenuit.

§. XLV.

Anglorum de Papa querimoniæ.

Matth. Par. p. 609. 611. Angliæ Rex Henricus Londini Dominica medii jejunii verni, quæ hoc anno 1246. decima octava Martii erat, magnum habens Senatum, Præsules, Proceresque edocebat, suos ad Lugdunense concilium legatos plures Papæ litteras retulisse, curiæ Romanæ moliminum moderationem, multaque bella promissa continentes, contra quæ ille Ecclesiæ Anglicæ oppressionem continuaret, augeretque: qua de re querelas eis suas exposuit digestas in septem puncta sequentia: Papa S. Petri denario haud contentus, ab omni Clero Anglico ingentem pecuniæ summam exigit, ac generalia tributa describi colligique jubet sine consensu Regio. Non permittit, ut Patroni Ecclesiis viduis Sacerdotes designent, sed eas Romanis tribuit, qui linguam Anglicam non intelligunt, & pecunias e Regno asportant. In beneficiis, quæ Itali possident, negligitur animarum cura, Dei cultus, Verbi divini ministerium, hospitalitas, benefica pauperum commiseratio, ornatus & reparatio ædificiorum corruentium: Italus Itali beneficium per successionem occupat: & Angli ad agendas

29. *Art.* 1. 6. 2. 7. 4.

das causas e Regno evocantur. Papa pensiones postulat, excediturque numerum provisionum, ad quas se restrinxit. Frequenter nimis utitur hac clausula: *Non obstantibus*, quæ juramenta, consuetudines, pactiones, statuta, privilegia, & cuncta jurium genera delet. Sæcul. XIII. A.C. 1246. 3. 5.

De his rebus Senatui Anglico ita placuit, ut ob venerationem sanctæ Sedis rursum legatio ad Papam mitteretur cum quinque epistolis; quarum primam darent Episcopi Suffraganei Cantuariensis provinciæ; secundam Abbates & monachi provinciarum Cantuariensis ac Eboracensis, nimirum totius Angliæ; tertiam Optimates, Nobiles, & universus Clerus populusque; duas reliquas Rex Henricus, alteram ad Papam, ad Cardinales alteram: postrema scripta est 28 Martii. Omnes inchoabantur per magnas reverentiæ testificationes: dein exponebatur Anglorum indignatio contra res indignas, quæ querelas in Senatu moverant, ac necessitas illis promptum afferendi remedium: alioquin orituram esse gravem offensionem, discordiam Regnum inter ac Sacerdotium, seditionem contra Regem ad protegendos subditos adstrictum, immo etiam contra Romanam Ecclesiam. Hæ epistolæ missæ sunt per Doctorem Guilielmum Puicum Juriscon-sultum, ac per Henricum Delamarium *Matth. Par. p.* 617.

Sæcul. XIII. A. C. 1246.

Equitem, qui secundo Paschatis die 9 Aprilis ex Anglia abiere.

Interim Procuratores, quos Rex Henricus in Romana curia jam habebat, obtinuere modum providendi beneficiis in gratiam Italorum; ut nempe, siqua illorum Papa vel Cardinales nepotibus suis cuperent, consensum Regium magnopere postularent. Papa huic Principi etiam diploma misit, per quod Præsules Proceresque, quibus is terras, arces, immunitates, aliave jura tribuisset, eidem hæc reddere jussit, etiamsi donationes istæ jurejurando fuissent firmatæ, eo quod id contrarium esset illi, quo Rex, cum inungeretur, ad jura coronæ suæ integre conservanda se astrinxisset. Dabat 26 Martii 1246.

III. ep. 417. ap. Rayn. an. 1246. n. 39.

Matth. Par. p. 618.

Insuper autem Papa edoctus, ab aliquo tempore in Anglia quosdam Clericos ditissimos mortem oppetiisse, quin bona sua cuiquam addixissent, per hoc Regnum edici jussit, bona Clericorum sine testamento vita functorum deinceps sua fore; Fratribusque Prædicatoribus ac Minoribus injunxit, ut hoc decretum exequerentur. Quo comperto Rex Angliæ curiæ Romanæ avaritiam detestatus, decreti executionem impediit tanquam sibi Regnoque suo noxiam. Vetuit quoque, ne pensio Clero Anglico imposita in Papæ lucrum colligeretur, usque

que ad reditum Legatorum, quos ad Romanam curiam mitteret. Hoc Regem inter & Papam dissidium solicitos habebat Anglos; & multi Regis levitatem veriti, Papæ se adjungebant, quamquam has collectas Ecclesiæ profuisse nunquam viderant. Ita loquitur Matthæus Paris. Sæcul. XIII. A. C. 1246. p. 619.

Papa dein Fratrum Minorum per Angliam Ministro Provinciali mandatum misit, ut ex suo & Prædicatorum Ordine Fratres eligeret, qui inquirerent in fœneratores, eosque male acquisitam pecuniam restituere cogerent in subsidium Imperii Constantinopolitani insumendam. Pollebant facultate absolvendi a peccatis illos, qui eum in finem sacræ militiæ nomen darent, vel pecunias contribuerent. Habebant etiam potestatem colligendi ea, quæ ad reddenda bona male parta testamentis destinata, vel per triennium derelicta fuissent; item, quæ testamentorum executoribus pro arbitrio suo in pia opera essent distribuenda sine certa testatoris designatione; vel quæ debere restitui certum foret, incertum, cui? Illi Religiosi omnes hujus modi pecunias exigere jussi erant, in Constantinopolis auxilium impendendas. p. 619.

Sæcul. XIII. A.C. 1246.

§. XLVI.

Querimoniæ de Religiosis Mendicantibus.

p. 607. Religiosi Mendicantes se antiquis monachis & sacerdotibus religiosa lege solutis odiosos reddebant, dum nimis extendebant privilegia Summorum Pontificum Episcopis præcipientium, ut illos ad Verbi divini ministerium & ad pœnitentiæ Sacramenti administrationem admitterent. Memorati Fratres exigebant, ut hæc privilegia palam in Ecclesiis legerentur, & obvios sibi, etiam Religiosos interrogabant: *Sacram confessionem fecisti? Ita*, respondebant illi. *Cui? Parocho meo. Est vir indoctus; non Theologiæ, non Juri Canonico unquam studuit. Veni ad nos, qui lepram a lepra distinguere scimus, & magnam potestatem, grandia*
p. 608. *privilegia, quæ vides, accepimus!* Hinc multi homines profani, præsertim nobiles eorumque uxores spretis Parochis ac Præpositis suis apud Fratres Prædicatores noxarum conscientiam deonerabant: & Superiores hunc sui contemptum ægerrime ferebant. Parochiani peccabant audacius, Parochis reddendæ rationis metu nullo coërciti, aliique aliis dicebant: *Libere indulgeamus genio, crimina nostra haud ægre detecturi cuidam horum Fratrum*

Fratrum Prædicatorum Minorumve, qui apud nos transibunt, & quos nec vidimus unquam nec postea videbimus. In templum S. Albani, ubi Archidiaconus ex more suam synodum habebat, aliqui Fratres Prædicatores venerant, quorum unus imperiosa voce silentium petebat, ut sua concio audiretur. Sed Archidiaconus eum repressit, hunc agendi modum appellans novitatem, dicensque, se insistere veteri consuetudini, per quam suo quisque Sacerdoti Christiano ritu aperire se debeat: quod ut probaret, concilii Lateranensis sub Innocentio tertio an. 1215 celebrati canonem recitavit. Sæcul. XIII. A.C. 1246.

§. XLVII.

Collegium Cistercienſium.

Præterea Religiosi Mendicantes despicatui habebant monachos tanquam rudes: quod etiam Doctores profani, præcipue Leguleji, & Juris Canonici Professores faciebant. Ab hac vituperatione tutum se redditurus Stephanus Lexintonius Abbas Claræ-vallensis, Parisiis domum condere statuit, ubi monachi Cistercienses scientiis operam navarent. Erat Anglus e nobili & jam tum perinsigni prosapia, habebatque tres fratres præclaris fungentes muneribus, inter alios Henricum, postea Episcopum Lincol-

Matth. Par. an. 1249. p. 665. Duboulai to. 3. p. 184. Dubois to. 2. p. 436.

Sæcul. XIII. A.C. 1246.

nienſem. Stephanus Lexintonius Pariſiis litteras diſcens S. Edmundo poſthæc Archiepiſcopo Cantuarienſi operam dedit, quo authore Ordinem Ciſtercienſium ingreſſus eſt. Poſtquam in Anglia Abbatiam obtinuit, ad Sabiniacenſem in Normannia ſitam an. 1229, deinde ad Claræ vallenſem vocatus eſt an. 1242. Biennio poſt a Papa Innocentio quarto impetravit, ut ſibi Pariſiis pro juvenibus ſui Ordinis monachis erigere Collegium liceret: tum a Canonicis Noſtræ Dominæ quinque jugera & dimidiam vinearum partem prope S. Victoris acquiſivit, ac poſtea ad Abbatis & Religioſorum arbitrium cum fundis ab Abbatia paulo longius ſitis in loco, qui Carduetum dicitur, commutavit. Hæc permutatio facta eſt anno 1246. Et talem originem habuit Ciſtercienſe Collegium Univerſitatis Pariſienſis antiquiſſimum.

Neuſtria pia p. 686.

Dubreuil. p. 625.

Ibid. p. 665. Non id cæteri probabant monachi: vide, quid Matthæus Paris priſcus Benedictinus de illo dicat! *Ambitioſa hæc ætas parvi pendit Religioſos incluſos, & fortunis evertere conatur: atque ita Ordinis monaſtici diſciplina eſt quodammodo remiſſior ob hujus ſæculi malitiam. Nec enim videmus, hanc inſtitutionem* (de collegiis loquitur) *originem ſuam e regula S. Benedicti trahere, quem S. Gregorius ſpiritum Dei habuiſſe teſtatur. Contra legimus, illum*

lum reliquisse litterarum studia, ut in eremum se abderet. Sic Matthæus Paris. Et verum est, monachos primitivam instituti sui rationem sequentes vitam duxisse in solitudine ac silentio, precibus & labore manuum occupatos. Hoc autem sæculo contemptu laborabant, quod major eorum pars in otium ac mollitiam prolapsa esset. Sæcul. XIII. A.C. 1246. *Sup. Lib. XXXII. §. 13.*

§. XLVIII.

Ecclesia Danica.

Papa Innocentius hoc anno Fratri Simoni Arvernienſi Ordinis Minorum in mandatis dedit, ut in duos Daniæ Episcopos inquireret. Prior erat Roschildiensis, de quo Rex Ericus apud Papam conquestus fuerat, quod, cum eum constituisset suum Cancellarium, atque in eo fiduciam posuisset suam, ingratissimum expertus esset; & quod hic Præsul expilato Regno, ac conspiratione in ipsius vitam inita remotam in regionem abiisset. Papa igitur Fratrem Simonem hæc facta accurate perquirere jubet. *Eorum notitiam,* inquit, *nobis per litteras tuo sigillo munitas dabis, ut possimus agere, quod coram Deo æquum censebimus.* Dabat 21 Julii 1246. *Vading. 1246. n. 7. Rayn. n. 36.*

Alterum mandatum nono Novembris edidit, in quo sic loquitur: *Ut comperimus, Ottonienſis Ecclesiæ viduæ Præpositus* *Vading. n. 8.*

Sæcul. XIII. A. C. 1246.

situs introducta profanorum hominum multitudine tantum monachis metum incussit, ut in Episcopum eligeretur. Etiam Archiepiscopum Lundanum Metropolitanum suum per minas adegit, ut electionem haberet ratam, & ipsum consecraret, quamvis concubinum manifestum, & contra Canones per potentiam profanam electum sciret. Hic Episcopus retinet concubinam suam, & quia plurium aliorum quoque criminum reus est, non audet reprehendere diœcesanos suos: e contrario hi nec concionibus nec sacris ejus interesse volunt. Præcipimus ergo, ut adeas illa loca, solicite, an malum tam grave sit, quam dicitur, indages, & per epistolas tuas nos edoceas. Hæc in Episcopos potestas simplici Fratri Minori facta attentam meretur considerationem.

§. XLIX.

Episcopus Marocensis.

Sup. Lib. LXXX. §. 63. Vading. an. 1246. n. 9. 10. &c.

Vacabat Ecclesia Marocensis per obitum Fratris Agnelli ejusdem Ordinis, quem Papa Gregorius IX. illius Episcopum an. 1237 consecraverat. Papa Innocentius in ejus locum suffecit alium Fratrem Minorem Lopesium Ferdinandum Dainum, quem Diœcesanis commendavit per litteras Lugduni datas ultimo Octobris 1246. Scripsit simul in ejus gratiam Regi Marocensi, quem laudat

dat tanquam defensorem Christianorum suæ ditionis, & ad veram religionem traductum cupit. Misit etiam litteras Regibus Tunetano, Septano, & Bugiensi, omnibus Christianis Hispaniæ maritimæ, ejusdem Episcopis, Bajonensique ac Massilienſi, Archiepiscopis Narbonensi & Genuensi, Regi Arragoniæ, Magistro Ordinis S. Jacobi; cunctis denique Christianis in Africa agentibus. Sæcul.XIII. A.C.1246.

Verum post aliquot annos Episcopus Marocensis Lugdunum delatus ad Papam, *Orasti Regem*, inquiebat, *ut Christianos sibi subditos, præsertim illos, qui sub ipsius signis militarent, munitis in locis ab inimicorum ferocia tutos redderet: sed non te audiit.* Tum Papa Regi Marocensi scripsit, easdem iterans preces, ac minitans, se, nisi satis ille faceret, revocaturum ab ejus servitio Christianos in ejusdem terris versantes, ac, ne alii eo veniant, inhibiturum. Dabat epistolam 16 Martii 1252. Quod vero jus habebat Papa id jubendi Christianos, quorum non erat Dominus temporalis? *Rayn.* 1251. *n.* 29.

§. L.

Novæ pensiones Anglis impositæ.

Papa Innocentius IV. edoctus, Angliæ Regem exactionibus suis obsistere, stimulante ira gravissima Regnum interdicto *Matth. Par. p.* 624.

Sæcul. XIII. A C. 1246. dicto afficere ſtatuit. Sed Cardinalis Joannes Toletanus natione Anglus, qui monachus Ciſtercienſis fuerat, *Domine!* ajebat, *per amorem Dei moderare tibi, ac tempus eſſe turbulentum conſidera! Terra ſancta magno in periculo, Eccleſia Græca a nobis ſeparata eſt. Fridericus inter Principes Chriſtianos potentiſſimus ſe nobis opponit. Nos ex Italia pulſi tanquam in exilio ſumus. Hungariæ ac vicinis regionibus pernicies ultima a Tartaris imminet: Germania bellis civilibus agitatur: in Hiſpania Epiſcopi male habentur usque ad exſectionem linguæ: Gallia a nobis ad inimicitas redacta in nos conſpiravit: Anglia noſtris vexationibus fatigata & exhauſta loqui incipit & conqueri, ut aſina Balaami verberibus obruta: ſic totum contra nos orbem concitamus.* Papa his monitis haud cedens, punire Angliam volebat, cum Legati ex ea profecti advenere, qui ab amicis ſuis mitigatum eſſe Regem, brevique Papam voti damnatum iri aſſerebant. Quo nuncio gaviſus iſte ſerenam rurſus faciem exhibuit.

c. 25.

Reſumpto igitur animo, Angliæ Præſulibus edixit, ut omnes beneficiarii ſuis in beneficiis reſidentes tertiam, non reſidentes dimidiam proventus ſui partem ipſi penderent: atque hujus mandati executionem Epiſcopo Londinenſi commiſit. Hic alios quosdam Præſules convoca-

vocavit, quibuscum Papæ imperium Londini in templo S. Pauli postridie festum S. Andreæ scilicet 1 Decembris an. 1246 proponeret. Verum conventus totus huic pensioni obstitit ob rationes sequentes. In Ecclesiis Cathedralibus moris est, ut Canonici residentes, qui in aliquibus pauci sunt, Clericos minores aliosque Ecclesiæ ministros e proventibus suorum variis in locis beneficiorum sustentent. Jam si dimidia pars illis detrahatur, Ecclesiæ ministerium deerit, cum Canonici nihil eo conferre amplius, nec in Cathedralibus ipsi residere tam modico cum proventu possint: vix enim quarta eis pars restaret, de summa deductis sumptibus collectionis, cæterisque impensis. Religiosæ domus Angliæ vivunt ex parœciarum proventu, qui vel his ægre sufficit, si ad dimidium redigatur, dimidia pars Religiosorum cogetur mendicatum ire huc illuc errans, ac disciplinæ damno variis peccandi periculis exposita. Cessabunt necessario hospitalitas ac eleemosyna cœnobiorum Parochorumque: cessabit simul amicitia & favor populi, qui eisdem fruebatur. Clerus præ inopia tuendis juribus suis impar oppressioni obnoxius erit. p. 626.

Sæcul.XIII. A.C.1246.

Clerici præter pauperes, quorum infinitus est numerus, etiam parentes & famulos suos alunt, quos dimittere cogentur,

Sæcul. XIII. A. C. 1247.

tur, & qui laborando non assueti, damno publicæ quietis rapto vivere quærent. Dimidia pars proventus ex beneficiis non computari debet nisi deductis oneribus, nimirum pensionibus, Præsulum hospitiis, templorum reparationibus & ornamentis, culturæ sumptibus. Nuper admodum Papæ solutæ sunt sexies mille argenti selibræ pro parte vigesima: inita proportione pars dimidia sexagies mille selibras, & cum deductionibus necessariis octogies mille conficiet, quam summam pendere Regnum totum vix posset: & omnis hæc pecunia asportaretur e Regno, in quo maneret a Clero expensa. Has ob rationes Ecclesia Anglica se opponebat huic novæ exactioni, ad Christum ipsum & ad concilium aliquando celebrandum appellans. Sed haud opus erat huic provocationi insistere: nam quidam Eques ac Doctor aliquis, a Rege ad conventum Londinensem missi, ejus nomine severe prohibebant, ne hanc in pensionem consensus fieret.

Matth. Par. p. 695.

Eodem anno Papa Innocentius Edmundum Cantuariensem in Sanctorum numerum ritu solenni retulit tertia Adventus Dominica 16 Decembris: diploma vero datum est 11. Januarii sequentis anni 1247. Inscriptum est Episcopis cæterisque Præsulibus, & illius virtutum ac miraculorum compendium continet.

Additam p. 1083.

Domi-

Dominica secunda post Pentecosten mense Junio S. Edmundi corpus in templum monasterii Pontiniacensis translatum est præsente Rege S. Ludovico, Regina ejus matre, ac innumerabili Nobilium multitudine. Rex Anglis quam cæteris nationibus majorem illius sepulchrum visendi libertatem dedit. Sæcul. XIII. A.C. 1247. *Hist. p. 638. Addit. p. 1087. Nang. Gesta p. 346.*

§. LI.

Virtutes S. Richardi Ciceſtrienſis.

Interea hujus Sancti discipulus, Richardus Episcopus Ciceſtrienſis non illo melius ab Anglorum Rege habebatur. Lugduni a Papa consecratus, cum rediisset, cunctos Episcopatus sui reditus a Regiis ministris absumptos, edictumque Regium, ne sibi quidquam præberetur, promulgatum audiit. Monstrabat Regi litteras Pontificias, ut in possessionem mitteretur, jubentes; sed hujus Principis indignationem ei accersebant. Itaque in Diœcesin se suam recepit, pauperque ac rebus omnibus spoliatus piorum hominum tecto victuque utebatur, inspicere subjectorum mores, & sacramenta, prout opus erat, administrare haud omittens. Ne cedere jure suo videretur, adibat interdum Aulam, ac Ecclesiæ suæ restitutionem humiliter flagitabat, cum contemptu semper & convitio remissus. *Vita ap. Boll. to. 9. p. 280.*

Sæcul. XIII. A. C. 1247.

Quodam die Eccleſiæ ſuæ Decano & Canonicis eam rem dolentibus dicebat hilari vultu: *An neſcitis illud, quod ſcriptum eſt, Apoſtolos gaviſos eſſe contumelia pro Chriſti nomine tolerata.*

Act. 5. v. 41.

Attamen, quomodo a Rege haberetur, Papam certiorem fecit, qui duos Angliæ Epiſcopos admonere Regem, ut intra certum tempus Eccleſiæ Ciceſtrienſis terras & bona Richardo redderet, ſin minus, cenſuras in mandato expreſſas totam per Angliam denunciare diſertiſſime juſſit. Poſt biennium denique obtemperans Rex Epiſcopo terras ipſius inutiles redditas & plane nudas reſtituit. Largiſſimam is tamen ſpargebat ſtipem: & fratri, in quem bona paterna deoneraverat, ſuos proventus ad illam ſufficere neganti repoſuit: *Num par eſt, nos ex auro & argento comedere, dum Chriſtus in pauperibus ſuis famem patitur? ſum contentus vaſis fictilibus ut parens meus: vendantur omnia una cum equo meo, ſi opus eſt.* Per Epiſcopatus ſui tempus augebat fervorem precum, victum, cultumque aſperum, omniaque bona opera ſua.

p. 582.

Nulla propinquis ſuis beneficia conferebat, dicens, Dominum noſtrum S. Petro præ S. Joanne cognato ſuo Eccleſiæ regimen commiſiſſe. Inſuperabili conſtantia Archiepiſcopo Cantuarienſi Regique ipſi obſtitit, pro Parocho mali exem-

pli,

pli, qui fœminam religiosam rapuerat, de- Sæcul XIII.
precantibus. De rebus divinis assidue A. C. 1247.
verba faciebat ad populum, etiam extra Diœcesin suam: pœnitentibus aures, solatia, animos, postulantibus consilia dabat: cuncta denique charitatis opera tam corporalia quam spiritualia exercebat.

Tribus mensibus post S. Edmundi ad ordinem Sanctorum adscriptionem Papa Innocentius immortalitati consecravit Guilielmum Pinchonium Episcopum Briocensem, ut apparet ex diplomate Lugduni dato 15. Apr. 1247. & Archiepiscopo Turonensi ejusque Suffraganeis inscripto: in quo Papa sigillatim sex miracula illius precibus impetrata, pluraque alia generatim refert, per testes idoneos confirmata. Tum dicit, se die Paschatis (erat is hoc anno ultimus Martii) illi cœlestes honores publicosque decreviſſe de consilio Cardinalium, Patriarchæ Constantinopolitani, cæterorumque Præsulum ad sanctam Sedem commorantium. Demum ad memoriam ejusdem ipsa obitus die 29 Julii celebrandam hortatur. *ap. Rayn. 1247. n. 22.*

§. LII.

Mors Henrici Comitis Provincialis.

In Germania Henricus Thuringiæ Comes Provincialis, postquam in Roma-

Sæcul. XIII. A. C. 1247.

norum Regem electus fuerat, comitia indixit Francofurti festo S. Jacobi die 25 Julii an. 1246. habenda. His se oppositurus Conradus Imperatoris Friderici filius comparuit cum copiis, sed ad fugam compulsus est, ac multi ejus partium Nobiles capti sunt. Dicebatur ab aliis Papæ pecunia subornatis in pugna desertus fuisse. Hæc die S. Dominico sacra 4 Augusti accidit. Papa ad Henricum solennissimo ritu coronandum se præparante, cum Conradus ad locum huic actui destinatum numerosum adduxisset exercitum, magnum prælium committebatur, in quo Henricus prospero primum successu lætus, sed victus denique, ac fugere coactus, præ dolore animam efflavit verni jejunii tempore an. 1247. Quare graviter afflictus Papa in varias orbis Christiani partes quatuor Legatos misit, qui eum in Fridericum & Conradum concitarent, ac pro hujus belli sumptibus pecunias colligerent. Primum ex his Legatis in Germaniam, in Italiam alterum, tertium in Hispaniam, in Norvegiam quartum misit; in Angliam neminem sub Legati nomine (ne Regis permissum poscere cogeretur) sed Fratres Minores ac Prædicatores, qui præstabant idem. In Germaniam legavit Petrum Capochium nobilem Romanum, Cardinalem tit. S. Georgii ad Velum Aureum, &

Alb. Stad. an. 1246.
Mon. Pad. eod.
Matth. Par. p. 616.
Hist. Lantg. c. 52.
Matth. Par. p. 633.
p. 634.
V. ep. 32. ap. Rayn. 1247. n. 2.3.

& illi mandatum dedit 15 Martii: dein mense Junio scripsit his verbis: *Ecclesiæ utilissimum foret, si in Germaniæ locis, in quæ populus convenire solet, quidam Religiosi eos omnes, qui Ecclesiæ partes secuti, eidem fide sua jurejurando obstricta, ad Fridericum & Conradum redierunt, anathemate, illorumque terras interdicto percellerent.* Declarabitur etiam, eorum testimonium in judiciis non acceptum iri, nec ad templa profugos immunitate fruituros esse. Prohibetur omnis cum eisdem communicatio, & a muneribus suis ad tempus abstinere jubebuntur omnes Clerici, qui per malos sermones suos emolumento Ecclesiæ obstiterint.

Sæcul. XIII. A.C. 1247. *IV. ep.* 113.

§. LIII.

Papa Judæos protegit.

Interim Papa recepit Germaniæ Judæorum querelas, quod quidam Principes tum sacri tum profani, aliique Nobiles, ut ipsorum bona expilandi causam prætexerent, calumnias contra ipsos excogitarent. Addebant: *Die Paschatis, pro sacra communione infantis a nobis necati cor comedere, & cum cadaver hominis invenitur, nos eum peremisse dicimur. Non convicti, immo nec accusati coram Judice, spoliamur bonis, & in carceres compacti fame variisque tormentis conficimur: multi*

ap. Rayn. 4.

Sæcul. XIII. A. C. 1247.

ti etiam ad mortem condemnantur. Proinde loca, quæ nos & patres noſtri a tempore, cujus nulla exſtat memoria, incoluimus, relinquere cogimur, & in miſerabili exilio vivere. Quo comperto Papa omnibus Germaniæ Epiſcopis ſcripſit, ut ſe propitios præberent Judæis, & injurias ipſis per Præſules, Nobilesque & alios potentes viros illatas compenſari curarent, nec in poſterum immerentes vexari paterentur. Dabat epiſtolam Lugduni 5 Jul. 1247 quam etiam ad Epiſcopos Franciæ miſit. Hoc nos exemplum docet non leviter fidem habere tot hiſtoriis de infantibus per Judæos occiſis, quas in ſcriptoribus illorum temporum legimus.

§. LIV.

Papæ vita non ſemel appetitur.

Matth. Par. p. 631. 632.

Haud multo prius quidam Friderici Eques Radulphus nomine illi infenſus Lugdunum venit, ubi cum Doctore Gualterio Docrio Imperatoris Conſiliario eadem in caupona verſabatur. Hic illi perſuaſit, ut ad ſervitium rediret ſuum, & quo certius Domini ſui gratiam ſibi rurſum conciliaret, Papam de medio tolleret. In conjurationem induxerunt hoſpitem ſuum Renaudum, qui Papæ ac miniſtris ejus notus executionis media ipſis præberet. Tum Gualterius profectio-

ctionem iniit: sed Renaudus morbo correptus, & morti proximus arcano Judici scelestum detexit consilium. Vix exspiraverat, cum conscientiæ arbiter rei notitiam Papæ dedit. Radulphus comprehensus negavit primum; deinde tormentis subjectus omnia confessus est. Sub idem tempus Lugduni eandem ob causam capti duo Equites Itali affirmarunt, quadraginta circiter socios fortissimos in Papæ cædem conjurasse, vel Friderico mortuo, nullo necis metu absterrendos, quin Papam in frusta conciderent, eoquod se rem Deo ac hominibus gratam sic facturos existimarent. Ab eo tempore Papa in conclavi se suo abditum continuit, quinquaginta circiter armatis viris diu noctuque excubantibus, e palatio suo ne ad templum quidem sacris operandi causa se conferre ausus. Sæcul. XIII. A.C. 1247.

§. LV.

Galliæ Procerum fœdus contra Clerum.

Sub finem anni præteriti Franciæ Proceres, ut Cleri conatus infringerent, tabulas publicas latino sermone confici curarunt, in quibus dicebant: *Superstitiosus Clerus non considerat, Regnum Gallicum Caroli Magni, cæterorumque Principum armis ad fidem adjunctum fuisse.* *Preu. libert. ch. VII. n. 8. Matth. Par. p. 628.*

Sæcul. XIII. A. C. 1247.

Hic patet ignorantia illius, qui has litteras compoſuit, dum Chriſtianæ fidei in Galliam introductionem Carolo Magno tribuit, & huc adhibet bella, quæ is Rex contra Saxones cæterosque Germaniæ ethnicos geſſit. Scriptum continuatur: *Clerus nos primum decepit per demiſſionem ſubdolam, & arces a nobis conditas obtinens, profanorum Principum jurisdictionem abſorbet, ita, ut mancipiorum filii ſecundum leges ſuas homines liberos judicent, cum nos potius illos ſecundum leges ab antiquis victoribus editas judicare deberemus, nec conſuetudinibus Majorum noſtrorum per conſtitutiones novas quidquam derogandum eſſet. Nam pejorem reddunt noſtram quam ipſorum ethnicorum conditionem, de quibus Deus dixit: Reddite, quæ ſunt Cæſaris, Cæſari!* Clerici hic vocantur ſervorum filii, quia multi erant plebeji ac ſervilis ſtatus. In ſcripto pergitur: *Cum proin Regnum non per jus ſcriptum, nec per arrogantiam Clericorum, ſed per labores bellicos acquiſitum fuerit; nos Optimates cuncti hoc decreto prohibemus, nequis Clericus vel laicus alium ad Judicem ordinarium aut delegatum* (oportet intelligere Eccleſiaſticum) *præterquam ob hæreſin, matrimonium, vel uſuram vocet, alioquin omnia amiſſurus bona ſua, & membro mutilandus. Executores conſtituere haud omittemus. Sic attolletur noſtra jurisdictio; ſic*

Sæcul.XIII. A.C.1247.

sic Clerici noſtris ditati ſumptibus in ſtatum primitivæ Eccleſiæ, & ad vitam contemplationi deditam redigentur, nobis actionem, quæ nos decet, relinquent, ac miracula, quæ pridem ceſſarunt, nobis dabunt ſpectanda.

Hujus decreti executores nominati fuere per litteras patentes Gallica lingua ſcriptas in hunc modum: *Nos omnes, quorum ſigilla e præſente ſcripto pendent, noſtro & ſucceſſorum noſtrorum nomine juratum promiſſum fecimus, nos & cunctos, quibus ad hanc ſocietatem accedere libuerit, mutuo adjuvandi, noſtraque ac illorum jura contra Clerum defendendi. Et quia non niſi difficulter omnes convenire hanc ob cauſam poſſemus, Ducem Burgundiæ, Comitem Britanniæ Petrum, ac Engoliſmæ Pagique Poliacenſis Comites communi conſenſu elegimus, ut, ſiquis ex hac ſocietate actionem contra Clerum haberet, tale illi ferremus auxilium, quale hi quatuor opportunum judicaſſent. Hunc in finem centeſimam proventus ſui partem daturum ſe quilibet jurabit: hæ pecuniæ colligentur ſub feſtum Purificationis Dominæ Noſtræ, mittenturque, quo erit opus ſecundum litteras quatuor Procerum vel duorum ex illis. Siquis erraret, nec cederet quatuor illorum ſententiæ, ſocietas eum non adjuvaret. Siquis e ſocietate quatuor Procerum judicio perperam proſcriberetur, non omittet jus ſuum perſequi, niſi aliter ſtatuant. Si ex*

Sæcul. XIII. A.C. 1247.

illis quatuor duo morerentur, aut e regione abirent, duo reliqui in eorum locum duos ſubrogabunt: ſi tres vel quatuor e Regno aut e vita decederent, decem vel duodecim ſocietatis viri ſpectabiliores quatuor alios eligent. Societas approbabit, quod fecerint illi quatuor, aut eorum juſſu privatus aliquis. Hoc fœdus durabit ſemper, & ſancitum eſt an. 1246 *menſe Novembri.* Multi Eccleſiaſtici hac Franciæ Procerum conjuratione territi, eos rem ex condicto cum Imperatore gerere putabant, ex eo præſertim capite, quod ſe Clerum in ſtatum Eccleſiæ primitivæ redacturos eſſe minitarentur ſermone Principis illius proprio.

IV. epiſt. curr. 35. *ap. Rayn.* 1247. *n.* 49.

Galliæ Epiſcopi, cæterique Præſules id Papæ conquerebantur, qui repoſuit: *Ex omni parte afflictionibus circumdati ſumus. Cernimus crudelem Eccleſiæ inimici impietatem* (de Friderico loquitur) *ſed acerbiore nos dolore afficit nova molitio Catholicorum, in quibus fiduciam poſueramus maximam, & quorum exemplum ne reliquis nationibus perniciosum ſit, metuimus.*

VI. capit. 366. *al.* 281. *II. q.* 1. *c.* 35. 36. 37.

Opponit dein Franciæ Procerum decreto exiſtimatam Theodoſii legem in favorem jurisdictionis Epiſcoporum a Carolo M. confirmatam, & a Gratiano inſertam Decreto ſuo: ſed merito ſuſpectam eſſe ſuo loco notavi. Adjungit Papa:

Sup. Lib. XLVI. §. 8.

Galliæ Optimates ignorant forſitan, illos, quæ

qui contra libertatem Eccleſiaſticam ſanctiones faciant, ipſo jure a communione piorum excluſos eſſe ſecundum conſtitutionem Honorii III. Igitur Epiſcopis, ut illos erudiant, illis ſumma conſtantia obſiſtant, & contra rebelles, quod æquum ſit, ſtatuant, impenſe ſuadet, omne auxilii genus promittens. Sæcul. XIII. A. C. 1247. *Sup. Lib. LXXVII.* §. 49. *c. Noveritis. 49. de ſent. excom.*

Papa ſimul Cardinalem Odonem de Caſtro Rodulphio Epiſcopum Tuſculanum & in Gallia Legatum ſuum per litteras juſſit intereſſe concilio ab Epiſcopis hac de re celebrando, modum agendi cum Proceribus ita ei præſcribens. Primum ab Eccleſia ſejunctos denunciabis omnes illos, qui has ſanctiones & conſuetudines Eccleſiæ libertati contrarias obſervari curabunt, & illos, qui eas ſcripſerunt, & qui easdem in judiciis ſequentur. Has conſtitutiones & jurata eas obſervandi promiſſa eſſe nulla declarabis. Proſcribes omnes illos, qui hanc conjurationem inierunt, aut inibunt, vel alios ad eam inducent; omnes illos, qui centeſimi denarii penſionem exſolvent, vel accipient; illos, qui ex occaſione hujus conſpirationis jurisdictionem Eccleſiaſticam turbabunt. Non obedientes omnibus privilegiis a ſancta Sede conceſſis, ac prædiis fiduciariis, quæ ab Eccleſia habent, privabuntur, illorumque filii a ſacris Ordinibus & beneficiis excludentur. *IV. ep. cur. 36. Rayn. n. 53*

Sæcul. XIII. A. C. 1247.

dentur. Clerici, qui post monitionem tuam non statim suum illis servitium renunciaverint, cunctis beneficiis exuentur ipsoque Clericatus privilegio. Papa has minas parum efficere videns, Galliæ Procerum cognatis beneficia multa tribuit, ut plura simul possiderent, gratiam legis fecit, indulgentias plurimas concessit, & Optimatibus ipsis donorum copiam misit. Quibus mediis magnum eorum numerum reduxit ad obsequium: neque res longius progressa tunc est.

Matth. Par. p. 623.

§. LVI.

S. Ludovicus sacram expeditionem parat.

Sub medium verni jejunii tempus an. 1247 sanctus Rex Ludovicus magnum habuit Senatum, in quo suæ sacrum ad bellum profectioni festum S. Joannis diem anno proximo futuram destinavit. Jurejurando ad illud & se adstrinxit, & ut cæteri cruce signati se adstringerent, fecit, eum, qui contra egerit, proscribendum, & hostem publicum reputandum asserens. Et quia expeditio contra Fridericum bello Palæstino obstabat, effecit, ut Papæ jussu Petrus Capochius Pontificius in Germania Legatus nec vota transmarini itineris commutari, nec sacros oratores a suadendo, hoc itinere impediri

Id. p. 631.

Rayn. 1247. n. 56.

pediri pateretur. Insuper cum multi cruce signati præsidio, quod Ecclesia ipsis ferebat, abuterentur, Rex sanctus obtinuit, ut Papa per epistolam prohiberet, ne Episcopi, cæterique Franciæ Præsules cruce signatos tuerentur, qui rapinas, homicidia, raptus, aliaque ejusmodi scelera committerent. Dabat 6 Nov. 1246. & similem ad Cardinalem Odonem suum in Gallia Legatum. Sæcul. XIII. A. C. 1247. *Sup. Lib. LXXX.* §. 50. *Duchesne to. 5. p. 862. IV. ep. 234. Rayn. 1246. n. 54.*

In autumno anni 1247 Ludovicus per totum Regnum suum Fratres Prædicatores Minoresque misit accurate inquisituros in damna, quæ mercatoribus, cæterisque hominibus privatis forsitan intulisset. Eandem indagationem Prætoribus injunxit, ut, si suo nomine alimenta vel pecuniæ exactæ aut mutuæ sumptæ fuissent, veluti sæpe fieret, læsus id per scripturam, per taleam, per testes, per juramentum suum, aut per aliam rationem legitimam probaret, Regiumque ærarium plane satisfaceret: id quod executioni datum. Erat hic mos cruce signatis: & ob itineris pericula tanquam ad mortem se præparabant. Habemus exemplum Joannis Jonavillæ Domini, summi Campaniæ Prætoris, qui S. Ludovicum hanc ad expeditionem secutus retulit, se ante abitum suum vocasse subditos, & nobilibus provinciæ viris præsentibus ita locutum esse: *Domini! Abeo trans* *Matth. Par. p. 640.* *Hist. S. Louis p. 22.*

Sæcul. XIII. A C. 1247.

trans mare; an rediturus ſim, neſcio. Proinde ſicui injuriam feci, ſiquis queri de me velit, accedat! compenſabo, ut conſueci facere. Addidit, ſe provinciæ hominum judicio rem ſubjeciſſe. E pluribus tabulis antiquis conſtat, ſæpe Nobiles in paribus temporum rationibus reddidiſſe bona Eccleſiæ perperam occupata, vel vectigalia domosve pios in uſus deſtinaſſe.

Du Cange obſervat. p. 52.

§. LVII.

Haquinus Norvegiæ Rex ſacræ crucis militiam amplexus.

Matth. Par. p. 643.

Sanctus Ludovicus, Haquinum Norvegiæ Regem teſſerariam induiſſe crucem, edoctus per epiſtolam amicitiæ plenam eum orabat, ut itineris ſocium ageret, & pro ſua in mari potentia univerſæ claſſi præeſſet. Haquinus nuper a Legato Pontificio coronatus fuerat, quod exponi meretur. Erat Regis Haquini anteceſſoris ſui filius ſed non ex toro legitimo. Itaque ad Papam confugere coactus Legatum poſtulavit, & obtinuit Cardinalem Guilielmum Epiſcopum Sabinenſem, antea Mutinenſem, & ad miſſiones Septentrionales adhibitum. Papa litteras, quibus eum Regi commendavit, 30 Octobris 1246 dederat; ejusque legatio ſe in Sueciam extendebat. His enim regnis

IV. ep. 189. Rayn. 1246. n. 32. Matth. Par. p. 634.

regnis in Fridericum concitandis, ſubſidiisque ad eum bello infeſtandum inibi colligendis etiamnum occupabatur. Per aliam epiſtolam Papa plenitudine ſuæ poteſtatis utens Haquino legis gratiam facit, ut ad dignitatem Regiam evehatur inſuper habito ortus ſui vitio, eamque liberis legitimis transmittat. Sæcul.XIII. A. C. 1247. *Rayn. n.* 34.

Et vero die S. Olai Regis Norvegiæ ac Martyris 29. Jul. 1247. Haquinus Bergæ Epiſcopali Regni ſui urbe per Legatum Sabinenſem Epiſcopum ſolenni ritu coronatus fuit. Ut hoc pro beneficio gratum ſe præſtaret, Papæ quindecies mille ſelibras nummorum Sterlingorum pependit: & Legatus præter grandia, quæ accepit, munera quingentas ſelibras e Regni Eccleſiis collegit. Viciſſim Haquinus inita ſymbolicæ crucis militia pro itineris ſumptibus Eccleſiaſticorum Norvegiæ proventuum partem tertiam a Papa obtinuit. Hic itaque Rex fuit, cui S. Ludovicus itineris transmarini comitem ſeſe obtulit internuncio uſus monacho Anglo Matthæo Paridi, qui temporis illius hiſtoriam ſcripſit. Haquinus lecta S. Ludovici epiſtola ad Matthæum, cui fidebat, *Magnas*, ajebat, *gratias huic pio Regi habeo. Sed novi paululum Francorum indolem. Mei Norvegi ſunt violenti, præcipites, diſſimulando impares. Si jurgio contendant cum natione elatos gerente* *Matth. Par. p.* 643.

Sæcul. XIII. A.C. 1247.

te ſpiritus, ambo faciemus damnum non reſarciendum. Hinc præſtat nos ſeorſum proficiſci. Tantum Galliæ portus intrandi, indeque annonam petendi copiam, ſi neceſſitas cogat, petiit, & S. Rex humaniter dedit. *Is Norvegiæ Rex*, inquit Matthæus Paris, *eſt vir prudens, modeſtus, ac litteratus.*

§. LVIII.

Guilielmus Batavus Romanorum Rex.

In Germania cum Petrus Capochius Legatus prope Coloniam in diem feſtum S. Michaëlis Epiſcoporum concilium, quantum potuerat, collegiſſet, ſequente die Jovis 3 Oct. Nuiſii aliquot Epiſcopi & quidam Comites in Romanorum Regem elegerunt Guilielmum Bataviæ Comitis fratrem. Erat juvenis annorum viginti circiter, egregia corporis ſpecie, fœderibus magnis ſuffultus. Stabant ab eo Dux Brabantiæ cognatus ſuus, Comites Geldriæ ac Loſſenſis, Archiepiſcopus & civitas Colonienſis, Archiepiſcopi Moguntinus ac Bremenſis cum Suffraganeis ſuis, Epiſcopi Würzburgenſis, Argentinenſis, Monaſterienſis ac Spirenſis, ut teſtantur plures epiſtolæ, quas Papa hos ad Principes 20 Nov. dedit. Scripſit etiam ad Legatum ſuum, & ad Fratres

Alb. Stad.

Matth. Par. p. 636. 640. Epiſt. ap. Rayn. n. 5. 6. &c.

tres Prædicatores, ut exhortarentur ad sacram expeditionem contra Fridericum jam denunciatam. Sed hunc semper Imperatorem agnoscebant multi Germaniæ Principes, nimirum Dux Saxoniæ, Dux Bavariæ, Marchio Misniæ, Ordo Nobilium Austriæ, Styriæque, Archiepiscopus Magdeburgensis, Episcopi Passavienſis ac Frisingensis: nec Papa quidquam poterat præterquam imperare Legato suo, ut hos Præsules Lugdunum ad sanctam Sedem accerseret, atque contra profanos censuras adhiberet. Sæcul.XIII. A. C. 1247.

§. LIX.

Fridericus Parmam obsidet.

Interea Fridericus mense Majo hujus anni 1247 ex Apulia in Lombardiam numeroso cum exercitu profectus Taurinum usque processit. Lugdunum aditurus erat, ut coram Papa (sic dicebat) causam ipse suam ageret, & hujus æquitatem nationibus cisalpinis demonstraret: volebatque mox redire in Germaniam, turbas ejusdem compositurus. Hoc iter ingentem Papæ ac toti ejus curiæ consternationem incussit metumque, ne Fridericus tam magnis cum viribus veniens ipsis vim inferret. Sed terrorem dispulit S. Ludovicus, se, si Papa postulet, ei celerrime cum tribus fratribus suis valido- *Mon. Pad.* *Petr. de Vin. l. 1. ep. 49.* *Matth. Par. p. 640.*

Sæcul. XIII. A.C. 1247.

que exercitu ſubventurum pollicitus. Papa ardente ſtudio gratias egit; oravit tamen, ne Rex prius, quam ab ipſo monitus eſſet, ſe viæ committeret. Dabat 17. Junii. Forſitan Papa jam ſciebat, quid in Lombardia ageretur. Nam ejus propinqui & amici, qui Parma ejecti fuerant, ut abſentiam Friderici in rem ſuam verterent, congregati, facta cum incolis conſpiratione medio Junio urbem intrarunt, ac necato Prætore Friderici partes expulerunt. Gregorius Montelongius a multo tempore Papæ in Lombardia Legatus Parmæ ſuppetias tulit, velut etiam Cardinalis Octavianus, quem Papa nuper menſe Aprili eo miſerat: ſic civitas in fortem ſui defenſionem intenta erat. Fridericus tunc, cum iter Lugdunum verſus ſuſciperet, comperta ſeditione excandeſcens, cum exercitu relegit viam, & Parmam obſeſſum venit. Atque ut doceret, ſe nolle niſi capta civitate diſcedere, caſtra poſuit in ſpeciem urbis, quam Victoriam nominavit, ibique transegit hyemem, expugnationem Parmæ tam certo ſibi promittens, ut eam in deditionem accipere recuſaret.

IV. ep. cur. 124. Rayn. n. 13.

Petr. Vin. II. ep. 37. Rayn. n. 17.

Matth. Par. p. 643.

§. LX.

Daniel Ruſſiæ Dux agnoſcit Papam.

Papa Innocentius interim diverſos ſchismaticos ad officium reducere conabatur.

tur. Anno præterito Daniel Ruſſiæ Dux per Nuncium ab Opizone Meſſanenſi Abbate Pontificio in Polonia Legato Regis titulum popoſcit, ſe in Romanæ Eccleſiæ poteſtate fore, ac vires ſuas cæterorum Principum Catholicorum viribus ad repellendos Tartaros juncturum ſpondens. Ruſſi annis abhinc ducentis & quinquaginta Chriſtianam fidem amplexi fuerant; ſed ritum Græcum ſectabantur, ut etiamnum faciunt, & ſchismate erant implicati. Legatus Opizon eos ad Romanam Eccleſiam revocandi occaſione utendum ratus, Polonis fruſtra repugnantibus, Danieli Regia dedit inſignia, poſtquam ſe ſuosque authoritatem ſanctæ Sedis agnituros eſſe juraverat.

Sæcul. XIII. A. C. 1247.

Long. hiſt. Polon. lib. 7.

Sup. Lib. LVII. §. 17.

Papa id edoctus Legatum in Ruſſiam miſit Archiepiſcopum Boruſſiæ, intelligo Gnesnenſem, cui plerique Boruſſiæ Epiſcopi obnoxii erant. Epiſtola, qua eum genti Ruſſicæ commendat, data eſt 30 Maji 1246. Præcepit etiam Archiepiſcopo Legato, ut Ruſſis Epiſcopos conſecraret viros exquiſitæ virtutis ac doctrinæ, ſeu Sacerdotes religioſa lege ſoluti, ſeu Fratres Prædicatores Minoresve forent: permiſitque, ut novus Rex Daniel Fratrem Prædicatorem Alexin nomine cum ejus ſocio in aula haberet ſua. Daniel Legatos ad Papam miſit cum epiſtolis, in quibus Eccleſiæ reconciliari cupiebat:

Rayn. 1246. n. 28.

Rayn. 1246. n. 28.

Sæcul. XIII. A.C. 1247.

bat: & Papa Sacerdotibus Ruſſicis copiam fecit panem fermentatum in Chriſti corpus convertendi, ſervandique cæteros ritus ſuos, qui nihil catholicæ fidei contrarium continerent. Dabat 27 Aug. 1247. Verum Daniel voti compos factus Papæ non diu obedientiam præſtitit.

Rayn. 1257. n. 26.

Certe hoc ei Alexander IV. in litteris 13 Febr. an. 1257 datis exprobravit, ac Epiſcopis Olomucenſi & Vratislaviano præcepit, ut contra illum cenſuras Eccleſiaſticas & profanæ poteſtatis auxilium adhiberent. Tales ſunt tranſitiones ad Romanam Eccleſiam dignitatis aut commodi cauſa factæ.

§. LXI.

Miſſiones ad Armenos &c.

Rayn. n. 30. *Vading.* 1247. *n.* 8.

Ex alia parte Papa legationem detulit Laurentio Ordinis Fratrum Minorum conſcientiæ ſuæ arbitrio, ut Armeniam, Iconium, Turciam, Græciam, Regnum Babylonis ſeu Ægyptum adiret, ac in omnes Græcos Patriarchis Antiocheno & Hieroſolymitano obnoxios, atque in Regno Cyprio verſantes, in Jacobitas, in Maronitas ac Neſtorianos poteſtatem ſuam exerceret. Hujus mandati finis præcipuus erat Græcorum defenſio contra vexationes Latinorum. Dabat 5 Junii. Patriarcha Hieroſolymitanus apud Papam

Papam querebatur, quod Græci ſibi ſubditi, ut ſe ipſius jurisdictioni prorſus ſubducerent, legationem Fratris Laurentii cauſarentur. Sed Papa Legato declaravit, hanc intentionem ſuam non eſſe, vetuitque, ne Patriarchæ jurisdictionem conſtringeret. Sæcul.XIII. A.C.1247.

Frater Laurentius etiam Græcorum Patriarcham ejusque Suffraganeos Eccleſiæ Romanæ reconciliare conabatur. Quo comperto Papam illum juſſit cavere, ne Græci Præſules Patriarchis Latinis Antiocheno ac Hieroſolymitano ſubjecti hac ratione ipſis ſubtraherentur. *Exhortaberis*, adjungit, *Græcorum Patriarcham, ut ſanctam Sedem adeat in gratiam ejus integram reſtituendus. Si ad nos venire ipſe non poſſit, mittat pro ſe ac pro Suffraganeis ſuis homines ſufficiente poteſtate munitos. Si pecunia ad iter careant, tu eam illis ex ærario noſtro ſubminiſtrabis.* Unde apparet, hunc Religioſum ad exercendam legationem ſuam nummos ad manus habuiſſe. Dabat epiſtolam 7. Auguſti.

Papa itidem Catholico Armenorum Patriarchæ Religioſum nomine Andream miſerat, qui ab hoc illi litteras retulit, in quibus hic Præſul illum hortatur ad veniam proſcripto Imperatori, ſcilicet Friderico, dandam. *Id favoris*, ait, *peto a Sanctitate veſtra, a Patriarchis, ab Epiſcopis,* *Rayn.n.33. Vading. n.10*

Sæcul. XIII. A.C. 1247.

pis, & a Regibus poteſtati veſtræ ſubmiſſis, & quidem ob ſtragem & captivitatem Chriſtianorum fratrum noſtrorum, ob everſionem civitatis ſanctæ, & ob profanationem ſacri ſepulchri. Ac deinde: *Mittimus vobis libellum, quem attulimus de pectore Orientis nempe de Sin* (intelligo de Sis ſede Patriarchæ Armeniæ) *& alium libellum de fide Archiepiſcopi Neſibini, cui ſubſcripſerunt alii duo Archiepiſcopi ac tres Episcopi. Oramus cum eis iterum pro Archiepiſcopo Hieroſolymitano, qui eſt de gente noſtra, & pro fratribus noſtris Chriſtianis in Oriente, Antiochiam, Tripolin, Ptolemaidem, cæteraque loca incolentibus, ut eos commendetis, nequis eosdem offendat.*

Rayn. n. 36. Vad. 11.

Frater Andreas pariter epiſtolam Papæ tulerat ad Ignatium Jacobitarum Patriarcham, cujus reſponſum reportavit continens profeſſionem fidei plane catholicam non ſolum de SS. Trinitate, verum etiam de natura divina humanæ conjuncta. Enunciat enim JEſum Chriſtum eſſe Deum perfectum ac perfectum hominem ſine permiſtione vel confuſione, ac Eutychetem proſcriptum dicit. *Ecce*, pergit Epiſtola, *ecce fidem noſtram & Ægyptiorum, Armenorum, Libyon ac Æthiopum! atque ſanctam Eccleſiam Romanam Eccleſiarum omnium matrem & caput eſſe confitemur.* Et poſtea: *Firmandæ pacis cauſa poſcimus a vobis primo, ut poſt obitum*

obitum noſtri Patriarchæ Archiepiſcopi congregati novum ſecundum canones conſtituant. Secundo, ut Patriarcha, Archiepiſcopi ac Epiſcopi Latini, qui ſunt in terris noſtris, in Patriarchas & Epiſcopos noſtros nullam jurisdictionem habeant, ſed ex vobis, ut illi, pendeamus. Tertio, ut Epiſcopi Latini ex Eccleſiis ac monaſteriis, quæ apud ipſos habemus, nullum cenſum colligant, ſed nobis Eccleſiaſticam relinquant libertatem, nec labores noſtros ſuum in lucrum vertant. Quarto, ut illos, qui cum Latinis matrimonia contrahunt, Sacramentum Chriſmatis in baptiſmate jam acceptum iterum ſuſcipere nemo cogat. Nempe Armeni, ut Græci, ſacram Confirmationem una cum baptiſmo conferunt. Sæcul. XIII. A. C. 1247.

Habetur etiam Neſtorianorum profeſſio fidei, probabiliter ſimul allata nomine Archiepiſcopi Neſibini, in qua is confitetur, Chriſtum eſſe Filium Dei ſimul ac Filium hominis, & unicam perſonam; naturæ divinæ cum humana conjunctionem cæptam fuiſſe poſt myſterium SS. Virgini ab Angelo annunciatum, neque poſt Chriſti mortem ceſſaſſe; denique eum eſſe Filium unicum, unicumque individuum. *Rayn. n. 43. Vading. n. 13.*

Sæcul. XIII. A. C. 1247.

§. LXII.

Fratrum Minorum ad Tartaros missio.

ap. Rayn. an. 1245. n. 16. Vad. eod. n. 3

Jam duobus abhinc annis Papa Innocentius, ut Tartarorum ferociam mitigaret, & grassationem sisteret, ad eos miserat duos Fratres Minores, Laurentium Lusitanum & Joannem de Plano Carpino, sed seorsum & cum suis utrumque sociis: epistolæ tamen, quas ferebant, datæ sunt eodem die scilicet 5 Martii 1245, & ambæ Regi populoque Tartarico inscriptæ. In illa, quam F. Laurentius accepit, Papa eis loquitur de lapsu primi hominis, de natura divina humanæ juncta, de redempto genere humano, velut si nostrorum mysteriorum notitiam jam aliquam habuissent. Tum addit: *Dei Filius post suum ad vitam reditum in cœlum ascendens reliquit in terra Vicarium, cui animarum curam, ac Regni cœlestis claves commisit, ut hic cum successoribus suis id aperire posset atque claudere. Cum proin ipsi successerimus, & salutem vestram ardenter cupiamus, mittimus latores præsentium, ut horum doctrina imbuti Christianam fidem amplectamini.* Christus his in litteris videtur potestatem suam tantum S. Petro ac Romanis ejus successoribus dedisse.

Frater

Frater Joannes de Plano Carpino comes S. Franciſci, primus Saxoniæ Cuſtos, dein per Germaniam Miniſter Provincialis fuit, & in Bohemiam, Hungariam, Norvegiam, Daniamque Ordinem ſuum extendit. In epiſtola, quam ferebat, Papa Tartaris vaſtitatem regionibus illatam, & crudelitatem omni humanitatis ſenſui contrariam exprobrabat: hortabatur, ut deſiſterent, ac præſertim Chriſtianis parcerent; ſubmitterent ſe Deo, ac per pœnitentiam ſatisfacerent: denique jubebat eos dicere belli cauſam, & quo usque ſuos progreſſus urgere vellent? In alia epiſtola Miſſionariis ejusdem Ordinis magnam & variam facit poteſtatem etiam conferendi tonſuram & acolytos conſecrandi.

Sæcul. XIII. A.C. 1247.

Vading. n. 4. de Script. p. 221.

Rayn. n. 18.

Id. n. 19.

Ecce relationem F. Joannis de Plano Carpino in compendium redactam! Jubente Papa an. 1246 profecti, primum ad Regem Bohemiæ nobis faventem nos contulimus. Suaſit, ut per Poloniam & Ruſſiam iremus, epiſtolasque nobis ac firmum dedit præſidium. Ad Conradum Lanciciæ Ducem delati, apud eum invenimus Vaſilicum Ducem Ruſſiæ, qui precibus Conradi motus ad ſedem nos duxit ſuam, ibique aliquamdiu retinuit. Oravimus, ut accerſeret Epiſcopos ſuos, ac recitatis Papæ epiſtolis, eis reditum ad Eccleſiam ſuadentis, eosdem permo-

Vincent. Spec. hiſt. lib. 31. c. 19. Bergeron. voyage de Carpin. c. 9.

Sæcul. XIII. A.C. 1247.

vere conati sumus. Sed responsum nobis decretorium dare non poterant absente Duce Daniele Vasilici fratre, qui Batum Tartarorum Ducem adierat. Vasilici jussu usque Chioviam Russiæ Metropolin ducti sumus in continuo vitæ periculo ob frequentes Lithuanorum in regionem incursus, ac multum frigoris & nivium pertulimus.

Secundo post SS. Virginis Purificationem die, nimirum 4 Febr 1246 attigimus Canovam pagum Tartaris subjectum: ac primo die Veneris post cinerum diem, qui erat vigesimus tertius ejusdem mensis, ad primam Tartarorum custodiam advenimus. Postridie mane post parvum viæ spatium incidimus in eos, qui ibi præerant. Causam itineris, & quid negotii nobis esset, rogati sic respondimus. Nuncii Papæ sumus, qui Christianorum pater ac Dominus est. Ille nos mittit ad Tartarorum Regem ac Principes totamque gentem, Christianos omnes Tartarorum amicos esse, pacemque cum his habere cupiens. Optat præterea, ut hi apud Deum in cœlo magni sint, ideoque tam per epistolas suas, quam per nos hortatur, ut Christiani fiant, cum salutem alia ratione consequi nequeant. Significat iis etiam, se mirari, quod tot homines, præcipue Christianos, & nominatim Hungaros, Moravos, ac Polonos ipsi subditos

c. 20. *Berg.* *c.* 10.

ditos trucident, ab his populis haud of- Sæcul.XIII.
fensi. Monet, ut ab eis deinceps absti- A.C.1247.
neant manus, Deumque lacessitum pœnitentia mitigent. Orat, ut ipsi scribant, quid agere in posterum velint, & quænam sit intentio sua. Tartari audito responso nostro dicebant, nos suo jussu ductum iri ad Corenzam caput primæ custodiæ contra populos Occidentis positæ, ne subito irrumpere possint. Sexagies mille viris, & ad Borysthenis cursum ex parte Russiæ excubiis præesse dicitur.

§. 21.

Ad sedem delatis suam procul a se habitaculum nobis dari, & quæri ex nobis jussit, quomodo se salutare, id est, munerari vellemus. Reposuimus, Papam dona non mittere, ignarum, an usque ad eos pervenire possemus: præterquam quod loca periculis plena transierimus. Nos tamen haud omissuros illi honorarium ferre de penu, quæ nobis modica esset. Ad ejus tentorium ducti, ter genu sinistrum ad portam flectere, nec transgredi limen inferum jubebamur. Admissi positis humi genibus debebamus officium nostrum exponere coram Corenza & cunctis primoribus eo fine congregatis. Diximus ea, quæ prius: etiam epistolas Papæ obtulimus. Sed interpres, quem Chiovia adduxeramus, eas expli-

Sæcul. XIII. A. C. 1247.

explicando par non erat; nec alium satis idoneum inveniebamus.

Tum equi nobis ac tres Tartari dabantur, qui nos celeriter ad Batu-Canum ducerent, ab Imperatore inter ipsos potentissimum, & ad Volgam castra tenentem. Post primam jejunii verni Dominicam die lunæ scilicet 26 Febr. 1246 iter ingressi, quamvis properaremus, nonnisi die Mercurii hebdomadis sanctæ nimirum 4 Aprilis advenimus ad Bati sedem. Tectum bis mille circiter passus ab eo distans nobis assignatum est: ac instante eum accedendi tempore, inter duos ignes nobis eundum esse audivimus. Cum nollemus, dicebant, id eo faciendum, ut, si malum coqueremus consilium, aut venenum gereremus, ignis effectum ejus impediret. Paruimus, ut ejusmodi suspiciones deleremus. Batum eodem ritu, quo Corenzam, allocuti, ad explanandas Papæ epistolas interpretes poscebamus, & sacro Paraseeves die accepimus. Cum istis in linguas Russicam, Arabicam, & Tartaricam eas transtulimus: & ultimam traductionem Batus oblatam sibi attente legit.

B. c. 11.

c. 22.

Sabbato sancto nobis dici curavit, ut Imperatorem Cuinum sive Cajucum adiremus: sed e nostris aliquos detinuit, se ad Papam eos remissurum causatus: & nos eis epistolas tradidimus, relationem

eorum

eorum omnium, quæ egeramus, continentes. At postquam ad Borysthenem venerant, ibi retinebantur usque ad nostrum reditum. Die Paschatis 8. Aprilis post rem divinam a fratribus nostris multas inter lachrymas discessimus, vivendumne porro, an moriendum nobis esset, inscii. Ducebant nos duo Tartari tam fractos viribus, ut vix equitare possemus. Nam per tempus verni jejunii præter milium, aquam, & salem victum alium non habueramus. Idem erat cæteris jejunii diebus, nec nisi solutam nivem bibimus. Maturavimus tamen iter, sæpe quater aut quinquies per diem equos mutando, ab octava Paschatis, 15 Aprilis 1246 usque ad diem S. Magdalenæ 22 Julii. Tam longa in via campos calvariis & ossibus humanis consitos vidimus & ingente numero urbes arcesque dirutas, tristia Tartarorum transitus monumenta.

Sæcul.XIII. A.C.1247.

c. 23.

c. 25.

B. c. 14.

§. LXIII.

Cajuc - Canus Tartarorum.

Festo S. Magdalenæ die ad Cuinum advenimus: sed nobis sui copiam tum non fecit, quia necdum in Imperatorem electus, regimini se nondum immiscebat. Ut hic relationis locus intelligatur, scire oportet, Octajum Ginguiz-Cani filium, ac secun-

c. 30.

B. c. 15.

Sup. Lib. LXXIX. §. 2.

Sæcul. XIII. A. C. 1247.

secundum Mogolum seu Tartarorum Imperatorem diem obiisse anno Epochæ Arabicæ 643. Christi 1245. cum successorem designasset Cajuc-Canum filium natu maximum, qui hoc loco Cuinus, & alias Gino-Canus appellatur. Ejus mater Imperii habenas tractabat durante interregno scilicet usque ad generalem nationis Curiltai dictæ conventum, in quo Cajucus pro merito suo electus est an. 1246. Duobus præcipuis utebatur ministris seu Atabecs: alter Cadac, Gincai alter vocabatur. Cadac erat Christianus & sacro ablutus fonte; non item Gincai, favebat tamen Christianis: & ambo his Cajuc-Cani & matris ejus benevolentiam conciliarunt, ita, ut Episcopos ac monachos clementer haberent, atque Christianos populos, ut Francos, Russos, Syros, & Armenos magni facerent. At Cajuc-Can vix biennio regnavit, anno Epochæ Arabicæ 647, Christi 1249 mortuus. Relationis filum resumamus!

Aboulfar. p. 220.
Bibl. Orient. p. 358.
Haiton c. 19.
Aboulfar. p. 821.
p. 322.

Cum apud Cuinum quinque aut sex dies fuissemus, ad matrem nos suam misit in locum, ubi generalis conventus agebatur. Ibi quatuor circiter hebdomades mansimus: ibidem facta est electio; & Cuinus in solium evehendus erat die Dominæ Nostræ in cœlum assumptæ sacro: sed ob grandinem res differri debuit. Mora-

Vinc. Berg. c. 30.
c. 31.
B. c. 16.

Morabamur ibi usque ad diem festum S. Bartholomæi 24. Aug. 1246, quo die Cuinus conscendit solium, & summi, medii, infimique omnes ad eum submissis genibus honorandum venerunt, exceptis nobis, qui ei subditi non eramus. Quadraginta vel insuper quinque ætatis annos numerare videbatur: mediocris erat staturæ, prudens, versutus, & oppido serius. Christiani ejus domestici nobis affirmabant, eum sacra nostra amplexurum esse. Rei fidem faciebat, quod Clericos suis aleret sumptibus, & circa se haberet, atque a fronte magni tentorii sui sacellum, ubi cantabant publice, & ad horas Græcorum more signum dabant: quam libertatem Christianis cæteri Tartarorum Præfecti haud permittebant. Nihilominus, cum in ipso conventus loco essemus, Cainus contra Ecclesiam, ac Imperium Romanum, omniaque Regna Christiana & Occidentis populos vexillum erexit, bello petendos minitans, nisi hoc, quod Papæ cunctisque Christianis mandaret, facerent, id est, se ipsi submitterent: nam solos Christianos timet. Tartari vero Ginguiz-Cani jussu universam sibi terram subjicere cogitant.

Sæcul. XIII. A.C. 1247.

v. c. 33.

B. c. 19.

Igitur ad illum vocati sumus in locum, ubi elatus in solium fuerat. Gingai primus eorum, qui a secretis illi erant, nostra illoramque, qui nos miserant, nomina

v. c. 35.

B. c. 20.

Sæcul. XIII. A.C. 1247.

na scripsit, & clara voce coram Imperatore recitavit. Eramus inter paucos, qui ad conspectum ejus admissi sunt. Re-

v. c. 35. B. c. 22.

misit nos ad matrem suam interea, dum vexillum contra Occidentem solenni ritu erexit; cujus rei notitiam nos habere noluit. Reversi dein mense integro apud eum mansimus, cum fame sitique magnopere conflictantes: quod enim pro quatriduo dabatur, vix unum in diem sufficiebat. Denique accitis nobis per Gingajum dici jussit, ut propositionem nostram scriptam sibi præberemus. Rogabamur etiam, an Papa haberet homines, qui sermonem Russicum, Arabicum, vel Tartaricum legere scirent. Respondimus, ejusmodi scripturas nobis in usu non esse; sed Arabes scire, quæ sibi dicerentur, Tartarica lingua scribere, ac nobis explicare: nos eadem scripturos sermone nostro, & Papæ autographum cum traductione allaturos esse. Die S. Martini accersiti sumus. Tum Cadac Minister primarius, Gingai, Bala, scribæque plures ad verbum nobis exponebant Imperatoris epistolam, quam latine scripsimus, & in sermonem Arabicum translatam nobis dabant, usui futuram, cum intelligentem quempiam inveniissemus.

c. 38. B. c. 23.

Imperator suorum quosdam nobiscum mittere decrevit, & unus e Tartaris nos comitantibus, ut se poscerem[us], nos

nos stimulabat. Reposuimus, si eos Imperator ultro mitteret, nobis acceptos fore. Sed eorum profectio non expedire visa est plures ob rationes. Verebamur, ne dissidia & bella nostra cernentes magis animarentur, ut in nos irent: timebamus, ne hi Nuncii essent exploratores; ne nostri homines, quorum insolentiam nossemus, eos enecarent, vel per vim nobis adimerent. Denique nihil, quod agerent, habebant præter Imperatoris sui epistolas ad Papam & Principes ferendas, quæ nostris erant in manibus. Tertio posthæc die S. Brictio dicata 13. Nov. dimissi sumus, ac reduces totam hyemem in desertis locis transegimus, ubi sæpe nobis in nivibus cubandum erat. Ita usque ad festum Ascensionis Domini nempe nonum Maji 1247 iter fecimus. Tum advenimus ad Batu-Canum: & sabbato post Pentecosten Mosii sedem attigimus, ubi socii & famuli nostri detenti erant. Eos adduci ad nos curavimus, ad Corenzam postea delati, qui nobis duos Cumanos itineris in Russiam duces addidit.

Sæcul.XIII. A.C.1247.

B. t. 24.

Decimo quinto die ante festum S. Joannis Chioviam intrantibus incolæ pleni gaudio nobis obviam ibant tanquam redivivis gratulantes: tantundem nobis to-

Sæcul. XIII. A.C. 1247.

tam per Ruſſiam, Poloniam & Bohemiam factum. Daniel ac frater ejus Vaſilicus hilaria nobis liberaliter dabant, nosque octiduo præter intentionem noſtram detinebant. Mediis diebus inter ſe cum Epiſcopis cæterisque probis hominibus conſultabant de iis, quæ in Tartariam euntes propoſueramus. Reſponderunt, ſe velle Papam pro Domino & Patre ſuo, ac ſanctam Eccleſiam Romanam pro Matre ſua habere, confirmareque omnia, quæ per aliquem Abbatum ſuorum Papæ hac de re ſignificaſſent: etiam Nuncios nobiscum miſerunt. Talis eſt relatio Fratris Joannis de Plano Carpino, & Fratrum Minorum ejus per hoc iter comitum.

§. LXIV.

Miſſio Fratrum Prædicatorum.

Vinc. Bell. lib. 31. c. 2. c. 40.

Papa Innocentius ſub idem tempus ad Tartaros miſit FF. Prædicatores, qui in Ægyptum delati Sultano Melicſaleh Papæ litteras tradiderunt, hortantis hunc Principem ad amplectendam fidem catholicam, & ut viam ad Tartaros Fratribus aperiret, orantis. Sultanus ſuo nomine illi reſpondere Salchinum juſſit, qui e præcipuis ejus Miniſtris quidam fuerit, neceſſe eſt, & qui litteras inchoat a magnis locis communibus Theologiæ Muſulman-

sulmannicæ ad efferendam unitatem Dei singularem sine socio, sine consortio fœminæ aut liberorum, sine divisione, sine numero, sive compositione: quibus expressionibus Musulmanni utuntur ad excludendam Personarum divinarum Triadem. Dein missioni Moysis & Christi legationem Mahometis præfert, asserens, Deum in isto cumulasse dona omnia cæteros in Prophetas distributa. Tandem ad epistolam Papæ veniens, dicit: *Nescimus, quænam sit ejus intentio: nam si veritatem demonstrationibus stabilire velit, hoc fine conventum agi, & oppositiones ac responsa viva voce proponi oporteret: nec deessent nobis homines, qui ei facerent satis.* Et postea:

Sæcul. XIII. A.C. 1247.

ap. Rayn. 1247. n. 57. 58. &c.

Cum Fratribus Prædicatoribus ab eo missis disceptare voluimus: sed pro his omnino tutum non erat de Religione vestra nostraque in nostra regione cum Doctoribus nostris contendere. Præterea obstabat lingua: Non sciebant Arabicam, nec nisi Latina vel Gallica disputare consueverant. Etiam paupertas eis sua & vita monastica nocebat: quamvis scientia, virtus, fluxarum contemptus rerum, religio, & morum puritas in eis eluceret.

Epistola Papæ, eos velle ad Tartaros ire significans, ut eorum propositum adju-

Sæcul. XIII. A. C. 1247.

varemus, nos hortabatur. Sed non ſuaſimus, ut hoc iter ſuſciperent. Tartarorum furor & crudelitas multo major eſt, quam dicitis. Antichriſtus ipſe non teneret lachrymas, ſi tantummodo partem malorum, quæ committunt, cerneret. At Dei miſericordia Muſulmannos ſolata eſt in Sultano, qui faciet, ut Tartari ardorem ignis, quem accenderunt, ſentiant. Melicſaleh Dominus noſter eſt, ad quem hoc anno Legatos pacem petituros miſerunt. Verum non permiſit, ut ad Regiam venirent, aut pedum ipſius pulverem oſcularentur. Hæc eſt ſumma Salchini litterarum ad Papam.

Fratres Prædicatores, de quibus loquitur, erant probabiliter Aſcelinus ac tres ejus comites, quorum unus nomine Simon a S. Quintino ipſorum itineris in Tartariam relationem ſcripſit ſequentem. Anno 1247. die Translationis S. Dominici nimirum 24 Maji F. Aſcelinus a Papa miſſus cum ſociis ſuis in Perſiam ad Tartarorum exercitum Belliduci Bajothnoi ſubditum advenit. Qui re comperta ad eos e præcipuis militum Præfectis aliquos & ſuum Egip ſeu primum conſiliarium ac interpretes miſit. Quærebant iſti, unde illi veniſſent? F. Aſcelinus repoſuit: *Sum Nuncius Papæ, qui a Chriſtianis omnes inter homines dignitate*

tate ſummus habetur, & tanquam Pater ac Dominus ſuus colitur. Tartari hæc verba indignati ſubdebant: *Qua fronte audetis Papam Dominum veſtrum univerſos inter homines maximum dicere? An neſcit, Canum Dei Filium, Bajothnoi & Batho Principes ei ſubjectos eſſe?* Tum Aſcelinus: *Papa ignorat, quinam viri Can, Bajothnoi, & Batho ſint. Eorum nomina nunquam audiit. Si noſſet, ſcripſiſſet in epiſtolis, quas nobis dedit. Percepit ſolummodo, Tartaros, certam nationem barbaram ab Oriente profectam, multis regionibus bello ſubactis innumeræ hominum multitudini vitam eripuiſſe. Igitur commiſeratione tactus, de conſilio Fratrum ſuorum Cardinalium nos ad Tartarorum exercitum, quem primum inveniremus, miſit, Ducem atque omnes ei obnoxios hortandi gratia, ut ab hac cæde præſertim Chriſtianorum deſiſterent, & admiſſorum criminum pœnitentia ducerentur. Quamobrem Dominum veſtrum oramus, ut accipiat Papæ litteras, & reſponſum reddat.* Sæcul.XIII. A. C. 1247.

Tartari abibant, & mutatis veſtibus paulo poſt reverſi quærebant ex Fratribus, an munera afferrent? Reſpondit Aſcelinus: *Papa rariſſime dona mittit, nunquam vero incognitis ac ethnicis: e contrario eidem Chriſtiani filii ſui mittunt aliqua, ac ſæpe ipſi ethnici.* Tartari ſolicite c. 41.

Sæcul. XIII. A. C. 1247.

te Fratres rogabant, an Franci etiamnum adirent Syriam? affirmabant enim, se ex mercatoribus cognoviſſe, brevi multos eo venturos eſſe. Et forſitan cogitabant illis inſidias ſtruere ſe amplecti fidem velle ſimulando, vel alio modo, ut eos averterent a terris ſuis aut ſibi amicos ſaltem per aliquod tempus redderent. Nam, ut Georgiani & Armeni referunt, Tartari Francos præ cunctis terrarum gentibus timent. Cum Tartarici Duces rediiſſent, dicebant Fratribus: *Si videre Dominum noſtrum, ac veſtri epiſtolas ei tradere vultis, ter flexis genibus eum adoretis, oportet, tanquam Dei filium in terra regnantem: eſt enim Cani mandatum, ut Bajothnoi velut ipſi honoretur.* Nonnulli Fratrum verebantur, ne hæc adoratio eſſet idololatria. Sed F. Guichardus Cremonenſis, qui Tartarorum conſuetudines noverat, *Ne metuite*, inquiebat, *hoc reverentiæ genus vobis non injungitur, niſi ut Papam & totam Eccleſiam imperiis Cani ſubmiſſos fore indicetis: omnesque Legati hanc obeunt cerimoniam.* Fratres inita deliberatione necem ſubire potius, quam ſic genua coram illo flectere una omnes voce ſtatuerunt, tum ut Eccleſiæ honori conſulerent, tum ne offendiculo eſſent Georgianis, Armenis, Græcis, immo

§. 42.

Per-

Perſis, Turcis, cæterisque Orientis populis. Adhæc nolebant Eccleſiæ hoſtibus gaudendi materiam dare, & Chriſtianis Tartarorum captivis ſpem liberationis adimere. Sæcul.XIII. A.C.1247.

Aſcelinus, quid decreverint, cunctis præſentibus declaravit, addens: *Ut agnoſcatis, non per contemptum, vel duritiam inflexibilem nos ita loqui, parati ſumus ad exhibendam Domino veſtro obſervantiam, quamcunque præſtare cum decentia poſſunt Sacerdotes Dei, ac religioſi Papæ Nuncii. Ut Superiores, Reges, ac Principes noſtros, ſic illum veneramur. Si Bajothnoi ad Chriſti cultum adjiceret animum, quod Papa & nos optamus, non ſolum coram illo & vobis omnibus flecteremus genua, verum etiam plantas pedum veſtrorum oſcularemur.* Ad ea Tartari furentes, *Quid?* ajebant, *Nos Chriſtianos, nos canes fieri vultis? Non Papa veſter canis eſt? non vos cæteri omnes eſtis canes?* Aſcelinus reſpondere haud poterat niſi ſimpliciter negando: tantus erat illorum clamor & impetus iracundiæ.

Compertis Fratrum reſponſis Bajothnoi eos ad mortem condemnavit. Sed quidam e conſiliariis ejus duos tantum necandos, reliquos duos ad Papam re- c. 44.

Sæcul. XIII. A.C. 1247.

remittendos censebant. Alii putabant, uni detrahendam cutem, replendam palea, & per socios ejus Papæ mittendam esse. Varii eos ab oculis removendi modi proponebantur. Denique Bajothnojo e sex uxoribus suis una dicebat: *Si hos Nuncios occidis, orbis totius odium tibi accersis: perdes munera, quæ tibi undique deferuntur, & Legati tui absque misericordia perimentur.* Bajothnoi rationi cessit. Tartari ad Fratres reversi, quomodo Christiani adorarent Deum, quærebant. Ascelinus reposuit: *Quidam prostrati, alii submissis genibus, alii aliter. Multi extranei Dominum vestrum, prout ei placet, adorant, ejusdem tyrannide territi. Sed Papa & Christiani hanc non formidant, nec agnoscunt imperia Cani, cui subditi non sunt.* Opponebant Tartari: *Vos vero adoratis lignum & saxa, nimirum cruces eis incisas.* Ad quos Ascelinus: *Christiani nec lignum, nec lapidem adorant, sed figuram crucis ob Dominum Nostrum JEsum Christum pro salute nostra crucifixum.*

§. 45.

§. 46. Postea Bajothnoi eis dici jussit, ut adirent Canum, ejus magnam viderent potentiam, eidemque Papæ litteras darent. Sed Ascelinus Tartari artium gnarus respondit: *Dominus meus non me mis-*

Sæcul.XIII. A C.1247.

miſit ad Canum ignotum ſibi, ſed ad Tartarorum exercitum, quem primum invenirem. Itaque ad Canum non ibo: & quando Dominus veſter epiſtolas Papæ non accipit, ad hunc revertar, &, quid factum ſit, referam. Tartari ſubjungebant: *Quanta temeritate aſſeris, Papam univerſos inter homines ſummum eſſe! Quis audivit unquam, Papam veſtrum tot & tanta Regna occupaſſe, quot & quanta Canus ſuam in ditionem redegit permiſſu Dei, cujus eſt filius? Canus igitur major eſt Papa veſtro cunctisque hominibus.* Tum Aſcelinus: *Papam omnes inter homines dignitate maximum dicimus, quia Deus S. Petro ac ſucceſſoribus ejus univerſalem in Eccleſiam totam poteſtatem fecit.* Conabatur Tartarorum quæſtioni fuſius ſatisfacere per exempla plura pluresque rationes, quas minime capiebant, cum eſſent bruti bardique nimium. At non videtur dixiſſe illud, quod iis placandis aptiſſimum erat, Papæ poteſtatem eſſe prorſus ſpiritualem, nec ad res profanas attinere.

Papæ dein epiſtolis in linguam Perſicam, & ex hac in Tartaricam, ut Bajothnoi eas intelligeret, traductis, Fratres reſponſum ab eo poſtulabant. Sed ultra bimeſtre ſpatium expectantes, tan- *c.* 47. 48. 49.

Sæcul. XIII. A.C. 1247.

quam homines nullius pretii nulliusque nominis ſummo contemptui habebantur. Stabant ad tentorium ejus a diluculo usque ad meridiem vel diutius etiam ardori ſolis expoſiti per menſes Junium Juliumque; nec admiſſi ſunt; immo ne alloquio quidem eos quisquam dignabatur. c. 50. Tandem dimiſſi ſunt die feſto S. Jacobi, 25 Julii non ſine Nunciis, qui Bajothnoji ac Dei litteras (ſic epiſtolam Cani vocabant) ad Papam ferrent. c. 51. Bajothnoi ita ſcripſerat: *En verbum Bajothnoji Legati per divinam Cani authoritatem! Scito, Papa, tuos veniſſe Nuncios, ac epiſtolas tuas attuliſſe! Grandia dixere, tuone juſſu, an ſponte ſua, neſcimus, Scripſeras: Vos hominibus multis vitam adimitis. Hoc nobis Deus præcepit & ille, qui totam terræ faciem gubernat. Quisquis parebit imperio, ſua in regione manebit & in bonis ſuis, ac vires ſuas mundi Domino mittat! qui non obedient, peſſundentur! In veſtra regione, atque in bonis veſtris manere ſi vultis, oportet, ut tu Papa ad nos & ad univerſæ terræ Dominum ipſe venias; & priusquam nos adeas, neceſſe eſt, ut mittas Nuncios, qui nos edoceant, an venturus ſis nec ne, & an paciſci nobiſcum velis, aut noſter inimicus eſſe?* Epiſtola c. 52. Cani ſolummodo mandatum erat Ginguiz-Cani nomine Bajothnojo impoſitum, ut

ut ejus potestatem per omnem terram agnosci curaret. En totum fructum laborum ac discriminum, quos tam ferventes hi viri Apostolici subierunt. Tres anni ac septem menses effluxerant in hoc itinere F. Ascelini, cum ad Papam revenit. Sæcul.XIII. A.C.1247.

§. LXV.

Joannes Parmensis FF. Minorum Minister Generalis.

Hoc anno 1247. Ordo FF. Minorum mutavit Ministrum Generalem. Decimo Maji Papa omnibus iis, qui comitiis generalibus interesse debebant, se pro sua in eos propensione hæc coram se habenda ducere indicavit, & huic negotio 13 Julii diem attribuit, eos illa die ad se venire, ubicunque tunc foret, jubens. Erat autem Avenione, ibique comitia fiebant. Frater Crescentius sextus Ordinis Minister Generalis haud comparuit, contentus eo mittere, sicut ad concilium Lugdunense fecerat, suum Vicarium Fratrem Bonaventuram Æsiensem, per quem petiit, ut ob ætatem, dexteritatis penuriam, & singulariter ob tenuem facundiam suam gesto munere expediretur. Nec querimoniæ de illo deerant: negligere officium suum, malum exem-

Vading. 1247. *n.* 1. 2. *&c. Boll.* 19. *Murt. to.* 8. *p.* 58.

Sæcul. XIII. A.C. 1247.

exemplum præbere, disciplinæ remissionem permittere, immo introducere ferebatur. Accepta proin abdicatione sua, reliquos vitæ dies in ea demissione, ad quam vocatus erat, traduxit.

In ejus locum suffectus est Frater Joannes Parmensis provinciæ Bononiensis, qui tum Parisiis Theologiæ Doctorem publice agebat, vir eximiæ virtutis, ac regularis disciplinæ studiosissimus: electus autem fuit una omnium voce, atque ita septimus Generalis Minister Ordinis factus. Quæ res huic pacem reddidit, tantumque creavit gaudium, ut S. Francisci spiritus in eum rediisse diceretur. Primi præsertim S. Patris discipuli sic loquebantur: nam aliqui etiamnum vivebant, & inter eos Ægidius Assisinas, qui novum Ministrum Generalem primo salutans, *Mi Pater!* inquiebat, *optatus ades, at sero venisti:* significabat, rem difficilem sore solutiori disciplinæ jam inductæ afferre remedia.

Joannes Parmensis aggressus officium, a restituenda pace initium sumpsit. Scripsit epistolas consolatorias Fratribus virtutis ac regulæ studio ardentibus, ab antecessore suo in exilium missis; & in suam quemque provinciam revocavit. Obtinuit diploma Pontificium Lugduni 13 Aug.

Wading. Regist. p. 104 n. 53.

Aug. 1247 datum, declarans, nullum Legatum, qui non esset a latere, nullumque Praesulem sub obtentu litterarum Papae posse ad operam suis aut Ecclesiae suae rebus navandam aliquem Fratrem Minorem domi suae retinere praeterquam illos, quos Legati vel Praesules a Ministro Generali vel Provinciali impetrassent, & qui disciplinae Ordinis submissi manerent. Curavit etiam, ut Papa retexeret factam quibusdam Fratribus ad exteras gentes missis copiam suscipiendi eos, qui Ordinem vellent ingredi, & novas provincias, iisque Superiores constituendi: ac ostendit Papae, quam pernicioſa Ordini haec permissio esset. Sæcul.XIII. A.C.1247. p.107. n. 55.

Per tres primos sui muneris annos universi Ordinis disciplinam inspexit, cum uno vel summum duobus sociis pedibus iter faciens. Unicam gestabat togam, & in ejus facie, gestibus, ac incessu demissio tanta erat, ut multis in coenobiis aliquot dies maneret incognitus, & omnem Fratrum mores examinandi libertatem haberet, sibi non diffidentium indolem videns; curabat enim, ut ne adventum ipsius cognoscerent. Demum personam professus suam, quae videbantur, statuit & correxit; ad primam omnia observantiam redegit; segnes interdum

Supe-

Sæcul. XIII. A. C. 1247.

Superiores officio privavit; & Fratres minus boni exempli removit. Quantumvis laſſus de via preces horarias exemplo S. Franciſci ſtans ac detecto capite peragebat. Nulla in cibis diſtinctione admiſſa, proximam quamque portionem ſumebat gratias agens.

§. LXVI.

Chriſti ſanguis in Anglia.

Matth. Par. p. 640.

In Anglia Henricus Rex ad omnes Regni ſui Proceres ſcripſit, ut die translationis S. Eduardi ſcilicet 13 Octobris Londini comparerent, gratum auditurі nuncium favoris a Deo ſibi nuper exhibiti. Weſtmonaſterii dicto die præſentibus indicatum eſt, Magiſtros Templariorum & Hoſpitalariorum Equitum per Templarium miſiſſe portionem Sanguinis Chriſti cryſtallino in vaſe perantiquo cum teſtimoniis Patriarchæ Hieroſolymitani, Epiſcoporum, Abbatum, & Procerum Terræ ſanctæ. Henricus hac occaſione S. Ludovici affinis ſui exemplum, quod is in vera cruce honoranda ediderat, imitaturus, in pervigilio feſti jejunium coluit pane & aqua contentus; ipſo autem die in ſupplicatione publica ſacras reliquias ſolenni ritu a Cathedrali S. Pauli Eccleſia Weſtmonaſterium ad S. Petri templum

templum tulit, & huic donavit. Episcopus Norvicenſis rem divinam fecit, ſermonemque ſacrum habuit, in quo dicebat, has reliquias præferendas eſſe omnibus, ipſique cruci, cui aſperſus Chriſti ſanguis dediſſet pretium. Credebatur id afferere hunc in finem, ut Anglia de his reliquiis non minus quam Francia de cruce gloriaretur. Addebat, eas in Angliam eſſe miſſas, ut ibi melius aſſervarentur quam in Syria a Chriſtianis pene deſtituta. Denique cunctorum Præſulum præſentium nomine declaravit, ipſos ſacroſanctum ibi ſanguinem venerantibus ſex annorum & centum quadraginta dierum indulgentiam concedere. Sæcul.XIII. A.C.1247.

Inter aſtantes tamen erant, qui murmurarent, ac de facti veritate dubii quærerent, quomodo Chriſtus integer redivivus in terra ſuum reliquiſſe ſanguinem credi poſſet? Ergo Epiſcopus Lincolnienſis Robertus Capito præſentes alloqui cœpit, ac ex apocrypho (ut ipſe fatebatur) libro excerpta relatione nixus, dicebat, Joſephum ab Arimathæa exempto de cruce Chriſti corpore ſolicite collegiſſe vulnerum ac præſertim lateris ſanguinem, & aquam ipſam ad lavandum corpus adhibitam; dein Nicodemo ſuæ operæ ſocio dediſſe partem; & ſic hunc theſau- *Additam. p. 1087.*

Sæcul. XIII. A.C. 1247.

thesaurum a patribus ad filios, tandemque ad Robertum Hierosolymitanum per id tempus Patriarcham perveniſſe. At hæc longa traditio, & per duodecim sæcula conſervatio pretioſi ſanguinis probanda erat. Epiſcopus Lincolnienſis addebat, Regem Angliæ mera ex liberalitate ac modo longe nobiliore has reliquias obtinuiſſe, quam Regem Galliæ ſuas, aliquot abhinc annis pecunia emptas. Ad oppoſitionem a Chriſto reviviſcente ductam repoſuit, ſanguinem ejus, in terra relictum, eſſe ſimilem illi, quem nos per inciſionem venæ aut alter mitteremus, & cujus amiſſio vivi corporis integritati non obſtaret.

Sup. Lib. LXXXI. §. 26.

FINIS TOMI XX.

INDEX

INDEX
RERUM ET NOMINUM TOMI XX.

A.

Adolphus Comes Holſatiæ Ord. Minor. Pagina 364.
Ægydius Cornutus Archiepiſcopus Senonenſis. p. 476.
Agnellus Ord. Minor. primus Epiſcopus Marocenſis. p. 265.
B. Agnes Bohema. p. 243. Amplectitur regulam S. Claræ. p. 246.
Aladin Sultanus Iconii ſcribit ad Papam. p. 225.
Albertus Epiſcopus Brixianus, dein Patriarcha Antiochenus. p. 218. Pontificius in Lombardia Legatus. p. 222.
Albertus Ord. Præd. Epiſcopus Mutinenſis. p. 213.
Albertus Piſanus Ord. Minor. Miniſter Generalis. p. 363.

Albigenſes Decreta contra eos. pag. 154. & 207.
Alexander Alenſis Ord. Minor. Theologus celeber. p. 454. Ejus mors & ſcripta. p. 455.
Alphonſus Bononiæ Comes a Papa Luſitaniæ Adminiſtrator conſtituitur. p. 530.
Alphonſus Legionis Rex. Ejus victricia contra Mauros arma. p. 82. Obitus. ibid.
Andreas Hungariæ Rex tabulas publicas conficit in favorem Religionis. Moritur. p. 238.
Angli in concilio Lugdunenſi de exactionibus Romanæ Curiæ queruntur. p. 493. & 532. & 543.
Anſelmus primus Epiſcopus Varmienſis. p. 427.
S. Antonius Patavinus. Ejus conciones. p. 101. Mors. p. 105. Scripta. 106.
Arelatenſe concilium. an. 1234. p. 208.
Ars captioſa litium ſæculo XIII. inter Clericos regnans. p. 290. & 299. & 490.
Aſan Bulgariæ Rex a Latinis ad Græcos tranſit. p. 292. Sacra expeditio contra eum. p. 293.
Aſcelinus & ſocii ejus Fratres Prædicatores a Papa ad Tartaros miſſi. p. 580. Horum Duces adorare recuſant. p. 583.
Avenionetum. Hoc in loco undecim Martyres mactantur ab Albigenſibus. p. 417. & ſeq.

Bago-

B.

Bagoxus. Ibi Episcopatus rursum erigitur. p. 82.

Bajothnoi Dux Tartarorum. p. 580. Papæ Nunciis necem destinat. p. 583. Illius ad Papam epistola. p. 586.

Balduinus Curtiniacensis Imperator Constantinopolitanus. p. 291. In Gallia suppetias colligit. p. 345. Adest concilio Lugdunensi. p.478.

Balduinus Episcopus Semigalliæ Pontificius in Livonia Legatus. p. 121. Revocatur. p. 212.

Balearis insula Major Mauris adimitur a Rege Arragoniæ. p. 83. Episcopatus ibi erigitur. p. 85. Ejus primus Episcopus. p. 265.

Baptismus ethnicis brevi collatus. p. 123. & 524. Secundum Gregorium IX. est causa mancipia Dominis suis adimendi. p. 258. Conferendus est solennibus Paschatis ac Pentecostes Sabbatis. p. 286. Ejus cerimoniæ sæculo XIII. observatæ. p.358. & 390.

Bathus Dux Tartarorum. p. 401. Recipit Papæ Nuncios. p. 572.

Bela IV. Hungariæ Rex Ecclesiæ bona occupat. p. 238. Ejus postulata a Gregorio

rio IX. p. 294. Victus e regno pellitur a Tartaris. p. 403. & 405.

Beneficia Ecclesiastica. Laici ea conferentes curam animarum nemini committere possunt. p. 257. Beneficia locata. pag. 286. Beneficia eadem pluribus data. p. 288.

Berardus Archiepiscopus Panormitanus. p. 422.

Bertholdus Patriarcha Aquilejensis. p. 118. Communionem habet cum Friderico proscripto. p. 360.

Biterrense concilium sub Legato Gualterio Episcopo Tornacensi. p. 156. Alterum an. 1246. p. 520.

Bonifacius Sabaudus Prior Nantuacensis, electus Episcopus Bellicensis. pag. 300. Dein Archiepiscopus Cantuariensis. pag. 428. Consecratus ab Innocentio IV. p. 477.

Borussi idololatræ Christianis ingentia mala inferunt. p. 85. & 124. Contra illos instituuntur Equites *Gladii* exemplo Equitum Christi in Livonia. p. 86. Hi cum Equitibus Teutonicis conjunguntur. pag. 272. Borussia in quatuor Episcopatus divisa. p. 426. Duæ tertiæ ejus partes Equitibus Teutonicis conceduntur. pag. 427.

Bulgari. v. Manichæi.

C.

Cœleſtinus IV. Papa electus moritur. pag. 412.

Cæſarius Ord. Minor. Caput Zelotarum. p. 362. Occiditur. p. 363.

